6
4-E
53

6
4 K
37

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

24. C

9.5.5.
9
E
19
9
B

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIUS PHILOLOGICO-CRITICUS, DE VESTITU MULIERUM HEBRÆARUM, AD JESAI. III. VS. 16—24.

COMMENTARIVS
PHILOLOGICO-CRITICVS,
DE
VESTITV
MVLIERVM HEBRÆARVM,
AD JESAI. III. VS. 16—24.

QVO VOCABVLORVM ABSTRVSISSIMORVM TENEBRAS AD FACEM DIALECTORVM DISCVTERE CONATVS EST

AVCTOR
NICOL. GVIL. SCHROEDERVS,
PHILOS. DOCT. ET LINGUAR. ORIENTAL. IN ACAD. MARBURG. PROF. EXTRAORD.

PRAEMISSA EST PRAEFATIO
CELEBERRIMI VIRI
ALBERTI SCHVLTENS.

BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA

LVGDVNI BATAVORVM
APVD ABRAHAMVM KALLEWIER.
MDCCXXXXV.

Digitized by Google

ROMA

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO

DN. WILHELMO

HASSIAE LANDGRAVIO, PRINCIPI
HERSFELDIAE, COMITI CATTIMELIBOCI,
DECIAE, ZIEGENHAINAE, NIDDAE,
SCHAVMBVRGI ET HANOVIAE, Reliq.

BIBLIOTECA ... ROMA

POTENTISSIMI

SVECORVM REGIS,

HASSIAE LANDGRAVII,

IN TERRIS HAEREDITARIIS

GVBERNATORI REGIO VICARIO,

EXERCITVS EQVESTRIS BELGII
FOEDERATI GENERALI,

LEGIONIS PRAETORIANAE DESVLTORIAE
CHILIARCHAE,

NEC NON

OPPIDI TRAIECTI MOSANI

SVPREMO PRAEFECTO BELLICO,

PRIN-

Digitized by Google

PRINCIPI AC DOMINO SVO
LONGE CLEMENTISSIMO,

Hoc laborum Academicorum ſpecimen ſacrum facit, & demiſſo, quo par eſt, pietatis cultu offert

NIC. GVIL. SCHROEDERVS.

S E-

Digitized by Google

SERENISSIME PRINCEPS DOMINE CLEMENTISSIME

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

INter laudatiſſimas virtutes, quæ Supremos Imperantes, optimos Patriæ Patres, pulcherrime exornant, & frequenti ac illuſtri comitatu quaſi circumcingunt, principem facile locum tenet ſerena illa clementia & benignitas, qua inferioris fortunæ homines, præſertim ſubditos, ultro complectuntur, & ad Celſitudinis Ipſorum Pulvinar admiſſos, jubare Principalis Gratiæ

Digitized by Google

colluſtrant. Sic enim a ſublimi, in quo poſiti ſunt, dignitatis faſtigio adeo Seſe non demittunt, ut potius Semet Ipſis majores procedant, Suæque Purpuræ novum fulgorem, nova decora, circumdent. Sic maximam Sui & admirationem & venerationem omnium pectoribus alte imprimunt, animosque & corda potenter Sibi devinciunt.

Conſummatiſſima illa, & vere glorioſa, clementiæ virtus, inter cæterarum chorum, in TE, MAGNE PRINCEPS, mirifice præfulget, & radios quoquoverſus emittit.

De qua igitur & mihi, poſtquam non ſemel Illam privatim intueri & ſuſpicere licuit, nunc etiam publice TE veneraturo, bene ſperandum cenſeo. Quam magnopere enim illa indigeam, facile intelligo, ſi conſiderem, quam tenuis ſit libellus, quam exiguum hoc laborum Academicorum ſpecimen, quod, auguſto TVO NOMINI inſcriptum, ad pedes TVOS humillime depono.

Cujus tamen auſi rationes ſi quæ promendæ, complures id non adeo ſuaſerunt, quam imperarunt. Quarum in numerum nunc non referam publica TVA, in pace belloque, for-

ſortiter & glorioſe geſta, perennia excellentium laudum monumenta, quæ tanta ſunt, tamque illuſtria, ut, ad omnem hominum memoriam, ſemet ipſa abunde celebrent, vel diſertiſſimi ſaltem Oratoris ampliſſimum Panegyricum ſibi depoſcant. Neque innumera in illum finem commemorabo beneficiorum genera, quæ, ceu POTENTISSIMI SVECIÆ REGIS, HASSIARVM LANDGRAVII, REGIS ac DOMINI noſtri Clementiſſimi, REGIVS in Terris Hæreditariis VICARIVS, in omnem Haſſiam, dilectiſſimam Patriam, liberali manu quotidie confers & effundis, Indulgentiſſimi Principis laudes non tantum complens, ſed & exſuperans. Sunt enim illa mihi cum ſingulis TVIS civibus communia, & omnia omnium vota, preces, & ſuſpiria, pro TVA incolumitate, ad coelum vehunt.

Sed liceat, SERENISSIME PRINCEPS, attingere, grataque mente recolere, quæ in me ipſum contuliſti, ſingularis Gratiæ TVÆ documenta. In his maxime colloco, quod ſuperiori anno Inclutæ, quæ Marburgi floret, Academiæ Doctorum numero me adſcribere, & Profeſſione Linguarum Orientalium extra-

or-

ordinaria cohoneſtare, clementiſſime dignatus fueris.

Ab eo tempore non ſatis læta feciſſe mihi viſus ſum Academicorum laborum initia, niſi & publico quodam monumento TIBI, PRINCEPS SERENISSIME, probarem, omnem me operam daturum, ut benignæ TVÆ de me expectationi, traditæque provinciæ, quoad poſſim, ſatisfaciam. Quo pacto ſimul fieri poſſe ſperavi, ut meis Auditoribus faculam quandam præferrem, quæ in via, ad pleniorem & ſolidiorem Sacræ & Orientalis Literaturæ cognitionem perducente, quodammodo præluceret.

Iter ergo literarium, quod eum in finem ſupplex petii, TVque clementiſſime indulſiſti, huc ad celeberrimam Muſarum Metropolin, Lugdunum, Bataviæ Ocellum, direxi, certa ſpe ductus, fore ut ex Virorum, quibus floret, in divinis æque ac humanis ſcientiis Summorum alloquio non contemnenda ſolidioris & exquiſitioris eruditionis ornamenta mihi ſint acceſſura. Quam exiſtimationem nec eventus fefellit, ſed, ſi dicere fas eſt, cumulate implevit.

Hu-

Digitized by Google

Hujus igitur otii cum coram TE, CLEMENTISSIME DOMINE, publicam nunc reddendam rationem eſſe intelligam, libellum TIBI devota pietate exhibeo, in quo argumentum mihi explicandum ſelegi, ex ipſo Sacro Codice deſumtum, ſine Linguarum & Antiquitatum Orientalium ſubſidio fruſtra tentandum, nec adeo indignum, in quo, aliqua luce perfundendo, curam & induſtriam exercerem. Id amplam mihi ſuppeditavit occaſionem, evidentibus oſtendendi documentis, quam præclaro uſui ſint, pro perficienda & perpolienda veteris Hebraiſmi cognitione, cæteræ Orientis Dialecti, cum illo propinqua cognatione conjunctæ, quantamque opportunitatem afferant, ad pleniorem certioremque Sacrarum Literarum intelligentiam nobismet comparandam.

Sereno itaque vultu reſpice, INDVLGENTISSIME PRINCEPS, hoc quicquid eſt opellæ, ceu perpetuum demiſſi obſequii, pietatis, & grati animi, monumentum, quod TIBI in publico defigere & ſacrare ſuſtineo.

Admitte quoque propitius, & clemens ſuſci-

cipe, quæ pro ſumma & perenni DOMVS HASSIACÆ Felicitate & Gloria, calidiſſima fundo, vota. DEVS O. M. Rex Regum, Dominus Dominantium, ſervet SERENISSIMVM AC POTENTISSIMVM SVECIÆ REGEM, HASSIÆ LANDGRAVIVM, REGEM, PRINCIPEM AC DOMINVM noſtrum longe CLEMENTISSIMVM; TEque, SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, REGIVM in Terris Hæreditariis VICARIVM, Felicem, Auguſtum, Religionis Statorem, Scientiarum Promotorem, Juſtitiæ Præſidem, Libertatis Vindicem, Concordiæ Auctorem, verum Patriæ Patrem, ab omnibus adverſis incolumem præſtet, nec non perenni ac florentiſſima proſperitate, atque Principali Gloria, cumulet & coronet! Dab. Lugd. Bat. d. III. Cal. Nov. A. MDCCXXXXIV.

Digitized by Google

L. S. P.

A. SCHULTENS.

QUintus jam labitur annus, ex quo, Literis Marpurgo *ad me datis, propius innoteſcere mihi coepit Eximius operis hujus Auctor.*

Comitabantur illæ luculentum ſpecimen magnorum in Linguis Orientalibus progreſſuum, quo Famæ & claritatis fores, in prima admodum adoleſcentia, pulſans, Orbem Eruditum erexit, ingentemque de ſe expectationem commovit.

Mihi quidem jam tum, tam ex iis quæ in lucem emiſſa, quam ex ſtudiorum communium ratione, privatim ad me perſcripta, & modeſtiſſime expoſita, Sidus aliquod oriri viſum, quod

brevi temporis ſpatio culmen teneret Literaturæ Orientalis, atque jucundum diffunderet ſplendorem.

Lætum augurium cum maxime completur, quin cumulatur, per elucubratiſſimam hancce commentationem.

Materiam ea illuſtrat, in plenumque diem educit, qua nihil in Hebraica vel Lingua, vel Re & ſupellectili Antiquaria, obſcurius, abſtruſiusque.

Anno præterito, pro familiari noſtro commercio, ſignificaverat mihi Vir Amiciſſimus, ſe arduum huncce laborem ſuſcepiſſe, iterque in Belgium moliri, ut quod jam prælo ferme paratum, inter nos typis excuderetur.

Ibi ego, fatebor enim, ſubvereri, ne ſupra vires, ſupra ætatem, quantumvis aquilino Eum vigore ac volatu ſcirem pollere, niſus ſuos intendiſſet.

Inanem metum inſpectio operis diſcuſſit; meque ſimul ſingulari voluptate permulſit. Legi, ſtupui, plauſi. Deprehendi pleno rapidoque gradu, in primo flore ætatis, eo jam eniſum Virum juvenem in Arte, & Literatura noſtra, præſertim in profundiore Linguæ Arabicæ *cogni-*

gnitione, quo vix principes in hiſce Viri eſcendere valuerunt.

Deprehendi quoque Eruditioni copioſæ ac florenti, in materiis hiſce excutiendis, elibrandis, atque ſubtili examine trutinandis, ſuperfuiſſe felix acumen, quod ſolidum judicium ubique temperaret, atque incomparabilis modeſtia ornaret, majoremque in modum commendaret.

Ex hac modeſtia profectum, quod in me, ob ſubmonitiunculam unam, alteramve, laudum ſuarum partem transfundere voluerit ingenuum candidumque pectus: quin & commendationem aliquam operi præfigendam efflagitarit. Ea profecto nil opus. Aurum de ſuo fulget; de ſuoque ſe commendat. Integras quoque laudes ſuas, vere ſuas, modeſtiſſimo & politiſſimo meo SCHROEDERO *refundo. Nihil, nihil omnino, in hiſce meum; niſi meum quis cenſendum autumet, quod comprobo, & collaudo.*

Gratulor Eccleſiæ, Orbi Literato, Academiæ Haſſiacæ, inſigne Ornamentum, lætiores uſque & uſque radios daturum.

Gratulor Clariſſimo & Venerando parenti,

 Theo-

A. SCHULTENS ALLOQUIUM.

Theologo ac Philologo ſummo, cui Muſæ Orientales immenſum quantum debent, tantum huncce paternæ Eruditionis, ac Virtutis, Alumnum; eundemque Celebritatis ex aſſe jam Hæredem. Gaudia Patris in Filio; Filiique in Parente, per longos annos propagentur & compleantur. Dabam Lugduni *in* Batavis; *pridie Kalendas Novembres; Anno partæ ſalutis* MDCCXXXXIV.

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO.

ERVDITO ET BENEVOLO LECTORI

S. D.

NIC. GUIL. SCHROEDERVS.

SI ullum ſe offert in tota Literatura & Vetuſtate Hebraica argumentum, multis adhuc difficultatibus obſtructum, & pleniorem uberioremque lucem deſiderans, illud profecto eſſe, quod in exponendis & deſcribendis Veſtibus, in Sacro præcipue V. T. Codice memoratis, verſatur, æqui ac periti Arbitri uno omnes ore conſciſcunt. Sive enim in Nominum plerorumque, quibus illæ inſignitæ olim fuerunt, originem, propriumque ſignificatum, ſive in ipſarum Veſtium formam, uſum, priſcamve eas geſtandi rationem, accuratius paulo inquirere inſtituas, non tantum multa dubia, incerta, lubricisque obnoxia conjecturis, ſed & plurima hodie prorſus ignorata, ac profunda quaſi nocte ſuppreſſa & ſepulta, paſſim deprehendes. Ut longe inferior hac in parte Antiquitatis Hebraicæ ſit conditio, quam Græcæ & Romanæ, cujus cum maxime Rem Veſtiariam conſpirans tot excellentium ingeniorum diligentia ex veteribus monu-

men.

Digitized by Google

mentis feliciter protraxit, & in pleno die collocavit.

Obſcuritatis vero illius non alia poteſt eſſe ratio, atque tenuiſſima, quæ ad nos pervenit, antiqui ſermonis æque ac rituum Hebrææ gentis notitia, & librorum penuria, quorum ope, uti plurima alia, ita & quæ in S. Scriptura ſuperſunt ad Veſtitum, omnemque cultum & ornatum, ſpectantia, aptiſſime potuiſſent illuſtrari, & copioſo lumine perfundi.

Nihil autem gravius & moleſtius accidit vel doctiſſimis Interpretum, ipſosve magis ſolicitos merito habuit, quam quod in ipſo etiam ſignificatu vocum, quibus Hebræi ſuas veſtes expreſſerunt, indagando & adſtruendo, magna ſe difficultas prodat. Cum enim hodierna Linguæ Hebrææ, olim ampliſſimæ, cognitio adeo anguſtis circumſcripta ſit limitibus, non poſſumus non ignorare quamplurimorum Thematum nativam indolem, priſtinamque amplitudinem, ut & dictionum, quarum tenuiora ſunt veſtigia, quæque vel rarius, vel non niſi ſemel, in Scriptura occurrunt, genuinam notationem. Sic factum, ut incertum ſæpe ſit, imo ex veteris Linguæ reliquiis dijudicari omnino nequeat, an hoc illudve vocabulum v. g. *Tunicam*, an *Pallium*, an *Capitis* quoddam *Tegumentum*, an denique aliud quidpiam plane diverſum, olim deſignarit; & ſagaciſſimis perſæpe Viris nihil ſuperſit aliud, quam ut ad incertas & fallaces delabantur conjecturas, alio hoc, alio illud, aptius & ſpecioſius exiſtimante, cum tamen neutrius ſententia expreſſa auctoritate comprobari queat.

Quod ipſum ut omnium in oculis defigam, & cla-

riſſi-

riſſimis documentis preſſius demonſtrem, non aliis utar exemplis, quam quæ præſentis hujus Tractatus argumentum ſubminiſtrat. Nempe illa Jeſajæ Pericopa, qua, Vaticiniorum Capite III. vſ. 16—24. foeminarum ſui temporis immodicam in corporis cultu luxuriem caſtigat, &, pro orationis ſuæ copia ac gravitate, ſingulas veſtes & ornamenta muliebria, ſuis expreſſa nominibus, acriter perſtringit, hæc, inquam, Pericopa denſis involuta tenebris, & Interpretum Veterum æque ac Recentiorum maximæ varietati & inconſtantiæ obnoxia, hactenus fuit. Neque aliter rem habere potuiſſe facile obſervabit, qui ſecum reputaverit, quanta caligine circumſideri debeant illæ voces, quæ vel non niſi in unico, vel in pauciſſimis S. Scripturæ locis ſedem occuparunt, quarumque Themata, olim frequentiſſima, vel penitus ex Biblico Sermone exulant, & oblivioni tradita ſunt, vel ſaltem non in tota ſua amplitudine ſuperſtitant, & notiones aut primarias aut ſecundarias temporum injuria amiſere, ex quibus tamen impoſita olim Veſtibus Nomina originem traxerant.

Quod vero non parum auget illud incommodum hoc eſt, quod deficiant fere & areſcant, in exponendo iſto Textu, vel majori ſaltem ejus parte, plerique fontes, ex quibus alias vocum Hebræarum, maxime rariorum, ſignificationes hauriri ſolent. Profecto non multum huc præſidii afferre poteſt illa methodus, qua Interpretes intra ſolos S. Codicis limites ſe coërcent, & ex orationis ſerie ac ſcopo, nec non variorum locorum diligenti collatione, verborum notationes eruere contendunt. Sunt enim illa Veſtium Nomina arbitra-

rio fere ordine diſpoſita, atque, non repugnante Contextu, quemcunque ſignificatum ſingula induere poſſunt. Quoties vero & in aliis Scripturæ locis vox uſurpata, eorum collatio perneceſſaria quidem eſt & utiliſſima, quia nulli vocabulo aliqua notio competere poteſt, quæ non cum omni ejus uſu pulchre conſiſtat; ſed quo minus putemus, illam ſolam ſufficere ad veram vocum indolem & proprietatem certo definiendam, ipſa prohibet experientia. Sic v. g. vocabulum נטיפות non tantum apud Jeſajam, ſed & Judic. VIII. 26. occurrit, & conſimiliter מטפחת ſuperſtes etiam eſt Ruth. III. 15. neutrius tamen ſignificatus ideo in aprico eſt, & dubitationi exemtus.

Minus etiam ſubſidii hic quam alibi præbere valent antiquæ Verſiones, tam Græca & Latina, quam Orientales. Quarum Auctores plurimarum vocum genuinas notationes ipſosmet jamjam ignoraſſe, eorum arguit inconſtantia & fluctuatio. Sic v. g. Alexandrini, vulgo LXX. Interpretes, vocem קשרים per τὸ ἐμπλόκιον *reticulum*, verterunt, quam tamen mox Jerem. II. 32. per στηθοδεσμίδα *faſciam pectoralem*, interpretati ſunt. Similiter מחלצות reddiderunt per τὰ περιπόρφυρα *prætextas purpureas*, pro quo autem Zach. III. 4. ποδήρην *veſtem talarem*, ſubſtituerunt. Rurſus pro מטפחות dant in Jeſaja τὰ ἐπιβλήματα τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν *amicula quæ domi geſtantur*, quod tamen Ruth. III. 15. per περίζωμα *zonam*, vel, ut alii volunt, *ſubligaculum*, expoſuerant. Denique vocem סדינים alibi per σινδόνας, ſed apud Jeſajam per τὰ ὑακίνθινα, explicuere. &c. &c. Cum itaque adeo vagi & incerti ſint hi Interpretes in vocibus declarandis, quæ tamen ali-

aliquoties in Codice Sacro occurrunt, ecquæ fides earum expoſitionibus adhiberi poterit, quæ non niſi in unico hoc loco Jeſajæ ſuperſtites ſunt, & ex Linguæ naufragio quaſi in hac tabula enatarunt? Neque ſilentio prætereundum, quod Græcorum Verſio per totam noſtram Pericopam mirum in modum turbata ſit & interpolata; uti vel ex eo conſtat, quod pro viginti & uno vocabulis, quæ Textus Originalis exhibet, non totidem, ſed ad minimum viginti tria aut quatuor (nam nec conveniunt omnes Codices) reddiderit, quorum præterea ordo adeo diſturbatus eſt, ut quænam voces Græcæ ſingulis Hebræis reſpondere debeant, hodie certo definiri non poſſit.

Porro Chaldaica Jonathanis Paraphraſis, longe licet correctior, nec ſuperfluis luxurians vocabulis, non tamen multo plus nobis promittit auxilii. Ea enim vel dictiones Hebræas, quæ difficiliores erant, retinuit, ad Chaldaicam ſolummodo Dialectum accommodatas, quemadmodum e. g. שביסים non aliter reddidit quam per שביסיא, quæ tamen vox Chaldæis, quantum conſtat, inuſitata; vel dictiones adhibuit barbaras, ipſisque Hebræis longe obſcuriores, quarum nunc neque origo ſupereſt, nec ſignificatus. Quales ſunt קלמססיא, טלטליא, לבורנקיא, קרטסיא, Hebræis קשרים, נזמי האף, מטפחות, & סדינים, reſpondentes. Imo plerarumque vocum, quibus Jonathan hic uſus fuit, notationes nobis hodie non ſatis ſunt perſpectæ, & de iis non minus quam de Hebræis inter ſe Rabbini ſolent diſputare. Sic e. g. כבינתא, Hebræum רדידים exprimens, a quibusdam pro *theriſtris*, ſeu veſtibus æſtivis, ab aliis vero pro *fibulis*,

quibus tunica conſtringitur, vel quibuscunque *vinculis*, accipitur. Haud abſimili obſcuritate & plura alia laborant vocabula.

Syriacam & Arabicam Verſiones non attingo, cum ex Græca totæ ſint deſumtæ. Vulgata Latina, ut notum eſt, vel Alexandrinos ſequitur, vel Chaldæum. Aliquoties quidem ſui juris fuit, & utrosque ſuperavit, vel ſaltem expoſitionem dedit eruditiorem, & uſui Thematis Hebræi magis congruentem. Plerumque tamen, maxime in reddendis rarioribus vocabulis, una cum ſuis ductoribus cæcutit.

Ad Rabbinos denique recentiores, qui vel Lexicis vel Commentariis in Scripturam inclaruerunt, quod attinet, ſunt quidem Viri Docti, & de literatura Hebraica præclare meriti, qui illos, uti in aliis locis difficilioribus, ita & in hiſce Veſtium muliebrium Nominibus, explicandis, præcipuos duces elegerunt. Sed quam parum fidi ſint, nolo multis differere, cum ſatis notum ſit, plerosque veteri Hebræorum lingua, quam a longo jam tempore non amplius vernaculam habent, non niſi leviter admodum imbutos eſſe, & Vocum ac Thematum quam plurimorum genuinas ſignificationes penitus ignorare. Tum vero ad Chaldæum ſe conferre ſolent Paraphraſten, ut inde obſcuriorum verborum notationes exquirant; & haud raro contingit, ut in ſuis Commentariis, dictione Hebræa ſilentio prætermiſſa, non niſi Chaldæam citent interpretationem, ejusque ſenſum inveſtigent; quod manifeſto eſt indicio, eos ex hoc ſolo velle ſapere. Quoties autem hujus Verſionis mentem aſſequi non valent, vocesque ejus peregrinas & barbaras, quales modo adduximus, non

non intelligunt, nihil aliud a Rabbinis expectari poteſt quam conjecturæ, quæ tamen ſæpe admodum ineptæ ſunt, & perexiguam probabilitatis ſpeciem præ ſe ferunt. Aliquos quidem fuiſſe, qui multa recte & erudite tradiderint, non ibo inficias, nec debita eos laude fraudabo; ſed, ut paucis multa complectar, nemini ex Hebræorum Magiſtris majorem tribuendam cenſeo auctoritatem, quam rationum & argumentorum pondus eſt, quæ affert pro ſuis interpretationibus adſtruendis.

Præcipua hæc ſubſidia & adminicula, quibus uſi ſunt, quotquot fere hactenus iſta Veſtium muliebrium Nomina explicare aggreſſi ſunt, ſub conſpectum ponere, ſimulque defectus, quibus illa laborant, denudare, operæ pretium duxi; ut inde concludere liceret, nos iſtius Pericopæ expoſitionem certam, & diſerta auctoritate confirmatam, non prius promittere poſſe, quam illos fontes detexerimus, ex quibus plenior veteris Hebraiſmi notitia ad nos derivari queat.

Profecto nihil æquius, nihil rei naturæ convenientius, quam, ſi quæ Lingua duriora fata experta fuerit, temporumque injuria pleraque antiqua monumenta, ſimulque quamplurimas voces & themata, amiſerit, ut ſolerter circumſpiciamus, anne forſan illius quædam ſuperſint Dialecti, eadem olim ſtirpe prognatæ, & interiore aliqua conſanguinitate & harmonia cum illa conjunctæ, ſed quæ tantam cladem paſſæ non fuerint, inque majori veterum librorum copia ſe conſervarint, vel etiam, inde ab ultima antiquitate, ad noſtra uſque tempora, in nativa ſua puritate, flore ac integritate, edurarint.

Enimvero neminem, niſi in noſtra literatura plane hoſpitem, fallere poteſt, tales Hebraiſmi Dialectos ſupereſſe plures, & in hunc numerum præcipue referendas eſſe Chaldæam, Syriacam, & Arabicam, unam omnes originem tenentes, & propinqua cognatione tam ſibi invicem, quam veteri Hebræorum Linguæ, connexas atque illigatas.

Ambas priores, quas & uno nomine Dialecti Arameæ comprehendere ſolent, uti unanimi conſenſu Noſtrates Eruditi venerantur, & frequentiſſime in ſubſidium advocant, ita & Hebræorum Magiſtri doctiores, ipſas maxime in promtu habentes, jamdudum dignas judicarunt, quibus ſuam Sermonis Biblici cognitionem majori ex parte inædificarent. Quantum inde lucis S. Codici affulſerit, quamque multis vocibus, antea incognitis, genuinæ ſignificationes feliciſſime reſtitutæ fuerint, notius fere eſt, quam ut debeat moneri.

Quodſi autem porro conſideremus, jam diu eſſe, ex quo Aramæa iſta Dialectus vernacula eſſe deſiit, neque, hactenus ſaltem, magnam veterum librorum copiam ad noſtras manus perveniſſe, & inde factum eſſe, ut & ipſa quamplurimas Radices amiſerit, & nunc aliena ſæpe luce indigeat, facile intelligemus, non eam ſolam ſufficere ad Hebraiſmum in priſtinam ſuam amplitudinem, decus, & dignitatem, reſtituendum. Sic v. g. (ut iterum exemplis utamur ex hoc noſtro argumento deſumtis) quid עֲכָסִים proprie fuerint, a Jeſaja primo in loco collocati, neque Chaldaiſmi, neque Syriaſmi, ope definiri poteſt, cum in neutro Thematis vola vel veſtigium ſuperſit. Idem & de vocabulis צְעָדוֹת, נזמים, aliisque pluribus, dictum putes. Aci-

cidit etiam interdum, ut, quamvis ipſum Thema non ex omni uſu exciderit, nihil tamen illæ Dialecti offerant, quod faciat ad Nominis Hebræi ſignificationem, & Veſtis vel Ornamenti genus, accurate determinandum. Sic ex uſu Verborum חרט, לחש, רעל, נטף, apud Aramæos, cognoſci neutiquam poteſt, quid inde deducta Vocabula חריטים, לחשים, רעלות, נטיפות, olim deſignarint.

Supereſt nunc Arabica Dialectus, in qua eo major nobis ſpes reponenda, quo minus reliquas per omnia ſatisfacere oſtendimus. Peropportune itaque accidit, quod illa felicioribus fatis gaviſa ſit, & communi cladi, quam ceteræ, maxime Hebraica, expertæ ſunt, ſola manſerit exemta. Cujus ſi nunc ultimam antiquitatem, ſi intimam cum Hebraiſmo cognationem, ſi ampliſſimas porro divitias, ſi illibatam puritatem, atque integritatem nunquam præfloratam, ſi, inquam, hæc omnia in plena luce collocare, & ante omnium oculos exponere, aggrederer, næ limites, quos mihi nunc præſcripſi, quam longiſſime tranſſcenderem. Liceat itaque Lectorem remittere ad Scripta prolixiora, quibus magni in Orientali Literatura Viri, per evidentia tam argumenta, quam exempla, Arabicæ Linguæ præſtantiam & dignitatem abunde comprobarunt, & inſignem ejus uſum evicerunt, non tantum in reſtituendis Hebraiſmo quamplurimis Radicibus, earumque ſignificationibus deperditis, atque illuſtrandis Vocabulis rariori uſu ſe offerentibus; ſed & in revocanda, ſuisque in ſedibus reponenda, Thematum quorumcunque genuina indole, & antiquiſſima ac principe poteſtate, unde ſecundariæ notiones, in

magna

Digitized by Google

magna ſæpe copia, ceu ex ſuo fonte, emanarunt.

Summam hanc Arabici Sermonis utilitatem agnoverunt & experti ſunt, quotquot ſolidiorem ejus habuerunt notitiam, ſimulque ad Hebraiſmi ſcientiam perficiendam & expoliendam animum applicuere. Inter ipſos Rabbinorum Eruditiores nonnulli fuerunt, illius Linguæ periti, quibus ſolemne eſt, ut in ſuis ſcriptis, quoties aliqua difficultate premuntur, illam in ſubſidium advocent, & diligenter conſulant, in ignotiorum Radicum ſignificatibus exquirendis. Neque dubitandum, plura hoſce Magiſtros in præclaro hoc ſtudio præſtare potuiſſe, ſi uberiorem Arabiſmi cognitionem ſibi comparaſſent.

Ex quo autem tempore in Occidentem noſtrum plura Arabum monumenta, & divites Orientalis Literaturæ Theſauri, allati fuere, Linguæque nobiliſſimæ notitia ad plures pervenit, non defuere Viri in orbe erudito principes, qui omnem adhibuerunt operam, ut illius ope Sermonem Hebræum, quoad fieri poſſet, in priſtinam amplitudinem, decus, & gravitatem, poſtliminio reſtituerent. Qua in palæſtra complurium quidem doctrina & induſtria enituit; poſt Magnum vero illum *Bochartum*, qui in Animalium præcipue Nominibus Hebræis inſignem Dialecti Arabicæ uſum luculenter comprobavit, unus mihi nunc nominandus, qui principem gradum tenet, Vir Summus & Incomparabilis, ALBERTVS SCHVLTENS, ingens illud Academiæ Lugduno-Batavæ, quin totius Reipubl. Literariæ, Lumen & Ornamentum; Cujus vero tam illuſtria & immortalia ſunt merita, ut ea ſupra meas laudes longiſſime

eve,

evecta ſentiam. Earum itaque in locum pia potius vota ſuccedant, quorum ſumma eſt, ut Supremum ac Benigniſſimum Numen, per longos adhuc annos, in egregium publicum, Magnum hunc Virum, ſalvum, ſoſpitem, & florentem, conſervet, ſicque Sacræ & Orientales Literæ, ſub ſolertiſſima Manu, a qua mirum quantum culturæ & decoris jamjam acceperunt, in diem adhuc lætius vernent & effloreſcant.

Ingenue profiteor, memet, ſi quid Orientali in literatura valeo, quod quam exiguum ſit non is ſum qui ignorem, id Summo huic Viro unice debere, nihilque unquam mihi antiquius fuiſſe, quam ut in *Regia Hebraïzandi Via*, tam egregie emunita, Tanti Ducis veſtigia, longiſſimo licet intervallo, premere contenderem.

Quum huc omnem curam convertiſſem in concinnando Tractatu, quem nunc, ceu qualiumcunque profectuum ſpecimen, exhibeo, eumque, uti par erat, τοῦ Πάνυ judicio & examini ſubmiſiſſem, inſtitutum & conatus meos non tantum non improbavit, ſed &, pro ſingulari benevolentia, qua me complexus eſt, bene multas obſervationes & monita mihi ſuggeſſit, ex quibus meas pagellas compluribus in locis vel corrigere, vel exornare, licuit. Imo ſua etiam auctoritate libelli impreſſionem promovere, eumque commendatione, quam præmiſſam vides, decorare, dignatus fuit. Quæ liberali manu mihi impertita, & nunquam non celebranda, beneficia nefas duxi ingrato involvere ſilentio.

Si forte aliquam lucem difficillimæ illi Jeſajæ Pericopæ affudi, ea ſolis fere ex Dialectis Hebraiſmi, maxime

Digitized by Google

xime Arabica, mihi affulſit; cujus inſignem & multiplicem in hoc argumento uſum paulo diſtinctius recenſere, & ſub conſpectum dare, operæ pretium duco.

Primo quidem illa Veſtium Nomina, quæ in S. Codice non infrequentis quidem uſus ſunt, nec incerti ſignificatus, originem tamen Thematis, & primigeniam poteſtatem, amiſerunt, per Dialectos damnum reſarcire, & nativam Radicis indolem recuperare, poſſunt; id quod ad vim ac proprietatem Nominis certius & preſſius definiendam, non parum adfert momenti.

Secundum in locum reponi illæ voces merentur, quarum quidem Themata, una cum propria ſua ſignificatione ſuperſtitant, ſed illi præciſe uſus, ex quibus anſa olim ſumta fuit, Nomini certæ cuidam veſtis vel ornamenti ſpeciei aſſignando, traditi ſunt oblivioni. Hic itaque vel omnis ſpes deponenda, vel ſecundariæ illæ notiones, ceu latitantes ſtirpis propagines, ex Dialectorum fundo exquirendæ ſunt, & in apricum protrahendæ. Et hic uſus potiſſimum locum habet, quoties Thematis indoles ita comparata eſt, ut ad complures, eaſque diverſas, notiones ſe porrigere potuerit, eamque ob cauſam ex ipſa ſola concludi nequeat, quænam vera ſit Nominis inde derivati ſignificatio, adeoque ad hanc definiendam opus ſit, ut expreſſa Linguæ, vel ipſius, vel alius cujusdam intime cognatæ, auctoritas accedat.

Porro *tertio* in noſtra Pericopa voces occurrunt; quorum Radices, cum in Scriptura non niſi tenuiſſima reliquerint veſtigia, incerti admodum & ambigui ſunt ſignificatus. Unde maxima Interpretibus vel Doctiſ-

ſimis

ſimis fruſtratio injecta, cum illarum notationes determinare auderent, quamvis Thematis nec originem, nec amplitudinem, haberent perſpectam. Hic autem prorſus inſignis eſt Dialecti Arabicæ utilitas, quæ, præ cæteris, multis quidem divitiis circumfluit & abundat, plerumque tamen etiam primum fontem, ex quo notionum ſecundariarum copia promanavit, detegere & aperire valet.

Quartam denique in Claſſem vocabula referimus, quorum Radix ex veteris Linguæ Hebrææ reliquiis prorſus exulat, eamque ob cauſam vera illorum ſignificatio deliteſcit. Utraque per ſolas Dialectos reſtitui, & in antiquas ſedes & ditiones reponi, Nominumque notationes ex ſuis fontibus & principiis derivari, poſſunt.

Ex levibus hiſce ſtricturis in omnium oculos ultro ſe ingeret, quam multiplicia, quamque ampla ſubſidia, Hebræus Sermo a ſuis Dialectis, & expectet, & accipiat. Quæ quanti momenti in noſtro Argumento fuerint, ex clariſſimis exemplis & documentis demum plenius intelligetur, qualia, ſpero, in hoc libello non omnino fruſtra quæſiveris.

Supereſt adhuc alius ſpecialior Arabiſmi uſus, quem paucis ſaltem verbis attingam. Nempe Arabiæ populi, veteribus Hebræis adeo vicini, non tantum Linguam, ſed & multos mores & conſuetudines, præcipue quæ ad veſtitum & corporis cultum pertinent, cum illis habuere communes; neque dubitandum, ex iſtorum monumentis, maxime antiquioribus, multa, ad explicationem & illuſtrationem ornatus mulierum Hebræarum facientia, hauriri poſſe. Quod adminiculum,

lum, ob librorum Hebræorum penuriam aliqua nunc ratione neceſſarium, nolui negligere, ſed, quæ ad manum erant ex Arabum Scriptis diligenter attuli, ut veſtium formam, materiam, & uſum, preſſius deſcriberem & definirem. Id quod commode fieri potuit, quia Orientales non, uti in Occidente noſtro, Gallorum præcipue natione præeunte, fieri ſolet, veſtium rationem quotidie immutant, ſed antiquorum rituum tenaciſſimi ſunt, & pleraſque veſtes ac ornamenta, quorum a remotiſſima antiquitate uſus fuit, ad hodiernum usque diem uſurpant. Cujus rei, pene incredibilis, aptiſſimum habemus exemplum in more Orientalium mulierum, *lineam margaritarum*, ab Hebræis נזם appellatam, ſuper *naſum* ſuſpendendi. Is jam obtinuit temporibus Abrahami Patriarchæ, uti conſtat ex Geneſ. XXIV. 47. & inter Hebræos Ezechiëlis ætate adhuc frequens fuit, ut ex Cap. XVI. 12. apparet; apud Arabes autem, quibus illud ornamentum ſpeciatim adſcribitur Judic. VIII. 24. ubi eſt: *Lineas margaritarum geſtabant*, *nam Iſmaëlitæ* (h. e. Arabes) *erant*; imo Jobi ætate notum & receptum jamjam fuit, apud hos, inquam, Arabes, a quibus dein & ad Perſas commigravit, per longiſſimam illam ſeculorum ſeriem ad hodiernum usque diem mos ille eduravit, uti Cap. XIII. hujus libelli non uno oſtendi documento. Conſimiliter Midianitæ, veteres Arabiæ partim Deſertæ, partim Petrææ, incolæ, antiquiſſimis jam temporibus, שהרנים *Lunulas* geſtarunt, ut patet ex Judic. VIII. 26. Et vſ. 21. etiam camelis idem ornamenti genus appenſum narratur. Uterque mos in Arabia ad recentiſſima usque tempora receptiſſimus.

Ni-

Nihil dicam de *periſcelidibus*, *inauribus*, *armillis*, *peplis*, *annulis*. &c. &c. Plura enim, haud abſimilia, exempla in noſtro hoc opuſculo Lectori paſſim occurrent.

Tandem non inutile, nec injucundum, exiſtimavi, ſi ad finem ſingulorum Capitum antiquos mores Græcorum & Romanorum leviter tranſirem; & notabilem ſatis, atque tantum non perpetuam, illorum cum Orientalibus convenientiam ob oculos ponere ſatagerem. Unde apparebit, admodum probabile eſſe, quod plures jam obſervarunt Veteres Scriptores, Græcos ex Oriente, præcipue ex Perſia, luxum mutuatos eſſe, quem ex Græcia dein & in Latium emanaſſe, nemo ignorat.

Cæterum Te, B. L. ut hos meos conatus æqui bonique conſulas, &, ſi quid forte humani paſſus ſim, humaniter interpreteris, rogo. Vale. Dabam *Lugduni* in *Batavis*, ipſis Calend. Novembribus, A. MDCCXXXXIV.

SYLLABVS CAPITVM.

Pag.

CAP. I. DE VOCE עכסים *Periſcelides, ſ. Compedes ad ornatum geſtatæ.* 1

- - - II. DE VOCE שביסים *Soliculi, ſ. Bullæ ad Solis imaginem efformatæ.* 18

- - - III. DE VOCE שהרנים *Lunulæ.* 33

- - - IV. DE VOCE נטיפות *Inaures.* 45

- - - V. DE VOCE שרות *Armillæ.* 56

- - - VI. DE VOCE רעלות *Pepla Tremula.* 62

- - - VII. DE VOCE פארים *Tutuli.* 94

- - - VIII. DE VOCE צעדות *Catenulæ Crurales.* 116

- - - IX. DE VOCE קשרים *Cingula, ſ. Zonæ.* 131

CAP.

Digitized by Google

Pag.

CAP. X. DE VOCIBVS בתי הנפש *Olfactoriola.* 142

- - - XI. DE VOCE לחשים *Amuleta*; in ſpecie *Anguiculi*, ad ornatum a foeminis geſtati. 164

- - - XII. DE VOCE טבעות *Annuli.* 179

- - - XIII. DE VOCIBVS נזמי האף *Lineæ margaritarum naſo impendentes.* 187

- - - XIV. DE VOCE מחלצות *Chlamydes Plumatæ.* 205

- - - XV. DE VOCE מעטפות *Stolæ* vel *Tunicæ.* 226

- - - XVI. DE VOCE מטפחות *Pallæ.* 247

- - - XVII. DE VOCE חריטים *Loculi*, ad ornatum geſtati. 277

- - - XVIII. DE VOCE גליונים *Veſtes Pellucidæ.* 302

CAP.

Digitized by Google

Pag.

CAP. XIX. DE VOCE סרינים *Interulæ.* 339

- - - XX. DE VOCE צניפות *Vittæ.* 362

- - - XXI. DE VOCE רדידים *Palliola.* 368

- - - XXII. DE reliquis Jeſajæ Cap. III. ad ornatum muliebrem ſpectantibus. 388

COM-

COMMENTARIVS PHILOLOGICO-CRITICVS, DE VESTITV MVLIERVM HEBRAEARVM, AD JESAI. III. vſ. 16—24.

CAPUT I.

Probatur עכסים eſſe *Periſcelides*, *ſ. Compedes ad ornatum geſtatas.*

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

I.

Rarioris uſus, & antiquæ Hebræorum linguæ reliquiis accenſendum, Thema עכס, non niſi in tribus Scripturæ locis ſuperſtes. De ſuperbis foeminis Jeſajas dixit: ברגליהם תעכסנה, Capitis, in quo verſamur, vſ. 16. De incauto juvene, quem callida adultera ſuis lenociniis ad exitium ducit, Salomo ait: *eum inſtar bovis ad mactationem duci*, וכעכס אל מוסר אויל, Prov. VII. 22. Tandemque Nomen עכסים in muliebrium ornamentorum recenſione, quæ exponenda nobis nunc ſumſimus, primam occupat ſedem. Quæ Thematis infrequentia, magna, de vero ejus ſignificatu, ſententiarum peperit divortia. Accedit, quod con-

Uſus Thematis עכס.

Digitized by Google

contextus, ſaltem in utroque Jeſajæ loco, non unam admittere poſſe videatur ſignificationem. Græci Interpretes illud ברגליהם תעכסנה reddunt: Τοῖς ποσὶν ἅμα παίζουσαι. Vulgatus Lat. habet: *Compoſito gradu incedebant.* Arabs Interpres : يلعبن باقدامهن *ludunt greſſibus ſuis.* Jonathan in Targum : ברגלהן מרגזן, *pedibus ſuis provocant*, vel *irritant*, quaſi ad Thema כעס *irritavit*, reſpexerit, quo & Forſterus noſtrum עכס retulit, in Lex. Hebr. Recentiores vero Interpretes, præeuntibus Rabbinis, vulgo reddunt: *pedibus tinniunt*, ſive, *crepitacula geſtant.* Sic Munſterus, Vatablus, Clarius, alii. In adducto Proverbior. loco omnes Veterum Verſiones turbatæ. Alexandrini, ad quos Arabs & Syrus expreſſi, exhibent: ὥσπερ κύων ἐπὶ δεσμούς, ſenſu admodum obſcuro. Ingenioſe Cl. Bochartus, Hieroz. P. I. Lib. II. cap. 56. pro Κύων ſcripſiſſe Interpretes putat Κύφων, quæ vox, ut ibidem probat, non tantum *cataſtæ ſ. equulei* genus denotat, quo afficiendi ſupplicio torquebantur, ſed & ejus *tormenti reum*, imo *ſceleſtum* quemcunque. Hinc, ex mente Viri Doctiſſimi, Κύφων ἐπὶ δεσμούς vertendum: Juvenis foeminam ſectans, tanquam bos ad mactationem ducitur, & tanquam *reus*, *ſ. maleficus*, *ad vincula.* Non parum tamen huic conjecturæ obſtant antiquæ Verſiones, ad Græcam expreſſæ, nec non Heſychius, Suidas, & Phavorinus, qui omnes κύων legerunt. Obiter obſervandum, pro אל מוסר Græcos legiſſe אל מסרת *ad vinculum*, & pro אויל ſubſtituiſſe איל *cervus*, atque hanc vocem, a verſu 22. detractam, ſequenti præmiſiſſe. Quæ confuſio ſimul argumentum præbet, ab hac Verſione haud firmum expectari poſſe præſidium, pro ſignificatu rariorum vocum antiqui Hebraiſmi certius cognoſcendo.

Diverſae de עכסים *ſententiae.*

II. Sed præcipue in vocis עכסים expoſitione, de qua nunc agimus, fluctuant Interpretes. Græci verba את

תפארת

תפארת העכסים per τὴν δόξαν τȣ̃ ἱματισμȣ̃, *gloriam amictus*, exponunt. Id nimis generale. Dubitari enim nequit, per עכסים ſpecialiorem veſtium enumerationem a Propheta inchoari. Nec tamen aliter reddidere, qui Græcos ſequi amant, Syrus & Arabs Interpretes. Ille habet: ܫܘܦܪܐ ܕܠܒܘܫܝܗܝܢ, *pompam veſtium*, hic, شرف لباسهن, idem. Propius paulo Vulgatus acceſſit, qui, ut videtur, ex phraſi ברגליהם תעכסנה vſ. 16. intelligens, עכסים *pedum* eſſe ornamentum, vertit per *ornamentum calceamentorum*. Quocum Jonathan Chaldæus conſpirat, habens: תושבחת דמסניא *decus calceorum*. Hunc Targumiſtam, plerique Judæorum Magiſtri, uti ſolent, ſequuti. Raſchi: עכסים המנעלים אשר ברגליהם תעכסנה *Vocabulum* עכסים *notat* calceos, *quibus fœminæ* תעכסנה. De hoc תעכסנה plenius mentem ſuam ad vſ. 16. hujus Capitis exponit: כשהיו עוברות בשוק אצל בחורי ישראל דורסתו ברגלו ורומסתו צד חיבת נואפות כדי להבעיר בו יצר הרע כעכס זה של נחש עכס הוא ארס של נחש h. e. *quando Iſraëlitæ fœminæ juvenibus in platea occurrebant, ſuis calceis eorum pedes tangebant, hoc modo amorem ſuum adulterinum tacite innuentes, pravamque in iis cupidinem, tanquam ſerpentis quodam veneno, excitabant. Nam* עכס venenum *ſignificat* ſerpentis. Quam dilutum hoc ſit, nemo non videt. Præterea notionem *veneni ſerpentis* voci עכס Raſchi temere affinxit. Neque enim hæc in Lingua Biblica, aliave Orientali, nec, quod ſciam, apud ullum veterum Rabbinorum, eo ſenſu occurrit. Quodſi tamen alicubi eo ſignificatu deprehenderetur, recentioris foret uſus, & forte Græcorum ἔχις *vipera*, ortum ſuum deberet. Paulo aliter illud תעכסנה exponitur in *Jalkut Schimoni*, Tom. II. fol. 41. col. 4. אמר ר׳ יצחק שהיו מטילות מר ואפרסמון במנעליהן

contextus, ſaltem in utroque Jeſajæ loco, non unam admittere poſſe videatur ſignificationem. Græci Interpretes illud ברגליהם תעכסנה reddunt: Τοῖς ποσὶν ἅμα παίζουσαι. Vulgatus Lat. habet: *Compoſito gradu incedebant.* Arabs Interpres: يلعبن باقدامهن *ludunt greſſibus ſuis.* Jonathan in Targum: ברגלהן מרגזן, *pedibus ſuis provocant*, vel *irritant*, quaſi ad Thema כעס *irritavit*, reſpexerit, quo & Forſterus noſtrum עכס retulit, in Lex. Hebr. Recentiores vero Interpretes, præeuntibus Rabbinis, vulgo reddunt: *pedibus tinniunt*, ſive, *crepitacula geſtant.* Sic Munſterus, Vatablus, Clarius, alii. In adducto Proverbior. loco omnes Veterum Verſiones turbatæ. Alexandrini, ad quos Arabs & Syrus expreſſi, exhibent: ὥσπερ κύων ἐπὶ δεσμούς, ſenſu admodum obſcuro. Ingenioſe Cl. Bochartus, Hieroz. P. I. Lib. II. cap. 56. pro Κύων ſcripſiſſe Interpretes putat Κύφων, quæ vox, ut ibidem probat, non tantum *cataſtæ ſ. equulei* genus denotat, quo afficiendi ſupplicio torquebantur, ſed & ejus *tormenti reum*, imo *ſceleſtum* quemcunque. Hinc, ex mente Viri Doctiſſimi, Κύφων ἐπὶ δεσμούς vertendum: Juvenis fœminam ſectans, tanquam bos ad mactationem ducitur, & tanquam *reus*, *ſ. maleficus*, *ad vincula.* Non parum tamen huic conjecturæ obſtant antiquæ Verſiones, ad Græcam expreſſæ, nec non Heſychius, Suidas, & Phavorinus, qui omnes κύων legerunt. Obiter obſervandum, pro אל מוסר Græcos legiſſe אל מסרת *ad vinculum*, & pro אויל ſubſtituiſſe איל *cervus*, atque hanc vocem, a verſu 22. detractam, ſequenti præmiſiſſe. Quæ confuſio ſimul argumentum præbet, ab hac Verſione haud firmum expectari poſſe præſidium, pro ſignificatu rariorum vocum antiqui Hebraiſmi certius cognoſcendo.

Diverſae de עכסים ſententiae. II. Sed præcipue in vocis עכסים expoſitione, de qua nunc agimus, fluctuant Interpretes. Græci verba את תפארת

Digitized by Google

תפארת העכסים per *τὴν δόξαν τοῦ ἱματισμοῦ*, *gloriam amictus*, exponunt. Id nimis generale. Dubitari enim nequit, per עכסים ſpecialiorem veſtium enumerationem a Propheta inchoari. Nec tamen aliter reddidere, qui Græcos ſequi amant, Syrus & Arabs Interpretes. Ille habet: ܫܘܒܚܐ ܕܢܚܬܝܗܘܢ, *pompam veſtium*, hic, شرف لباسهن, idem. Propius paulo Vulgatus acceſſit, qui, ut videtur, ex phraſi ברגליהם תעכסנה vſ. 16. intelligens, עכסים *pedum* eſſe ornamentum, vertit per *ornamentum calceamentorum*. Quocum Jonathan Chaldæus conſpirat, habens: תושבחת דמסניא *decus calceorum*. Hunc Targumiſtam, plerique Judæorum Magiſtri, uti ſolent, ſequuti. Raſchi: עכסים המנעלים אשר ברגליהם תעכסנה *Vocabulum* עכסים *notat* calceos, *quibus fœminæ* תעכסנה. De hoc תעכסנה plenius mentem ſuam ad vſ. 16. hujus Capitis exponit: כשהיו עוברות בשוק אצל בחורי ישראל דורסתו ברגלו ורומסתו צד חיבת נואפות כדי להבעיר בו יצר הרע כעכס זה של נחש עכס הוא ארס של נחש h. e. *quando Iſraëlitæ fœminæ juvenibus in platea occurrebant, ſuis calceis eorum pedes tangebant, hoc modo amorem ſuum adulterinum tacite innuentes, pravamque in iis cupidinem, tanquam ſerpentis quodam veneno, excitabant. Nam* עכס venenum *ſignificat* ſerpentis. Quam dilutum hoc ſit, nemo non videt. Præterea notionem *veneni ſerpentis* voci עכס Raſchi temere affinxit. Neque enim hæc in Lingua Biblica, aliave Orientali, nec, quod ſciam, apud ullum veterum Rabbinorum, eo ſenſu occurrit. Quodſi tamen alicubi eo ſignificatu deprehenderetur, recentioris foret uſus, & forte Græcorum *ἔχις vipera*, ortum ſuum deberet. Paulo aliter illud תעכסנה exponitur in *Jalkut Schimoni*, Tom. II. fol. 41. col. 4. אמר ר׳ יצחק שהיו מטילות מר ואפרסמון במנעליהן

ומהלכות

ומהלכות בשוק ירושלים וכיון שמגיעות אצל בחורי ישראל בועטות בקרקע ומתיזות עליהם ומכניסן בהם יצר הרע h. e. *Auctor eſt R. Iſaac, foeminas Hieroſolymitanas myrrham & opobalſamum calceis ſuis immiſiſſe, & in platea appropinquantes juvenibus, ſolo calceos impegiſſe, ut aromatum ſucco hi conſperſi, ad amorem allicerentur.* Easdem nugas etiam apud Abarbanelem, aliosque plures, reperias. Hauſerunt omnes ex Gemara Babylon. Tract. Schabbat f. 62. c. 2. & Joma f 9. c. 2.

Porro alia adhuc expoſitio per Magiſtrorum Commentarios & Lexica paſſim volitat, per עכסים *crepitacula*, vel *tintinnabula, in pedibus geſtata*, ſignificari. Sic Kimchi in libro Radic. הוא חלי שמקשקש שנושאות הנשים ברגליהן h. e. *Vox* עכסים *notat ornamentum tinniens, quod mulieres in pedibus portabant.* Abarbanel: עכסים הם תכשיטי הרגלים עם פעמונים שמקשקשים בהם. *Intelliguntur ornamenta pedum, cum tintinnabulis, quibus tinniebant.* Nec aliter R. Salomo b. Melech. Hujus ſententiæ inter alios Vatablus mentionem facit ad h. l. *Alii*, inquit, *volunt, ornamenta pedum fuiſſe, non abſimilia illis, quibus utuntur mulieres Hiſpanæ, quæ crepidas geſtant cum tintinnabulis, dum ſaltant.* Quodnam vero hujus expoſitionis fundamentum ſit, plane mihi ignotum; ſaltem Interpretes, qui illam tenent, nullum hactenus indicarunt. Franc. Junius, putans, fuiſſe cruralia ornamenta, quibus, utrique cruri alligatis, & catenula connexis, paſſus foeminæ modificarentur, proxime ad noſtram ſententiam acceſſit. Alios Interpretes, qui Judæorum veſtigiis inſiſtunt, omitto.

Radix Arabica עכס *confertur, & enucleatur.*

III. Rectius longe alii Viri Docti, ſequuti, ut videtur, Maimonidem in Commentar. ad Cod. Schabbat, cap. 6. עכסים noſtrum per *compedes*, ſ. *periſcelides*, ad ornatum a foeminis olim geſtatas, reddidere. Quos inter præcipue nominandi Ludov. de Dieu, in Animadv. ad h. l. Cl. Bynæus

næus de Calceis Hebræor. p. 120. Cel. Vitringa in Comm. in Jeſaj. & Cl. Hobeiſel in Obſervationib. Philologico-Exeget. p. 18. Quorum ſententiam ut nos, quoad fieri id poteſt, ex Thematis indole, clarius certiusque demonſtremus, eoque modo in tuto collocemus, Arabicam Dialectum in auxilium vocabimus, quæ ſola Radicis עכס nativam poteſtatem, quam illa olim obtinuit apud Hebræos, aſſervavit. Nam nota admodum, multoque uſu in Arabum ſcriptis protrita, eſt Radix עכס عكس, cujus tamen proprietatem, & varios ac elegantes uſus, cum non ſatis plene & diſtincte tradiderint Lexicographi, eam paulo curatius enucleare operæ pretium duco. Cl. Golius ſic habet: *Invertit, præpoſtere diſpoſuit. Revinxit fune camelum. Lac cum pinguedine miſcuit cibo. Viperæ more inceſſit.* Qui ſignificatus prima fronte perquam & inter ſe diſſonare, & ab Hebræa notione longe abeſſe, videntur. Sed ſi primigenia vis Thematis, & interior indoles, introſpiciatur, amiciſſime conſpirabunt. Quæ autem, quod hic monuiſſe juvabit, non adeo ex Lexicis, ſed bonæ notæ Libris, & antiquioribus potiſſimum Monumentis, eruenda. Princeps itaque & primaria Verbi عكس poteſtas in *flectendi* notione ponenda, Cl. quidem Golio, aliisque, non obſervata. Satis tamen eam declarant quæ Gjeuharius habet: العكس ردك اخر الشي الي اوله עכס *notat, rei extremitatem ad ejus initium reducere.* Id enim nihil aliud eſt ac *flectere*; *inflectere*. Clariſſimum illius poteſtatis exemplum habes in verſiculo, qui occurrit apud Abou-Ishac Zabiæum:

ويعكس عودي بعد مـا كنت مصعدا

Inflexit lignum meum, cum jam rectus in altum ſurgerem.

Phraſis eſt proverbialis, quæ dicit, *proſperam & erectam quaſi meam fortunam depreſſit*. Porro illa *inflectendi* notio, uſu latius ſe extendente, etiam ad *projectionem in latus*, qua quid *proſternitur*, ſeſe porrexit. Ut in Hiſtor. Valid. ويركس المنون ويعكس الجنون *Labara collidit, & copias proſternit*. Diverſo paululum adſpectu Thema عكس etiam *reflectere* notat; quo ſignificatu perſæpe de *ſpeculis* adhibetur, lumen ſuum *reflectentibus* & repercutientibus. Hiſt. Tam. p. 286 ولمعت مرايا اللبوس فانعكس منها ايماض البرق الخاطف *veſtimenta tanquam ſpecula fulgebant, a quibus radiatio, viſum fulguris inſtar occoecans, reflectebatur*. Ebn Tophail in Epiſt. p. 166. كانها صورة الشمس التي تظهر في مراة قد انعكست اليها الصورة من مراة اخري في مقابلة الشمس Interpr. Cl. Pocock. *Erat tanquam ſolis effigies, quæ in ſpeculo conſpicitur, in quod reflectitur ſolis effigies, a ſpeculo alio, ſoli ex adverſo poſito*. Plura hujus uſus exempla idem exhibet Auctor p. 38. 169. & 170. Porro *inflectendi* illa notio, pro copia & divitiis Arabicæ Linguæ, ſuam ditionem ad ipſam *inverſionem* extendit, qua quid capite ſiſtitur; ut apud Ibn Chalecanem: ولما عكس القارورة واصغرها *cum ampullam invertiſſet & evacuaſſet*. Abulfar. in Hiſt. Dyn. p. 116. صلبهما منعكسين *cruci ambos inverſos affixit*. Figurate in Hiſt. Tam. p. 410. ولما عكست اوجالهم احوالهم *cum metus eorum fortunam ſubvertiſſet*. Et p. 385.

اذا

اذا انعكس الزمان علي لبيب
يحسن رايه ما كان قبيحا *

Quando vel cordati viri fortuna ſubvertitur,
Ejus mens, quæ turpia ſunt, putat eſſe pulchra.

Huic ſignificationi, quæ primam in Lexicis ſedem occupat, addit Cl. Golius: *præpoſtere diſpoſuit*; aptius forte, *pervertit*; quæ notio ex præcedenti ſponte emanavit. Sic apud Arabsjad. p. 64. extat راي معكوس *conſilium perverſum*. Et p. 30. انعكاس فكره ودولته *Animus ejus, ſimulque imperii ſtatus, perverſus fuit & perturbatus*. Ex hoc uſu *contrarii* notio adſumta, Grammaticis & Philoſophis protrita, qui præcipue frequentant بالعكس *e contrario*. Hinc in Conj. III. noſtræ Radicis, e Lexicis plane exulante, *contrariandi*, vel *adverſandi*, ſignificatio adoptata. Hiſt. Tam. p. 409. وحلول نقمته بمن يعارضه ويعاكسه *vindicta ejus graviſſima iis incumbebat, qui ei adverſabantur, & ſe opponebant*.

Plures quidem harum notionum figuræ, variique & elegantes uſus, ex Arabum monumentis depromi poſſent. Sed circumcido bene multa. Quare & nolo immorari notioni, quam in V. Conj. obtinere Cl. Golius obſervavit, *convertendi* ſe in *ſpiram*, & quaſi *inflectendi*, viperæ more, capite ad caudam obverſo: unde Cl. Bochartus vocabulum עכשוב, *Aſpidem* notans, haud infeliciter derivavit & illuſtravit, Hier. P. II. lib. 3. cap. 4. Pergo ad alteram primigeniæ iſtius notionis propaginem, ad illuſtrandum עכסים noſtrum maxime facientem, quæ non minus ac illa *invertendi*, ex *inflectendo* enata. Nempe עכס عكس Arabibus quoque denotat, aliquid *vinculo*, per plures *flexus* & *nodos* circumducto, *conſtringere* & *revincire*. In ſpecie uſur-

uſurpatur pro *ligare compede*, quia ea pedi circumtorquetur, & *circumflectitur*; uti mox habebimus مثاني العكس *flexuras compedum*. Hæc notio de *fune* potiſſimum frequentatur, quo *compediri* camelus ab Arabibus ſolet, illum, anteriori jumenti *pedi* alligatum, *flectendo* & *reducendo* ad collum, vel, ut nonnunquam fit, ad rictum, refractarii cameli domandi, & ſubigendi, ergo. Hiſt. Val. ويزبد شدقاه كالبعير ان تعكسها *Ejus labia ſpumabant, inſtar cameli, quando* העכסה *eam compede conſtringis*. Secunda Conj. eundem gerens ſignificatum, qua Lexicon Golianum augeri poterit, apud Safeirium proſtat:

وما اغني الضامرة عن التعكيس

O quam parum eget camela gracilis compede domari!

Hinc derivatum عكاس *compedem* notat. Amri Ibn Zeid:

كما غم العكاس الجوامح

Quemadmodum divexat compes refractarios camelos.

Adde Omarum Ibn Alvard. in libro MS. cui titulus فوايد العجايب وفرايد الغرايب, cap. *de Animal.* ودوه قهر انمكيچون عكاسي اياقلرينه باغلرلر *ad camelum domandum compedem pedibus ejus adſtringunt.* In *Plur. fracto*, quem nemo Lexicographorum annotavit, عُكُسْ Arabes dicunt. Occurrit apud Safeirium:

من يخطر السمر يبطل كحارثة
مدارسات مثاني العكس بالحزام *

Qui

Qui fuſcam quaſſaverit haſtam, fruſtrabitur, ut refractariæ camelæ,
Terentes flexuras compedum ad cingulum ventrale.

Latius tamen hujus vocabuli uſum patere, & non ſolum de *compedibus*, quibus cameli conſtringi ſolent, ſed & de quovis *pedum vinculo* uſurpari poſſe, fidem facit egregius locus in Annal. Bagd. *Quam primum fortiſſimi bellatores cum iis collidebantur*, وقد اخذتهم الدهشة والارتعاش وتراهم للقا الموت متقيدين بالعكاس *hos adeo horror occupavit & tremor, ut quaſi compedibus ad mortem oppetendam detineri & defigi viderentur.*

IV. Inferamus nunc eam lucem, quam Arabica Dialectus nobis affudit, ipſi Themati Hebræo, & locis Scripturæ, in quibus eſt ſuperſtes. Videamus primo de Prov. VII. 22. Verba hæc ſunt: הולך אחריה פתאום כשור אל טבח יבא וכעכס אל מוסר אויל. Agit Sacer Scriptor, ut ex toto conſtat Contextu, de Juvene, qui dolis fallacis adulteræ ſuccumbens, ad exitium ducitur certiſſimum. Veteres Interpretes quomodo hunc locum reddiderint, ſupra jam obſervatum. Recentiorum plerique, quotquot in Themate עכס notionem *compedis* agnoverunt, eum ſic interpretantur: *ſequitur eam ſtatim; ſicuti bos ad mactationem venit; & tanquam in compede*, (ſcil. ducitur a foemina Juvenis;) *ad caſtigationem ſtulti.* Ubi in וכעכס ſubaudiendam particulam (ב) ſtatuunt, quam ellipſin & Cl. Noldius annotavit. Senſus quidem hic non ineptus eſt; ad cujus aliquam illuſtrationem obſervari adhuc poſſet, Orientales phraſin *in compede duci*, admodum de eo frequentare, qui fraude circumventus, ducentem ad interitum ſponte ſequitur. Vid. Hiſt. Tam. p. 264. 334. 360. & Roſar. p. 204. Apposite Horat. Carm. Lib. I. Od. 33.

Illuſtratur Prov. VII. 22.

Ipſum me melior cum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina.

& Lib. IV. Od. 2.

Telephum, quem tu petis, occupavit
Non tuæ ſortis juvenem puella
Dives & laſciva, tenetque grata
Compede vinctum.

Nihilominus ad illam vertendi rationem aliquid monendum videtur. Subdura profecto eſt, quæ ſtatuitur, ellipſis literæ (כ) in וכעכס. Neque ſatis commode hoc ipſum vocabulum ad *Juvenem* refertur, ita ut novam proponat comparationem, unica hac dictione expreſſam. Vide itaque, an utrumque incommodum evitari poſſit, ſi Textum ſic vertamus: *ſequitur eam ſtatim*, (propr. *cum impetu* quaſi *ruente*,) *ſicut bos ad mactationem ducitur*, *idque tanquam firmiſſima & nodoſiſſima conſtrictione.* Sic in voce וכעכס particulam (ו) accipimus *illative* & *explanative*, & litera (כ) non novam inchoat comparationem, ſed *bovis ad mactationem ducti* ſtatum exprimit & conditionem. Utrumque uſum nemo Hebraice doctus ignorat. Vocabulum עכס vero, quod hic *Nomen* eſt *Actionis*, ut Grammatici loquuntur, ad ipſum *bovem* referimus, qui, quum ad mactationem ducitur, *vinculis* ſolet *conſtringi*, ne elabatur, vel refractarium ſe præbeat. Vidimus enim, Arabibus عكس idem eſſe ac *conſtringere* aliquod *jumentum*, ut *ſubigatur*. Totus itaque ſenſus huc redit, *mulierem adulteram allectum illecebris Juvenem adeo firmiter ſuis artibus irretire & illaqueare, ut ab ejus vinculis nunquam ſe liberare, & evadere, queat, ſed triſti, eique certiſſimo, detur exitio.*

V. Ac-

V. Accedamus nunc ad noſtrum עכסים. Conſtat ex ſuperioribus, id haud dubie *Compedes* ſignificare; & quidem non tantum ingrata pedum vincula, ſed &, ob formæ ſimilitudinem, quæ ornatus gratia a foeminis geſtantur. Sic ab Arabibus voces حجل, مسكة, aliæque plures, in utrumque ſenſum adhibentur. Idem & apud Miſchnicos Doctores, nec non Græcos & Romanos Scriptores, uſuveniſſe, ex locis, quos mox producemus, apparebit. Confirmat autem noſtram expoſitionem phraſis Prophetæ vſ. 16. ברגליהם תעכסנה *pedibus ſuis compedes geſtant*. Hinc enim clariſſime conſtat, עכסים omnino ad *pedes* eſſe referendum. In illo ברגליהם *generis enallage* admiſſa, poſito *ſuffixo* הם *maſculino*, pro הן *foeminino*. De *foeminis* enim Prophetæ ſermo eſt, ut ex toto contextu apparet; nec *maſculini generis* nomen, ad quod illud הם commodius referri poſſet, præcedit. *Forerius* ex hoc *ſuffixo* colligit, Prophetam in tota noſtra Pericopa non foeminis, ſed viris, luxum & mollitiem exprobrare. Non autem hoc pacto enallage illa declinaretur; ſed potius in תעכסנה, in תלכנה, quod proxime antecedit, imo ſæpius, eadem, & durior, admittenda foret. Quid? quod ipſe Propheta ſubjectum ſuæ Orationis diſertis verbis indicet, ad initium hujus verſ. 16. dicens: יען כי גבהו בנות ציון *ideo quod ſuperbiant filiæ Tſionis.* Neque magis arridet Cl. Hoheiſelii conjectura, in Obſerv. Philol. Exeg. p. 20. qui verba illa: ברגליהם תעכסנה, ſic vertit: foeminæ *pedibus illorum* (ſcil. Juvenum) *compedes injiciunt*, h. e. foeminæ ſuis illecebris juvenes irretiunt, ut Vir Doctus exponit. Nam, ut taceam, durum eſſe, vocem *Juvenum*, vel ſimile quid, non exigente Textu, hic ſubaudiri, ſolius enallages, non inſolitæ tamen alias Hebræis, evitandæ

Tranſitur ad utrumque Jeſujæ locum.

Digitized by Google

gratia, cuivis locum inſpicienti patebit, ne verbulo quidem Prophetam ſtudia foeminarum de juvenibus irretiendis toto capite tangere, luxus muliebris & nimii ornatus reprehenſioni unice intentum.

Frequens periſcelidum uſus in Oriente.

VI. Hanc vero noſtram ſententiam, de עכסים per *Compedes* exponendis, frequens & antiquus, ac usque ad hodiernum diem aſſervatus, periſcelidum in Oriente uſus non parum, credo, confirmabit. De Hebræis foeminis dubitare nos non ſinunt Miſchnici Doctores, in Tract. Schabbat, Cap. VI. Sect. 4. בירית טהורה ויוצאין בה בשבת כבלין טמאין ואין יוצאין בהן בשבת *Faſciæ crurales* (quibus nempe tibialia, ne deciderent, ligabantur, notante Bartenora) *mundæ ſunt, & licet cum iis egredi in Sabbato; ſed compedes immundæ ſunt, nec eas in Sabbato geſtare licet.* Nempe, ut habetur in Tract. Kelim, Cap. XI. Sect. 8. כל הכשיטי נשים טמאים *omnia, quæ a foeminis ornatus gratia geſtantur, immunda* Magiſtri pronuntiant. Illos כבלים Maimonides recte obſervat, habuiſſe צורת אצעדה *formam* ψελλίς, pedibus applicati. Et Arabice كبل *compes* eſt.

Frequentior tamen *periſcelidum* mentio in Arabum & Perſarum monumentis occurrit, ut quorum major ad nos copia transmiſſa. Abou 'l Ola Mearrenſis, Poëta celeberrimus:

يبعن تراث اباء كرام
ويشرين الحجول والحجالا *

Vendunt bona nobilium patrum,
Emuntque compedes, & ſponſales thalamos.

Annal. Bagd. ثم امر لحجابه لم تدخلوا اليّ جا

جارية الا — وقد تخلخلت بخلخلين *In mandatis dedit ſuis cubiculariis, ne ullam ad ſe intromitterent puellam, niſi gemina compede ornatam.* Quo ornamento conſpicuæ, & mox admiſſæ, puellæ inter alia acclamavit molliſſimus Chalifa:

ترى عطافها يضحي سناء
وتبرق الخلاخل والوشاء *

Videbis tunicam ejus radiatione coruſcam,
Et rutilant aureæ compedes, & veſtes acu pictæ.

Graviter & venuſte Poëta Perſa, in Amorib. Leil. & Mezjn.

چون بيو در دست پيمان درخشيده
جاريه بپاي او خلخل فرخشيده *

Quando ſponſa in nuptiali thoro renidet,
Et puella periſcelide ornata ſaltat.

Peculiare eſt, quod habet Firauzabadius citatus Cl. Pocockio, in Specim. Hiſtor. Arab. p. 154. قال ابن هاشم جفر السيل عن قبر باليمن فيه امراة في عنقها سبع مخانق من در وفي يديها ورجليها من الاسورة والخلاخيل سبعة سبعة *Auctor eſt Ibn Haſchem, torrentem in Arabia Felici ſepulchrum detexiſſe, in quo jacuerit foemina, ſeptem in collo torques habens, margaritis contextos, in utraque manu ſeptem armillas, & in utroque pede totidem periſcelides.* Huc & pertinet Scriptor Græcus, Dionyſius Perieg. de Perſis canens, in Deſcript. Orb. vſ. 1059. ſ.

Χρύσεα τοι κείνων μὲν ἐπὶ χροὶ τεύχεα φωτῶν,
Χρύσεα δ' αὖθ' ἵπποισιν ἐπὶ στομάτεσσι χαλινὰ,
Χρυσῷ δ' ἀμφὶ πόδεσσιν ἐκοσμήσαντο πέδιλα.

Aurea illi homines (Perſæ) *arma corpore geſtant,*
Aurea in oribus equorum frena ſunt,
Aureisque compedibus crura adornant.

Addatur Chares Mitylenæus, ſcriptor rerum Alexandri, apud Athenæum, lib. III. pag. 93. edit. Caſaub. Κατασκευάζουσι δ' ἐξ αὐτῶν ὁρμίσκους τε, καὶ ψέλλια περὶ τὰς χεῖρας, καὶ τοὺς πόδας, περὶ ἃ σπουδάζουσιν οἱ Πέρσαι, καὶ Μῆδοι, καὶ πάντες Ἀσιανοὶ, πολὺ μᾶλλον τῶν ἐκ χρυσίου γεγενημένων. *Ex iis* (ſc. unionibus) *monilia & armillas conficiunt circa manus & pedes, quæ Perſæ, Medi, imo omnes Aſiæ nationes, pluris æſtimant, quam quæ ex auro conficiuntur.* Nam ψέλλια *pedum* nihil aliud ſunt quam *periſcelides.*

Nec hodierno die periſcelidum uſum Orientalibus ignotum eſſe, Cl. Golii, per Orientem peregrinati, teſtimonium, a Cl. de Dieu, in Animadv. ad Jeſaj. III. 17. relatum, dubitare nos ſinit.

Nec Græcis ignotus. VII. At non intra ſolos Orientis fines mos geſtandi compedes, ſe continuit, ſed in Græciam quoque emanavit. Nempe, ut ſequentia pluribus docebunt, magna luxus & veſtium Orientalium pars ex Perſia ad Græcos perlata. Quod & Athenæus Deipnoſ. Lib. XII. p. 527. agnoſcit, & Critiae teſtimonio confirmat. Unde non omnino nulla periſcelidum fit mentio apud Græciæ Scriptores. Clemens Alexandr. Pædag. lib. II. Philemonis adducit fragmentum ex Synephebo: Πέδας δὲ περισφυρίους τὴν περὶ τοὺς πόδας ἀκοσμίαν τῶν γυναικῶν, Φιλήμων ἐν Συνεφήβῳ προσεῖπεν.

Ἱμάτια διαφαίνοντα, καὶ πέδην τινὰ
Χρυσῆν.

Veſtes

Veſtes pellucidas, & compedes quasdam
Aureas.

Ubi notandum, quod hic ipſe Clemens compedes intelligat περιφυρίας, *crus ambientes.* Idem paulo poſt adducit & Nicoſtratum Comicum:

> Ἁλύσεις, καθετῆρας, δακτυλίους, βυβάλια,
> Ὄφεις, περισκελίδας, ἐλλέβορον. ——

> *Catenas, monilia, annulos, armillas,*
> *Anguiculos, periſcelides, elleborum.*

Utriusque Comici locum reſpicere videtur Julius Pollux, Onomaſt. lib. V. cap. 16. ſegm. 100. Καὶ πέδην, καὶ περισκελίδας, ὡς καὶ Φιλήμων, καὶ Νικόστρατος, οἱ κωμοδιδάσκαλοι. *Compedem, & periſcelides, quas & Philemo, ac Nicoſtratus, Comicorum Magiſtri, memorarunt.* De Menandro idem Pollux lib. II. cap. 4. ſegm. 194. Μένανδρος δὲ καὶ περισκελίδας εἴρηκε φορεῖν τὰς κόρας. *Menander etiam periſcelides a puellis geſtari docet.* Ariſtophanes in Theſmophor.

> Ὅρμους, πέδας, σφραγίδας, ἁλύσεις.

> *Monilia, compedes, ſigilla, catenas.*

Nec prætereundus Plutarchus in Præcept. Conjug. Opp. Tom. II. p. 142. Ταῖς Αἰγυπτίαις ὑποδήμασι χρῆσθαι πάτριον οὐκ ἦν, ὅπως ἐν οἴκῳ διημερεύσωσι· Τῶν δὲ πλείστων γυναικῶν ἂν ὑποδήματα διάχρυσα περιέλης, καὶ ψέλλια, καὶ περισκελίδας, καὶ πορφύραν, καὶ μαργαρίτας, ἔνδον μένουσι. *Aegyptiæ mulieres majorum inſtituto calceis non utebantur, ut domi meminiſſent tempus exigendum. Hodie, ſi aureos calceos, armillas, periſcelides, purpuram, & uniones, auferres, domi pleræque eſſent manſuræ.* Hujusmodi compedes in animo habuiſſe videtur Clemens Alexandr. Pædag. Lib. II. Οὐκ ἴσασι τὸ

πλημ-

Digitized by Google

πλημμέλημα οἷον ἐςὶ, δεσμὰ ἑαυταῖς περιθεῖσαι πλούσια μυρία· Καθάπερ καὶ παρὰ τοῖς βαρβάροις φασὶ δεδέσθαι τοὺς κακούργους χρυσίῳ· Τούτους ἐζηλωκέναι δοκοῦσί μοι αἱ γυναῖκες τοὺς δεσμώτας τοὺς πλουσίους. *Non intelligunt, quantum in ſe delictum admittant, ſe innumerabilibus pretioſis vinculis alligantes, quemadmodum maleſici homines auro apud barbaros vinciri feruntur. Captivos hos divites mihi videntur æmulari mulieres.* Alludit ad Perſarum morem, captivos nobiliores aureis vinciendi compedibus; qualibus ab Artaxerxe Cyrum fratrem, Juſtinus lib. V. c. 12. & a Beſſo Darium Perſarum Regem, oneratos eſſe, Curtius lib. V. c. 11. teſtantur. Vid. & Herodot. lib. III. c. 23. & Ammianus Marc. lib. XXVII. c. 26. Similiter & Gregor. Nazianz. in Epigrammate, quod habetur Opp. T. II. p. 171. compedes, foeminarum ornamenta, δούλων ἔυχος, *captivorum decus*, appellavit. Addendus denique Herodotus de Adyrmachidis, Libyum natione, in Melpom. cap. 168. Ἐσθῆτα φορέουσι οἵηνπερ οἱ ἄλλοι Λίβυες· αἱ δὲ γυναῖκες αὐτῶν ψέλιον περὶ ἑκατέρῃ τῶν κνημέων φορέουσι χάλκεον. *Veſtem geſtant, qualem & alii Libyes, ſed uxores eorum in utroque crure armillam æneam.*

Neque Romanis. VIII. Ex Græcia in Latium evolaſſe compedum uſum non eſt mirum. Apud Romanos enim ſolutiores maxime mulieres iis delectabantur. Horatius lib. I. Epiſt. 17, 56.

> *Nota refert meretricis acumina, ſæpe catellam,*
> *Sæpe periſcelidem, raptam ſibi flentis.* ——

Ad quem locum optime vetus Scholiaſtes: *Periſcelides ornamenta ſunt, vel circuli aurei, crurum muliebrium.* Addatur Plinius lib. 33. cap. 5. *Argentum ſuccedit ex re aliquando & auro, luxu foeminarum plebis compedes ſibi ex eo facientium, quas induere aureas mos tritior vetat.* Pertinet huc & Manilius lib. V.

Per-

Perque caput ducti lapides, per colla manusque,
Et pedibus niveis fulſerunt aurea vincla.

Tertull. de Cultu Foem. p. m. 416. *Neſcio an crus de periſcelio in nervum ſe patiatur artari.* Cyprianus de hab. Virg. p. 101. *Sint a compedibus aureis pedes liberi.*

IX. Pauca adhuc de periſcelidum forma & materia obſervanda reſtant. Sunt nimirum laminæ, unum, duosve, vix plures, digitos latæ, figuræ orbicularis, non tamen continue in orbem redeuntes, ſed, quia crus ſtrictius ambiunt, ab aliqua parte apertæ, ad unam extremitatem orbiculo, ſeu fibula, ad alteram unco, qui fibulæ innectitur, gaudentes. Non autem compede tali pes pedi adſtringitur, greſſus moderandi ergo, ut quidam Rabbini, Cl. Junius, aliique, exiſtimant, ſed ſingula compes ſingulo pedi ſeorſim adaptatur, intra ſuram & talos, nec una alteri cohæret. Ad materiam periſcelidum quod attinet, ſolent apud Orientales, pro mulierum fortunis, ex auro, argento, nonnunquam ex ebore, vel oſſe teſtudinis, ut Gjeuharius in voce مسكة annotavit, fabricari. A Perſis quoque compedes ex margaritis, in filum conſertis, olim geſtatas eſſe, ex loco Athenæi, ſuperius adducto, conſtabit. *Forma & materia periſcelidum.*

C CA-

CAPVT II.

Probatur שביסים eſſe *Soliculos*, *ſ. bullas ad ſolis imaginem efformatas.*

I.

Quid veteres hic exhibeant Verſiones.

Cum vocabulum שבים non niſi unico hoc loco occurrat, &, ut recte ait Aben-Eſras, אין לו אח *non habeat fratrem*, i. e. nulla alia proſtet apud ſacros Scriptores Hebræos dictio, easdem habens cum illa literas radicales, & præterea illa vox ex uſu & memoria recentiorum Judæorum plane exciderit, non indigna hæc profecto fuit, in qua Eruditorum cura & induſtria ſe exerceret. Apud Veteres Interpretes nihil quoque reperitur, cujus fundamentum in aprico collocari queat. LXX. habent τὰ ἐμπλόκια, *opera implexa*, vel, ut alii volunt, *reticula*. Vulgat. *Lunulas*, quæ tamen vox tranſpoſita videtur cum ſequenti *torques*; nam שהרנים *Lunulas* denotare, manifeſtius eſt. Quo usque autem *torques* admitti hic poſſint, mox apparebit. Ex Chaldæo ſapere hic non datur, qui, retenta voce Hebræa, adjectaque terminatione Chaldæorum, שביסיא expreſſit. Syrus exhibet ܙܒܠܗܝܢ, & Arabs, زينتهن *ornatum earum* mulierum. Sed utraque hæc Verſio, ex corruptis Alexandrinæ Codicibus adornata, ab imperitis tenebrionibus adeo hic eſt interpolata, ut, quænam vox cuivis Textus Græci, nedum Hebræi, dictioni reſpondere debeat, vix, & ne vix quidem, intelligi poſſit; uti vel inde patet, quod major veſtium & ornamentorum numerus in Verſionibus, quam in ipſo Textu, compareat.

Rabbinorum de hac

II. Hebræorum Magiſtri recentiores, quos mihi hactenus

nus inſpicere licuit, ad unum omnes, lucem vocabulo שביסים affuſuri, & ejus originem patefacturi, in ſubſidium Radicem שבץ vocant, quæ notat, *opus fecit teſſellatum*, quemadmodum de tunica ſummi Sacerdotis Hebræorum legitur: ושבצת הכתנת שש *teſſellatam facies tunicam byſſinam*, Exod. XXVIII. 39. unde כתנת תשבץ *tunica teſſellata*, vel *ocellata*. Hinc per noſtrum שביסים veſtimentorum quoddam genus, *teſſellis*, vel *ocellis* diſtinctum & variegatum, intelligunt. Ita Kimchi in Libro Radicum: שם לבגדים עשוים במלאכת תשבץ ואם זה בסמ״ך וזה בצ״די ענינם אחר *Eſt nomen veſtium, confectarum opere teſſellato, quamvis enim* שבץ *per Tſade*, שביסים *vero per Samech ſcribatur, eodem tamen hæ duæ voces ſignificatu gaudent*. Iisdem fere verbis uſus R. Salomo ben Melech in Comment. ad h. l. Similiter R. Jehuda Arjeh in Ohole Jehuda fol. 41. c. 3. השביסים עדי נשים מעשה תשבץ *eſt ſpecies ornamenti muliebris, opere teſſellato confecti*. Plures adducere tædet, nam alter alterum, ut ſolent, exſcripſit. Eos ſequuti Junius & Tremellius per *ocellata opera*, Cl. Coccejus per *ocellata*, alii per cognatam vocem, noſtrum שביסים reddidere. Sunt tamen aliqui Rabbinorum, qui, ſpecialius quid daturi, & veſtimenti genus, quod ſecundum ipſos שבים appellatum, determinaturi, *vittas* attulere *ocellatas*, neſcio quo fundamento, cum Thema שבץ in Sacris non niſi de *Tunica* adhibeatur. Sic Raſchi: מיני שבכה לתכשיטי ראש *intelligitur ſpecies operis reticulati, quo pro ornando capite utebantur*. Plenius Abarbanel: בתי הראש מעשה של משי או של פתיל זהב שהנשים חובשות בהן את ראשיהן והם מלאכת תשבץ *Fuerunt* שביסים *capitis tegumenta, ex ſerico, vel aureo filo, opere confecta teſſellato, quibus fœminæ caput circumligabant*. Paulo

voce ſententia, & qui eos ſequuti.

lo aliter habent Commentatores Miſchnici in Tract. Kelim cap. 28. ſect. 10. ubi quidem ipſum vocabulum שבים occurrit, ſed non tamen ex ipſo Textu intelligi poteſt, quale ornamentum per illud ſignificetur. Verba hæc ſunt: שבים שלה טמא בפני עצמו החוטין שלה טמאין משום חבור *Ornamentum foeminæ* שבים *dictum immundum eſt propter ſe ipſum, & fila ejus quoque immunda ſunt propter conjunctionem.* Ubi Maimonides: הוא כלי מחובש בו למעלה לנוי . . . והוא דומה למראה הזהב *notat aliquod ornamentum, quod veſti ſuperius alligatur, habetque ſpeciem auri.* Obſcure admodum. Sed Bartenora ita habet: שבים שלה ציור שעושין על הסבכה לנוי עומד על מצחה ומקיף מאזן לאזן שהוא עשוי להסירו משם ולתת אותו בסבכה אחרת h. e. שבים *notat ornamentum picturis inſignitum, quod decoris ergo vittæ adponebatur, & fronti applicatum ab una aure ad alteram pertingebat; ita factum ut ab una vitta removeri & alii apponi poſſet.* Illorum, qui per שביסים *vittas* ſ. *ornamenta capitis* intelligunt, veſtigiis inſiſtentes, Ill. Grotius, *vittas ocellatas*, Cl. Guſſetius *reticula capitis*, & Turcicus meus Interpres MS. اغلو ياشغلري *reticulatas vittas*, exhibuerunt; forte & eo inducti argumento, quod *teſſellatum* fere *retis* figuram exprimat, Latinis autem muliebre capitis ornamentum & *reticulum* appelletur. Obſcurum, quid Forſterus intendat per ſuas *rotulas*, ſeu *circulos*, & *circumcluſiones*. Nempe Thema שבץ, ad quod & ipſe reſpexit, ei eſt: *in rotundum arctiores introrſum circulos facere, ornatus gratia.* Bartenoram, quem mox exhibuimus, preſſius ſequitur Varenius, exhibens *ornamenta, vittis ad frontem adjuncta, & ab una aure ad alteram pertingentia.* Singularem quoque ſententiam fovet Cl. Hoheiſel in Obſervat. in Jeſaj. p. 26. exiſtimans, vocem שביסים non de *reticu-*

latis

latis vittis, ſed de *quodam calceamentorum genere reticulato* eſſe intelligendam; quoniam probabile non ſit, Prophetam uno eodemque verſu ab ornamento pedum ad ornamentum capitis aſcendiſſe, & ab hoc ad pedes ſtatim deſcendiſſe. Supponit nimirum Vir Doctus, ſubſequentes שהרנים pedibus fuiſſe adplicatos, quam opinionem proximo Capite modeſto examini ſubjiciemus.

III. Huic Rabbinorum quorumcunque, multorumque noſtratium Virorum Doctiſſimorum, ſententiæ, nempe vocabulum שביסים ad Radicem שבץ pertinere, ſubſcribere nullus dubitarem, niſi aptius & plauſibilius quid me allaturum ſperarem. Neque etiam nullis ea premitur incommodis. Nam *primo* ſubdura, & paucis exemplis confirmata, videtur illa τȣ̃ (ץ) in (ס) transmigratio, quam, ſpecie ſæpiſſime fallente, non admittendam cenſerem, niſi ipſa neceſſitate huc invitante, atque ſignificatuum convenientia ex Radicum indole, vel Derivatorum affinitate, jamjam perſpecta. Verum *ſecundo* Thema שבץ tantum de artificioſa *panni* præparatione in Sacris adhibetur, qua nempe teſſellis, vel quadratis lapillis, ei intextis, diſtinguitur, & variegatur; & תשבץ, quocum שבים noſtrum conferri vellent, *Nomen* eſt *Actionis*, ut Orientalium Grammatici loquuntur. Unde & Nomen, ab hac Radice שבץ derivatum, certam veſtis vel ornamenti ſpeciem commode deſignare non poteſt, ſed aptius cujuſcunque veſtimenti præparationem, vel conditionem, ſeu, ut ita dicam, affectionem, exprimeret. Quare etiam ubicunque id thema de veſtibus uſurpatur, aliud nomen, certam veſtimenti ſpeciem deſignans, ſibi habet adjunctum: quemadmodum intelligere eſt ex כתנת תשבץ *tunica teſſellata*, Exod. 28: 4. & ex שבצת הכתנת *tunicam facies teſſellatam*. Si itaque vocabulum aliquod שביץ, vel cujuſcunque alius formæ Derivatum ejuſdem Radicis, ſolum, ſine adjuncto alio nomi-

Quæ expenditur.

Digitized by Google

ne, certum veſtimenti genus exprimente, poneretur, ſignificatus maneret vagus admodum, &, ut Logici ajunt, indeterminatus. Hæc vera cauſa eſt, ejus, quem obſervavimus, Interpretum diſſenſus, omnium licet ad unum idemque thema שבץ recurrentium, ſed, ut non poteſt non fieri, in determinanda ornamenti ſpecie, ulterioris conjectationis fluctibus ſe committentium. Sentientes defectum hunc aliqui, probare inſtituerunt, verbum שבץ ad certum & ſpeciale quoddam veſtimenti genus fuiſſe reſtrictum & determinatum, ex loco 2 Sam. 1: 9. ubi habetur אחזני השבץ, quem vertunt: *detinet me oceliata chlamys.* Sed admodum incommode, ſi quid video. Narrat ibi Amalekita quidam Davidi, Saulem Regem, ad extremam conſternationem & deſperationem adductum ob amiſſum prælium, ſibi dixiſſe: *ſurge & occide me, nam* אחזני השבץ. Chlamys certe Saulem impedire non poterat, quo minus ipſemet telum in pectus adigeret. Unde aptius Cl. Coccejus per *vertiginem*, Schmidius per *tremorem* illud vocabulum שבץ exponunt. Obſervo, Arabibus thema שבץ شبص notare *perplexum eſſe*, & *horrore obrigeſcere*; unde æqui arbitri non detrectabunt, in adducto Samuelis loco, agnoſcere & admittere *horrorem membra rigidantem*; ſecundum illud Poëtæ, Aen. III. 259.

— — gelidus formidine ſanguis
Deriguit. — — —

Is mentis horror, is membrorum rigor, quem forte non niſi expertus conceperit, adeo penitus potuit Regem, una cum toto Regno, in extremo periculo poſitum, pervadere, ut dejecta proſtrataque brachia ne quidem attollere, nedum, prehenſo ferro, contra pectus vertere valeret. Obiter moneo, ex primigenia Radicis שבץ notione, quam Arabes aſſervant, &, ut dictum, in *perplexo* ponunt, eam,

quæ

Digitized by Google

quæ in Sacris noſtris proſtat, profluxiſſe; quod tamen pluribus nunc non evolvemus.

IV. Silentio conatum Cl. Caſtelli involvere nequeo, qui in Lex. Heptagl. dictionem שבִים conferri jubet cum Arabico سبج vel سبيج שביג, notante *indusium manicis carens*. Sed calculum adjicere nequeo, quia hactenus nullum evidens mihi exemplum ſe obtulit, ubi (ס) in (ג) ſeu (ج) transmigrarit. Taceo quod illud vocabulum سبيج peregrinæ & recentioris ſit originis, a Perſarum سبه vel سبي adſumtum; quod & Cl. Golius annotavit. Non itaque omne quod Arabia affert æque aptum. *Cl. Caſtelli ſententia.*

V. Sed tempus nunc eſt, quid ipſe ſentiam de hoc vocabulo, tantis difficultatibus obſtructo, aperiendi. Diu, fateor, ambiguus hæſi, nec, huc illuc fluctuatus, aliquid habui certi, &, quod mox figebam, mox refixi. Tandem aliquando poſt alia, quæ tamen omnia minus ſe commendabant, in mentem venit, poſſitne noſtrum שבִים ipſiſſimum eſſe Arabum شميسة שמִיסה, quod derivatur a voce شمس שמס, Hebr. שמש *Sol*, & *Soliculum* denotat, *bullamve ſolarem*, ſ. *monile colli*, *cujus bulla ad ſolis imaginem efformata.* Ea originatio mihi, licet reluctanti ſtatim, mox magnopere arriſit; dein, diu & multis modis examinata, aliiſque ſententiis comparata, tandem, argumentis ſucceſſive ſe offerentibus, palmam tulit. Sedeant judices, velim, quotquot utriusque Linguæ, Hebrææ & Arabicæ periti, an merito id factum? Inquirant, rogo, utrum ſecemus Gordium hunc nodum, an ſolvamus? *Noſtra proponitur.*

VI. Meum erit, ſic poſiti calculi rationes in medium proferre; quod nunc aggredior. Cum rei cardo in eo verſetur, an שבִים & شميسة voces ſint origine eædem, & hinc unum eundemque gerant ſignificatum, hoc autem ex literarum radicalium convenientia, ſeu identitate potius, dijudicetur, videamus ante omnia, quousque utrius- *Et probatur, primo:*

utriusque vocis elementa conſpirent, & ſibi invicem reſpondeant. Vix opus eſt ut moneam, literas primas (ש) & (ش), ut & ultimas radicales (ם) & (س) adeo amice convenire, ut non dentur aliæ, quæ ſibi commodius & exactius reſpondere poſſint. Ad literam (י) & (ي) qua, ut cuivis apparet, utraque vox gaudet, tenendum, eam ſolere Arabes interponere Nominibus, poſt ſecundam, & ante tertiam, radicalem literam, tanquam notam ejus formæ, quæ Grammaticis *Diminutiva* appellatur. Ut enim a قمر *Luna*, قمير *lunula*; a رمح, *haſta*, رميح, *haſtula*; a ظفر *unguis*, ظفير *ungula*; &c. Sic & a شمس *ſol*, شميسة *ſol parvus*, *ſoliculus*, formatur. Reſtant literæ (ב) & (م) conciliandæ, quas non poſſum diffiteri eſſe diverſas. Sed dico, hoc (م), quod eſt originale, in illud (ב) ut literam vicinam, transmigraſſe. Hæc unica eſt, quæ ſententiam noſtram premere poſſet, difficultas. Eam itaque ut ſuperemus, danda nunc opera. Fateor hanc literarum permutationem duriuſculam, & remotam nimis, primum intuenti, & in philologicis derivationibus minus verſato, apparituram. Cum tamen hac ipſa inflexione nulla fere frequentior ſit, nulla protritior, ob ſæpiſſimam literarum labialium, ſeu בומף, permutationem. Ut tamen ſententiæ, quæ forte videbitur, audaciam denſis ſuſtineam phalangibus, ejus transmigrationis exempla pleno hic modio accumulare lubet. Pro Hebræo זמר *putare vitem*, Arabes ſonant زبر זבר; בחן *probavit*, propr. *trivit*, cum محن מחן; uti & בחר *emedullavit*, & hinc, *elegit*, cum مخر מחר; intimam colunt affinitatem. Ita porro Arabes pro مرس *maceravit aqua*, frequentant etiam برس; pro مشق *verberavit*, بشق;

pro

pro بغر *madefecit terram* pluvia, مغر; pro مهل *libere duxit* pecus, بهل; pro بها *nituit, canduit-ve*, مها; ita pro سبد *abraſit comam*, uſurpant quoque سمد; pro اغبط *diu inhæſit morbus*, اغمط; pro كبح *adducto freno ad ſe traxit* equum, كمح; pro زمرد *Smaragdus*, زبرد, vel زبرجد; item pro زردب *ſtrangulavit*, enuntiant etiam زردم; pro كعسب *cucurrit, fugitve*, كعسم; pro حصلب *pulvis*, حصلم; pro حثلم *amurca olei*, حثلب; pro ثلم *rupit in ora*, ثلب; pro رجم *impetiit maledictis*, رجب; pro يشب *Jaſpis*, legitur يشم, apud Saadjam, Exod. 28: 20. & in Hiſt. Tamerl. p. 417. & 423. Nec ab aliorum idiomatum genio earundem literarum permutatio abhorret. Ita Græci dicunt μυρσίνη & βυρσίνη; μέλλειν & βέλλειν; ἐπιςομεῖν, & ἐπιςοβεῖν; pro Γοβελίται Stephanus habet Γομελίται; & ἀμφίσβαινα, teſte Heſychio, λέγεται καὶ τοῦ Μ. ἀμφίσμαινα. Sic Latini *promuſcidem* efferunt pro *proboſcide*; & pro *Cumamum* dixere veteres *Cubabum*. &c. &c. Sufficiant hæc, ne omnia cum pulviſculo, quod ajunt, corradere videamur.

VII. Neminem nunc dubitaturum puto de frequenti *Secundo.* literarum (ב) & (מ) apud Hebræos & Arabes permutatione. Unum tamen, & forte non immerito, dubium opponi poſſe videtur. Nempe ex toto illo exemplorum agmine, quantumvis magno, nondum certo concludi poſſe, eandem transmigrationem & in noſtro שביסים olim eſſe factam. Tentabo itaque, an & hunc ſcrupulum eximere, & aliquatenus ſaltem probare valeam, eam literæ (מ) in (ב) trajectionem etiam in ipſa voce שבים admittendam eſſe. Equidem aut valde fallor, aut maximum

huc momentum affert, inſignis Plinii locus in Hiſtor. Natur. Lib. XII. cap. 14. ubi de thure Arabiæ: *Thus collectum*, inquit, *Sabotam camelis convehitur. --- --- Ibi Decimas Deo, quem vocant* (ſcil. Arabes) *SABIS*, *menſura, non pondere*, *Sacerdotes capiunt*. Quodſi jam probari poſſit, per hunc Deum, *SABIS* dictum, *SOLEM* eſſe intelligendum, inde procul dubio, non ſine multa veri ſpecie, colligi poterit, (quia expreſſe ait Plinius, ipſos *Arabes* eum *SABIS* vocare) quod jam ab antiquiſſimis temporibus, in hac præciſe voce, ea literæ (M) in (B) transmigratio apud ipſos Arabes habuerit locum. Eſſe autem per Deum *SABIS*, ad cujus templum thus convehatur, non alium quam *Solem* intelligendum, admodum probabile fit ex parallelo Theophraſti loco, qui cum Plinio hic omnino conferendus erit. Habetur ille in Hiſtor. Plantar. lib. IX. cap. 4. ubi ait: Ἔλεγον δ' ὗτοι καὶ τόδε καὶ ἔφασαν ἀκύειν, ὅτι συνάγεται πανταχόθεν ἡ σμύρνα, καὶ ὁ λιβανωτὸς εἰς τὸ ἱερὸν τὸ τοῦ ἩΛΙΟΥ. τοῦτο δ' εἶναι μὲν τῶν Σαβαίων, ἁγιώτατον δὲ πολὺ τῶν περὶ τὸν τόπον. h. e. Interprete Gaza: *Illud quoque iidem ſe audiviſſe dixere, myrrham thusque collectum undique ad SOLIS delubrum convehi, quod Sabæorum eſſet ſanctiſſimum inter omnia regionis.* Non eſt quod dubitemus, per *SABIS* Plinii *Solem* intelligi, ut qui ſummum erat Arabum Sabæorum numen. Neque errabo forte, ſi hinc porro concludam, ipſos Arabes jam olim pro شمس *ſol*, vulgo pronuntiaſſe شبس *ſabs*, quod Plinius per *ſabis* expreſſit, & hinc in *Diminutiva* forma dixiſſe شبيس vel شبيسة *ſol parvus*, unde tandem שבים Jeſajæ originem ſuam traxit. Sic itaque dubium illud ante memoratum, nempe non eſſe ſtatuendam facile literæ (מ) in (ב) mutationem, niſi in vocibus, de quibus nobis certo conſtet, ita ſublatum eſt, ut ſimul novum inde pro noſtra ſententia argumentum exſurgat.

VIII.

VIII. Quod tamen ipſum magis confirmabitur & adſtringetur, ſi obſervemus, quod nullum ſit dubium, quin Hebrææ foeminæ, una cum idololatrico cultu Solis, (quem jam ante Jeſajæ ætatem Iſraëlitas a vicinis Arabiæ populis accepiſſe, ex ipſa S. Scriptura conſtat) ſimul etiam bullas ad Solis imaginem expreſſas, ab iisdem Arabibus mutuarint, ſuoque ornatui inſeruerint. Ab horum enim foeminis ejusmodi bullæ frequenter, &, ut probabile eſt, ad hodiernum usque diem, geſtari ſolent. Unde non raro illarum ſit mentio in Orientalium monumentis. Præmonendum vero, illum ſignificatum *bullæ ad Solis imaginem efformatæ* non tantum in *Diminutivo* شميسة, quod Cl. Golius in Lex. annotavit, ſed & in *Primitivo* شمس apud Arabes obtinere. Huc ſpectant quæ Gjeuharius habet: الشمس ضرب من القلايد שמם Sol *eſt ſpecies quædam monilis.* Et Zamachſcharius in Lex. Arab. الشمس والشموس معاليق القلادة שמם Sol, & *in Plur.* שמום Soles, *etiam notat bullas quæ monilibus appenduntur.* Exhibeamus nunc ejus uſus aliqua exempla. Saſcirius: *Tertio.*

فتري الشموس تعطلت من صدرها
فتري لها في عنقها البتارا *

Videbis ſolares bullas de ejus pectore dereptas,
Et ſecantem gladium ejus collo imminentem.

Ubi Scholiaſtes, qui totum hunc verſum figurate exponit de extrema miſeria & paupertate, quæ ſuperbam & luxui deditam mulierem manet, & inſtar gladii acuti imminet, non tantum ad prioris phraſeos illuſtrationem aliud Arabum

proverbium adducit, لا بد لصبلة من دفع الشمس *Omnino Zeblæ abjicienda eſt bulla ſolaris*, a nobili quadam ſed infelici Arabe foemina ortum ducens; ſed & exactam ſatis ejuſmodi bullæ ſolaris deſcriptionem nobis ſuppeditat, quam hic Arabice exhibere, ut illius figura cognoſcatur, operæ pretium duco: والشمس هي صنف من اصناف الحلية من ذهب او من فضة وهي كصفيحة مستديرة قد نقشت فيها صورات لطيفة وتخرج منها اشعة سنينة وربما تدارها دايرة من ذهب كمثل طغاوة الشمس h. e. *Bulla Solaris eſt quoddam genus monilium colli, ex auro vel argento confecta, quaſi ex lamina rotunda, in qua elegantes figuræ cælari ſolent; ex ea radii quoque egrediuntur acuti, quos nonnunquam circulus circumdat aureus, halonem Solis repræſentans.*

Pergo ad aliud teſtimonium, quod mihi ſubminiſtrat Auctor Annal. Bagd. وارسل اليها نايبه يهنيها بالملك وبعث لها جامكية من جواهر والشمس من مهاة وخلعات فاخرة *Ad eam Vicarium ſuum ablegavit, qui ei de regno gratularetur, ſimulque gemmas, & bullam ſolarem ex cryſtallo confectam, atque pretioſas chlamydes, in donum transmiſit.* Ubi obiter obſervo, voculam جامكية, quæ hic comparet, Lexicographorum Arabum induſtriam penitus effugiſſe videri. *Donum* eam ſignificare conſtat ex Hiſtor. Tamerl. p. 62. ubi ejus proſtat Plural. جوامك. Etiam *ſtipendia militum* denotat apud Bohadinum, in Hiſtor. Salad. p. 262.

Nec omittendus Hafedh, Poëtarum, quos Perſia tulit, elegantiſſimus:

--- --- --- --- كشيدم ابلق چشم
بسان اميد كه ان شمس وار بـاز ايـد *

Ocu-

Oculum albo nigroque colore variegatum extendi,
Sperans, fore ut amaſia, bulla ſolari ornata, revertatur.

Idem alibi ita canit:

پيري پيكر ولاله رنك رسد در فردوس
وبر ديباجش شمس بود چو جهان سوز *

Facie angelica, & tulipæ inſtar rubicunda, ad hortum venit,
Et in tenerrimo ejus collo ſolaris erat bulla, ſplendens ſicut ipſum mundi lumen.

Quæ loca ſimul nos condocent, quanti Orientales faciant ſolares haſce bullas, eas pro parte habentes muliebris ornatus inſigniori. Puto tamen & a viris illas eſſe geſtatas, forte ex ſuperſtitione & ominis cauſa. Sic Tabarius Hiſtor. Vol. III. de antiquo & pagano quodam Arabiæ Rege:

ودوينده اصلمش شميسه رهين قومغنچون نزع اندي

Bullam ſolarem collo appenſam detraxit, & pignori oppoſuit. Perſiæ autem Reges in diebus ſolemnioribus cidari talem Solis imaginem imponebant, ut refert Nuveirius, apud Cl. Golium in notis ad Alfrag. p. 25. وكان مذهب الفرس فيه ان تدهن ملوكهم بدهن البان تبركا وان يلبس القصب والوشي ويتوج بتاج عليه صورة الشمس وحجلتها الدايرة عليها *Mos Perſarum in eo feſto fuit, ut ipſorum Reges balanino oleo in benedictionem ungerentur; Ipſe Rex ſubtilem & variegatam veſtem induebat, ac cidarim capiti imponebat, imagine Solis conſpicuam, quam orbiculus circumdabat.* Ab iisdem Perſis Regibus, in exercitu verſantibus, Solis imago, ut Lunæ hodie apud Turcas, tentoriis imponebatur; ut refert Curtius Lib. III. cap. 3. *Super tabernaculum, unde ab omnibus conſpici poſſet, imago Solis cryſtallo incluſa, fulgebat.* Etiam hæc uſum frequentem imaginum ſolarium apud veteres Orientales probant.

Quarto. IX. Denique noſtræ vocis שביסים explicationi non leve pondus addere videtur, quod proxime ſequatur dictio שהרנים, quam *Lunulas*, ſ. bullas *lunæ* imaginem referentes, denotare, mox oſtendemus. Quemadmodum igitur Sol & Luna ordinarie conjunguntur, ita tamen ut ille præcedere, hæc ſequi, ſoleat; ſic etiam Jeſajas primo ad *Solis*, dein ad *Lunæ*, imaginem efformatas bullas, quam aptiſſime & commodiſſime conjunxit, eoque ordine, quo alias nomina illa collocantur, diſpoſuit. Cujus rei cauſa non tantum loci & officii amborum ſiderum affinitas eſt, ſed & par cultus, quem idololatricæ gentes non niſi ſimul & Soli & Lunæ exhibuerunt. Vid. Deut. IV. 19. XVII. 3. &c. Imo utrumque hoc ſidus pro primariis ſuis numinibus habuere. Diodor. Siculus de antiquis Aegyptiis lib. I. Τοὺς κατ' Αἴγυπτον ἀνθρώπους τὸ παλαιὸν γενομένους ἀναβλέψαντας εἰς τὸν κόσμον, καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν καταπλαγέντας, καὶ θαυμάσαντας, ὑπολαβεῖν, εἶναι δύο θεοὺς ἀϊδίους τε καὶ πρώτους, τόν τε ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην. Vid. & Euſeb. in Demonſtr. Evang. & Suidas in Δόγματα. De Arabibus idem fere refert Philoſtorg. θύουσιν ἡλίῳ, καὶ σελήνῃ, καὶ δαίμοσιν ἐπιχωρίοις. *Sacrificant Soli & Lunæ & indigenis dæmonibus.* Et cum mox apud paganas haſce gentes mos invaluerit, ſuos deaſtros imaginibus exprimendi, & quaſi repræſentandi, nihil iis fuit pronius, frequentius nihil, quam Solis & Lunæ, tanquam præcipuorum σεβασμάτων, figuram exprimentes imagines efformare. Quam in rem notabilis extat locus apud Cedrenum in Compend. Hiſt. p. 325. edit. Venet. ubi de Heraclio, fuſis Perſis, Gazacum urbem occupante: Ἐν ᾗ ὑπῆρχεν ὁ ναὸς τοῦ πυρός, —— καὶ εἰσελθὼν εὗρε τὸ μυσαρὸν εἴδωλον τοῦ Χοσρόου, τότε ἐκτύπωμα αὐτοῦ ἐν τῇ τοῦ παλατίου σφαιροειδεῖ στέγῃ, ὡς ἐν οὐρανῷ, καθήμενον, καὶ περὶ τοῦτο ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ἄστρα, οἷς ὁ δεισιδαίμων ὡς θεοῖς ἐλάτρευε. *In ea* urbe *erat templum Ignis. In quod ingreſſus* Heraclius *abominandum invenit Choſroïs ſimulacrum, & effigiem ejus in globi formam referente palatii tholo, tanquam coelo, inſidentem,*

circa

Digitized by Google

circa quam Sol erat & Luna atque aſtra, quibus ille ſuperſtitioſus tanquam diis ſerviebat. Has autem imagines, ut ſuæ divinitatis Symbola conſtanter præſentia & ante oculos haberent, mox ſuismet applicare corporibus conſueverunt. Quod & apud Joſephum Carabukidem, de antiquis Arabiæ incolis diſerte id narrantem, me legere memini; ſed Auctoris verba nunc non ſunt ad manum. Certe morem hunc etiam apud alias obtinuiſſe nationes ſatis conſtat. Vid. Diog. Laërt. Lib. VIII. in vit. Pythag.

X. Quodſi jam ea, quæ hactenus allata, in unum quaſi argumentum compingamus, videor mihi probabile reddidiſſe, quantum rei difficultas, & antiquitatis obſcuritas permittit, Arabes a longo jam tempore in ſuo شمس, & hinc etiam in شميسة, literam (م) per (ب) vulgo pronuntiaſſe: Foeminas autem Hebræas, una cum cultu Solis idololatrico, ſimul quoque imagines ad ejus figuram expreſſas, easque geſtandi morem, & nomen denique, levicula inflexione, quæ tamen nec ipſis inſolita erat, a ſuo diverſum, ab Arabibus accepiſſe, idque per noſtrum שביסים expreſſiſſe. *Unde pro noſtra ſententia concluditur.*

Habes jam Lector, meam conjecturam; habes etiam rationes, quæ me ad illam aliis præferendam, & publice proponendam, induxerunt. *Conjecturam* voco; nam candide fateor, me plenam non attuliſſe demonſtrationem. Eſt tamen quod ſperem, æquos arbitros huic meo conatui non omnem probabilitatis ſpeciem denegaturos. Horum itaque judicio rem committo, melioribus & certioribus ſemper locum facturus.

XI. Finirem hic, niſi adhuc una vel altera obſervatio in mentem veniſſet, pauciſſimis verbis proponenda. Nempe *primo* monendum duxi, ne quem *generis* diverſitas turbet, qua שביסים *maſculinum* eſt, شميسة autem *foemininum.* Quemadmodum enim Hebræorum שמש tum in *Scrupulus eximitur.*

maſcu-

maſculino, tum, ut ex *Plurali* שמשות Jeſ. LIV. 12. conſtat, in *foeminino genere* uſurpatum fuit; ita etiam Arabes شمس ſuum olim in *utroque* procul dubio *genere*, licet nunc prævalente *foeminino*, enuntiarunt. Id quod de omnibus Nominibus, quæ ſub *terminatione maſculina* hodie in *foeminino* plerumque *genere* frequentantur, Abd 'olcahir Gjorgjanenſis, in Opere ſuo Grammatico, digno quod aliquando publicam lucem videat, diſerte obſervavit. Quo ſuppoſito, a شمس non tantum شميسة, ſed & *maſculine* شميس שמים, formare & efferre potuerunt. Verum *ſecundo*, ſi cui forſan inſolitum videatur in Hebræorum Lingua, quod literam (י) ſupra dixerimus *formam* ſignificare *Diminutivam*; is me non valde repugnantem habebit, ſi malit, vocem שבים eſſe proprie *Particip. Pebil*, quod, ut notum eſt, ſæpiſſime *Nominis* inſtar uſurpatur, & proprie notare *Solatum*; ſive jam intelligat bullam ad ipſam Solis figuram efformatam, ſive ejus ſolummodo imagine, vel nota, impreſſam, & inſignitam, perinde erit. Difficile enim, hic certi aliquid definire.

An Græcis notæ fuerint bullæ ſolares.

XII. An vero & aliis Occidentis gentibus bullarum ſolarium uſus innotuerit, nondum mihi ſatis exploratum. Forte eo ſenſu ſumi poſſent hæc Homeri, Odyſſ. XVIII.

> Ὅρμον δ' Εὐρυμάχῳ πολυδαίδαλον αὐτίκ' ἔνεικε,
> Χρύσεον, ἠλέκτροισιν ἐερμένον, ἠέλιον ὥς.

> *Monile ab Eurymacho eleganter elaboratum ſtatim apportavit,*
> *Aureum, electris fulgens, ſicuti Sol.*

Ubi ἠέλιον ὥς, *ſicuti Sol*, non incommode de imagine, monili appenſa, & Solis figuram referente, intelligi poſſe videtur, quemadmodum alibi, apud eundem Homerum, per ὥς Σελήνη, monile ad *Lunæ* imaginem expreſſum, deſignari,

ſignari, Capite ſeq. obſervabo. Nihil tamen pugno, & facile patior, illa verba ſenſu hactenus recepto exponi, & cum ἱερμένον conjungi. Apud Herodot. in Eut. cap. 132. p. 140. occurrit ὁ δὲ ἡλίου κύκλος μεμιμημένος χρύσεος, *circulus aureus, ad Solis figuram efformatus*. Sed de ornamentis ſermo eſt, quibus Aegyptii bovem, Deo ſacram, decorabant. Et Maximus Tyr. Diſſert. XVIII. de Pæonibus: Σέβουσι τὸν ἥλιον, ἄγαλμα δὲ ἡλίου δίσκος βραχύς· *Solem venerantur, cujus ſimulacrum eſt diſcus parvus*. Εἰκὼν Ἡλίου, qui erat λίθος τις μέγιστος, κάτωθεν περιφερής, λήγων εἰς ὀξύτητα, in Phoenicia cultus, memoratur ab Herodiano, lib. V. cap. 3. Sed figuris Solis hieroglyphicis nunc non licet immorari.

CAPUT III.

Probatur שהרנים eſſe *Lunulas*.

I.

In tribus S. Scripturæ locis ſedem dictio שהרנים occupavit; nempe Judic. VIII. 21. & 26. & Jeſaj. III. 18. Cum vero Chaldaica Dialectus aliquid faculæ Eruditis, ipſisque Veteribus, prætulerit, Targumiſta aliquoties Hebræorum ירח *Luna*, per סהרא reddente, quod ejuſdem eſt cum שהרן originis, hujus vocis ſignificatio non adeo difficilis fuit indagatu. Miror tamen ipſum Chaldæum hic nihil preſſius dediſſe, quam סבביא *torques*; quam notionem inde collegiſſe videtur, quod pro illo שהרנים Judic. VIII. 21. mox vſ. 26. ſubſtituerit ſacer Scriptor ענקות, *torques*; unde & Targum. in utroque loco ענקא habet. *Veterum quorundam expoſitio.*

 Du-

Dubium, quo reſpexerit Arabs, reddens: ضفايرهن, *intextæ comæ*, uti vertitur. Niſi forte dicendum, quod Chaldæum expreſſerit, & vox ضفاير per *torques* vel *catenulas* exponenda ſit. Quam notionem, licet omiſſam Lexicographis, Radix tamen ضفر commode admittit, notans, *plexuit*, *obtorſit*. Sane ضفيرة per *torquem*, vel *funem plexum*, verti debet apud Saadjam Exod. XXXIX. 18. ubi in Hebræo eſt עֲבֹות. Idem ſentiendum de Syri Interpretis ܓܕܝܠܬܐ, quod iterum Latine redditur per *comas*. Ejus Radix eſt ܓܕܠ *contorſit*, Arab. جدل. Unde & hoc aptius *torques* denotabit; quamvis hæc ipſa expoſitio non omnino ſufficiat, ad propriam poteſtatem vocis שהרנים exprimendam.

Quinam recte explicaverint. II. Longe itaque rectius Alexandrini Interpretes, tam in adductis *Judicum* locis, quam hic apud Jeſajam, exhibent μηνίσκους, (nam τοὺς κοσύμβους ab aliena manu interpolatos exiſtimamus.) Similiter etiam Vulgat. Lat. dat *Lunulas*; modo hanc dictionem locum mutare jubeas cum proxime ſequenti *torques*; quam potius præcedenti שביסים aliquo modo reſpondere poſſe, jam annotavimus Cap. præced. Neque aliter Arabs Interpres Judic. VIII. 26. غير الاهلة *præter lunulas*. Conſentiunt quoque Hebræorum Magiſtri. Kimchi in Libro Radic. שהרנים הם חלי כדמות ירח *eſt monile ad lunæ ſimilitudinem expreſſum.* Addatur Abarbanel in Comment. in Jeſaj. הם עדי זהב או כסף נעשים כדמות ירח *Per* שהרנים *intelligitur ornamentum aureum, vel argenteum, ad ſimilitudinem Lunæ efformatum.* Ita fere & Aben-Eſras, R. Jehuda Arjeh, alii. Eandem & ſententiam exquiſitior recentiorum Interpretum flos ſecutus, quos prolixe recenſere ſupervacaneum.

III.

III. Receptum hunc vocis שהרנים ſignificatum adeo non improbo, ut potius eundem me ulterius adſtructurum & confirmaturum confidam. Arabibus שאהור ساهور *Lunam* notat, quæ vox a Radice سهر *vigilavit*, non incommode deduci poteſt, quod *Luna*, noctu lucem præbens, *vigilare* dicatur. Quo alluditur in Ann. Bagd. ولما ادركتهم الليل سهرت لهم الساهور *cum illis nox ſuperveniſſet, Luna pro ipſis vigilavit.* Nec alienum hoc Tograi:

In vocis originem inquiritur.

تنام عني وعين النجم ساهرة

Dormis, me negligens, oculo planetæ vigilante.

Sic fere Horatius *vigiles lucernas* dixit. Ni forte Arabum ساهور ad cognatam potius Radicem شهر referendum ſit, quæ proprie notat: *in apricum protrahere*, & hinc *divulgare* aliquid; quæ notio in bonam accepta partem ad *celebris* ſignificatum, qui ſub eo themate frequens eſt, ſeſe porrexit. Item *ſtringere gladium* notat, quum e vagina *protrahitur*. Unde notiſſima phraſis: اشهر السيف في وجهه *ſtringere gladium in faciem alicujus*, in Hiſt. Sal. p. 90. & apud alios perſæpe. Ab hoc themate, quatenus & notionem *celeriter prodeundi* & *promicandi* aſſumſit, derivatur שהר شهر *Luna*, لسرعة بروزه, ut ajunt, quod *prodire* vel *oriri properet*, occidente Sole. Eodem modo a بدر *properavit, celeriter prodiit*, deſcendit بدر *Luna*. Quo alluditur in Hiſtor. Valid. ولما بدرت بدور بوادره في افلاك براريهم *Cum milites in camporum orbibus Lunæ inſtar celeriter promicarent.*

Frequens lunularum uſus in Oriente.

IV. Perinde eſt, quamcunque præferas vocis سلهور originem. Sufficit, quod certi ſimus eam *Lunam* denotare, & nos dubitare non ſinat, quin per noſtrum שהרנים *Lunulæ*, ſive ornamenta ad lunæ expreſſa imaginem, ſint intelligenda. Cui tamen obſervationi non leve momentum accedet, ſi probaverimus, Orientalibus, cana ab antiquitate, ad hodierna usque tempora, protritum & vulgatiſſimum eſſe Lunularum uſum. Expreſſa vetuſti hujus moris veſtigia in ipſo S. Codice reperire eſt, Judic. 8: 26. ubi Midianitarum Reges *lunulis* ornati, & vſ. 21. ipſorum cameli eodem ornamenti genere phalerati, narrantur. Qui Midianitæ, ut notum eſt, populus erant, Arabiam partim Petræam, partim Deſertam, incolens. Nec ab antiquorum conſuetudine recentiorum temporum mores deſcivere. Eleganter Poëta apud Abd'ol-cahirem:

زين الخودات تستبسم لحضرتها
وهلالها يبلج العوابس *

Decus puellarum, cujus ad præſentiam gaudium redit,
Et cujus lunula exhilarat auſteris vultum.

Jacobus Torv. in vita Mohammedis: وكان صلعم قد راها وهي قد برقت قرطيها كقرطي مارية ولاحت هلالها كهلال بثينة *Viderat eam Mohammed, cum ejus inaures, ut illæ Marijæ, fulgerent, & lunula, ut illa Botſeinæ, rutilaret.* In Annal. Bagd. Fadlus militiæ præfectus, emiſſus contra Jahjam quendam rebellem, ejusque aſſeclas, ad Abou-Gjafarum Raſchidem ſcribit: *Gladios eorum hebetabimus, & haſtas eorum retundemus;*

كأنّ اسنانهم اطراف قمير
غلت به صدور البهاير *

Quaſi eorum cuſpides lunulæ eſſent cornua,
Quæ illuſtria reddit pectora mollium puellarum.

Chalil in Epiſt. عطفتني عطفة هلالها وخطفتني لطفة انوالها *Animum meùm ſua lunula, ceu philtro quodam, inclinavit, & donorum liberalitate permovit.* Subjungam & Perſica non nulla. Hafedh:

شاهد ان نيست كه ماهك وميانبند دارد

Pulchra non quævis eſt, lunula & cingulo ornata.

Fariani Poëta:

كه ريشش زيبا روشنا بود
كمربندش بماهك خورشيد بود *

Puella cujus formoſa tunica decore refulgebat,
Et collum lunula rutilabat.

Penes hodiernas Turcorum foeminas, lunulis, quas vocant هلال جغلري, nihil protritius eſt, uti jam ſatis notum.

V. Quæ lunularum antiquitas & frequentia per Orientem, fidem facit, idem ornamentum ad Occidentales etiam gentes, magnam cultus ſui partem, ut jam ſupra monuimus, ab Orientalibus mutuatas, commigraſſe. Talis lunulæ Homerus jam videtur mentionem feciſſe in Hymno ad Venerem, vſ. 88. ſ. *Et in Occidente, tum apud Græcos tum Latinos.*

> Ὅρμοι δ' ἀμφ' ἁπαλῇ δειρῇ περικαλλέες ἦσαν,
> Καλοί, χρύσειοι, παμποίκιλοι· ὡς δὲ Σελήνη
> Στήθεσιν ἀμφ' ἁπαλοῖσιν ἐλάμπετο, θαῦμα ἰδέσθαι.

quæ ſic reddo:

> *Monilia circa tenerum collum perpulchra erant,*
> *Egregia, aurea, varie elaborata; tanquam autem Luna*
> (i. e. imago Lunæ, ſ bulla ad ejus ſimilitudinem expreſſa)
> *Circa mollia pectora ſplendebat. Res mira viſu.*

Omnes, fateor, quos hactenus inſpicere mihi licuit, Homeri Interpretes verbum ἐλάμπετο, Singulare, vertentes per *ſplendebant*, Pluraliter, cum Plurali Maſcul. ὅρμοι conſtruxere, hoc ſenſu: *monilia ſplendebant inſtar lunæ*; invita, quantum video, Græciſmi analogia. Sed planiſſima erunt omnia, ſi ὡς σελήνη exponatur *de imagine Lunæ*, quæ, ceu bulla, de monili ſuſpendebatur, & ad eam verbum ἐλάμπετο referatur. Porro Suidas μηνίσκους *lunulas* habet, & exponit per περιτραχήλια κόσμια, *monilia, ornamenta colli*, & Heſychius per πέταλα περιτραχήλια *lamellas collo appenſas*. Deſcendit ea vox a μήνη, quæ *Lunam* notat; unde & originem ducit μανιάκη, quæ eidem Suidæ eſt περιαυχένιος κόσμος, *colli ornamentum*. Similiter Plautus *lunulæ* nomine in foeminarum ornatu uſus, Epid. V. 1, 34.

> *Lunulam, atque anellum aureolum in digitum.*

Optime Papias in Gloſſis: *Lunulæ ſunt ornamenta mulierum, in ſimilitudinem lunæ dependentes bu*[illegible]. Tertullianus de cultu foeminar. cap. 10. ſimul ad r[illegible]ſaiæ locum reſpiciens: *Nullam de conchylio veſt*[illegible]*repet, nullas lunulas reprobet.* Addatur Hiero[illegible]ui, *habent*, inquit, *mulieres in ſimilitudinem lu*[illegible] *ullas dependentes.*

VI.

Digitized by Google

VI. Hæc de *Lunulis* foeminarum ornamentis. Ejuſdem tamen generis monilia, ad *Lunæ* imaginem efformata, & Viri nonnunquam geſtaſſe leguntur. Sic Sacer libri Judicum Scriptor l. c. refert, Midianitarum Reges *Lunulas* portaſſe, victoribus Iſraëlitis in prædam ceſſuras. Similis fere locus apud Polybium habetur Hiſtor. lib. II. p. 117. edit. Caſaub. ubi Gallorum prælium contra Romanos deſcribit: Πάντες δ' οἱ τὰς πρώτας κατέχοντες σπείρας, χρυσοῖς μανιάκοις καὶ περιχείροις ἦσαν κατακεκοσμημένοι. *Omnes, qui primas tenebant cohortes, aureis lunulis & armillis erant ornati.* Apud Orientales ſaltem populos ille mos nec ſubſequentibus temporibus exolevit. Apud ipſos Hebræos ſponſi Lunulis ornabantur, ut traditur in Gemara Hieroſolym. Tract. Gittin, fol. 49. חופות חתנים כרינים מצויירים וסהרונין זהב תלויין בהם *Velamenta ſponſorum ſunt ſindones acupictæ, ipſis autem lunulæ aureæ appenduntur.* Et *Torques* ab Orientalibus Viris frequenter geſtati leguntur. Sic de Perſis Herodotus Calliop. cap. 79. Ἀπό τε τῶν κειμένων νεκρῶν ἐσκύλευον ψέλλιά τε, καὶ στρεπτὺς, καὶ τὺς ἀκινάκας ἐόντας χρυσέυς, *de cæſorum cadaveribus exuebant armillas, & torques, & acinaces aureos.* Idem Hiſtoricus Xerxis exercitui quam plurimos tradit interfuiſſe στρεπτοφόρυς, καὶ ψελλιοφόρυς, Uran. cap. 113. Solenne itaque huic nationi, *ut monilibus, ac margaritis, ac veſte longa, quæ ſunt ornamenta foeminarum, deformentur viri*; ut ait Quintil. lib. II. cap. 1. Conſentit & Ammianus Marcell. lib. XXIII. *Armillis uti, monilibusque aureis, & gemmis, præcipue margaritis, quibus maxime abundant, adſuefacti.* Hodie tamen Mohammedani, præſertim qui *Sonnitæ* dicuntur, ac religioſiores ſunt, raro, &, ut videtur, non ſine ſuarum traditionum violatione, Lunulas, aliave mulierum ornamenta, portare leguntur. Namque, ut ait Ahmed Haſanides in Compend. Juris S. & Civil. ويحرم علي الرجل لبس الحرير

Lunulæ & a Viris portatæ.

الحرير والتحلي بالذهب, *non licet viro ſericas induere veſtes, vel monilia aurea portare.* Nihilominus Perſæ Schiitæ, & quotquot alii Mohammedicarum traditionum farraginem vel reprobant vel negligunt, nobiliores maxime, monilia, cujuscunque generis bulla inſignia, frequentius geſtare produntur.

Lunulæ & camelis appenſæ. VII. Immodica illa Orientalium luxuria, & ſtolida in apponendo, quin & cumulando, ornatu intemperantia, nec a brutis illos abſtinere jumentis ſivit: nam & hæc vario cultu, præcipue foemineo, exornare ac phalerare, ut olim, ita & nunc, ſolent. Cujus moris antiquum habemus exemplum in loco jam ſuperius adducto, Judic. VIII. 21. ubi Gideon Principum Midianitarum camelos *Lunulis*, שהרנים, ſeu bullis ad lunæ imaginem efformatis, eorumque collis appenſis, ſpoliaſſe narratur. Ut appareat, quousque ornamenta, corporibus camelorum ab Arabibus, quales, ut jam dictum, & Midianitæ erant, adplicari ſolita, proceſſerint, en tibi egregium locum ex libro *Scherborrivaja*, ubi Mohammed poſt prælium Chaibarenſe inter prædam inveniſſe traditur جيفة جمل فيه اسورة الذهب وخلاخل الذهب واوضاح الذهب وقرطة الذهب ونظم من الجوهر وزمرد, *cadaver cameli, ornati aureis armillis, periſcelidibus, monilibus, inauribus, nexisque gemmarum & Smaragdorum ſeriebus.* Monile camelorum collo appendi ſolitum Arabibus in ſpecie حبلة vocatur, ut apud Safeirium:

ما كانت تنفعني حبلة الحرف

Non mihi prodeſt extenuati cameli monile.

Sed nec ab aliarum gentium moribus hæc Orientalium conſuetudo abhorret. Appoſitiſſimus, & dignus qui conferatur,

tur, locus apud Statium proſtat, Thebaid. IX. 639. de equo:

Colla ſedent, nodis & caſtigata jubarum
Libertas, nemoriſque notæ ſub pectore primo
Jactantur, niveo lunata monilia dente.

Hic, annotante Barthio, una voce & dentes lunatos aprorum, & incurvata monilia, in pectus dependentia, indicavit Poëta. Illum imitatus videtur Calpurnius Siculus Eclog. VI. ornatum cervi cicurati deſcribens:

— — *rutiloque monilia torque*
Extrema cervice natant, ubi pendulus apri
Dens ſedet, & nivea diſtinguit pectora luna.

Videantur & quæ Viri Docti ad hunc locum annotarunt, p. 695. 696. editionis, quam Celeberr. Burmannus accuravit.

VIII. Figuram lunulæ non aliam habuere quam falcatam, ita ut non toto dimidio plenæ eſſent, ſed inter cornuum extremitates vacuum relinqueretur. Unde & Arabibus اهلّة appellitantur ab هلال, quæ vox *lunam* notat *naſcentem*, & *corniculantem*, صاحب ثلاث ليال فما دونها *trium dierum*, & *inferius*. Similiter & Latinis *Lunatum* non niſi corniculantis lunæ imaginem referens ſalutatur, vel ſaltem non ultra dimidium plenæ, ut habet Quintus Calaber Paral. lib. I. 148. *Figura lunularum.*

Ἥμισυ πεπληθυῖα περὶ γναμπτῇσι κεραίῃς.

Sub cornibus incurvis ad dimidium ſui plena.

Sic & Cleomenes Meteor. lib. II. Καὶ γὰρ ἡ Σελήνη, ὅταν ᾖ σιγμοειδὴς τῷ σχήματι Μὴν καλεῖται, *Luna cum figuram literæ*

Sig-

Sigma (C) *refert*, Μὴν *appellatur.* Unde & μηνίσκος non aliam potuit habere figuram. Sponte itaque Doct. Druſii defluit conjectura, ad h. l. μηνίσκους *monilia* ſuiſſe *ad Lunæ ſimilitudinem in rotundum formata*; & Forerii, eſſe שהרנים *bullas in modum lunæ rotundæ, quæ adhibeantur ornatus cauſa*; nam סיהרא *Chaldæis* Lunam *dici a* rotunditate, *&* סהר rotunditatem *eſſe Hebræis*. Dignus qui contra hos audiatur Cl. Bynæus de Calc. Hebræor. Lib. I. c. 9. *Profecto, quis dicet unquam, quales illæ ſint lunulæ, quæ rotundæ ſunt inſtar Lunæ plenæ? Ornamentum enim quod rotundum eſt inſtar Lunæ plenæ, quidvis potius referret quam Lunam, neque* Lunula *diceretur, a rotunditate ſcilicet, quæ Lunæ ſimile eſt plenæ. Ornamentum contra, quod refert Lunam mediam, ſive corniculantem, recte* lunula *dicitur, a ſimilitudine Lunæ.* Nec a noſtra ſententia deflectunt, quæ ſubjungit Vir Doctus: *A* סהר *quidem, quod* rotunditatem *notat, vocem* שהרנים *Lexicographi derivant, & ex eo petunt vocabuli ſignificatum, ſed quam recte eam radicem, uti vocant, conſtituant, & inde velint deſumendam hujus vocabuli notionem, non diſputo prolixe, quia nemo ignorat, quam multa perperam ab ipſis dicta ſint, cum rudera tantum, & veſtigia priſcæ Hebræorum linguæ ſuperſint.* Nobis, vocabulum שהרנים ab Arabum ساهور, unde & Chaldæi ſuum סיהרא mutuati, derivantibus, nullus hic reſtat ſcrupulus. Merito tamen Cl. Bynæus dubitat de notione *rotundi*, Themati סהר vulgo adſcripta. Unicus producitur locus ex Cant. VII. 2. ubi legitur: *Umbilicus tuus eſt* אגן הסהר *crater rotundus*, ut vertunt. Qui tamen ipſe locus ita comparatus, ut *rotundi* ſignificationem neceſſario requirere non videatur, quam ex ſenſu potius Interpretes utcunque exſculpſerunt. Ex eadem notione & סֹהַר; quod *carcerem* notat, deducunt, quaſi ita dictum a *rotunditate* ſtructuræ. Sed potiori jure ſignificatus hujus nominis ab Arabico سهر *vigilare* derivatur, ut proprie ſit lo-

locus cui *advigilatur*; quemadmodum vernacule dicimus *jemand bewachen*, pro *cuſtodire* aliquem, vel *in carcere detinere*.

Cæterum vix opus eſt, ut moneam, lunulas non una ex materia fabricari; ut plurimum tamen argenteas, ad ipſum quoque colorem, ut videtur, Lunæ aliquo modo exprimendum, quemadmodum & Poëtæ *Lunam argenteam* dixere, rarius, & fere ab opulentioribus, aureas, geſtari. Infima Turcicæ plebis fæx hodie etiam ferreis ornatur.

IX. Nihil nunc reſtat, niſi ut quonam modo geſtatæ fuerint lunulæ paucis exponamus. Olim non niſi collo applicabantur, vel potius de funiculo, collum cingente, in ſupremum pectus defluebant. Quod non tantum plurium Auctorum, quos ſuperius adduximus, teſtimonia evincunt, ſed & haud obſcure ex loco aliquoties citato Jud. VIII. 21. colligitur, ubi lunulæ camelorum *collis* appenſæ memorantur. Notum vero eſt, & ex iis, quæ mox diximus, manifeſtum, cultum muliebrem, quo jumenta exornantur, iis eodem, quo fœminis, modo applicari. Aliter tamen ſtatuit Balduinus de Calc. cap. 9. ubi, poſtquam prolixe de Romanorum Calceis lunula inſignibus egiſſet, ſubjungit, *lunulas Veterum Hebræarum ab Eſaja pedum ornamentis ſtatim ſubjunctas, quoque ad calceos pertinuiſſe*. Impoſuit Viro Docto hodierna *Vulgati* Lectio: *Ornamentum calceamentorum*, (עכסים) *& lunulas*. Quodſi itaque velit, vocem *lunulas* Hebræo שהרנים respondere, interponendum erit ſequens *torques*, ut jam ſupra obſervavimus ad vocem שביסים. Quo facto vocabulorum ſitus & ordo adeo non favet Balduino, ut potius pro noſtra ſententia argumentum ex ipſo Vulgato deſumi poſſet. Nihilominus in Balduini opinionem nuper diſceſſionem fecit Cl. Hoheiſel, Obſervat. p. 28. 29. eo potiſſimum argumento inductus, quod veterum Romanorum Patricii *lunatos* geſtarint *calceos*, tanquam ſignum ſummæ nobilitatis, & lunulis, fibularum loco, pro claudendis & adſtringendis cal-

Lunulæ collo appenſæ.

ceis, uſi fuerint. Id quidem ſatis notum ex Statio, Sylv. V, 2, 28.

Primaque patricia preſſit veſtigia luna.

Et Martiali, Lib. I. Epigr. 30.

Lunata nusquam pellis, & nusquam toga.

Verum, ut recte Iſidorus lib. XIX. c. 34. *Luna in eis non ſideris formam, ſed notam Centenarii numeri, ſignificabat, quod initio Patricii Senatores centum fuerint.* Nempe litera C. centenarii numeri nota, aliquam lunæ falcatæ figuram exhibens, *lunula* a Romanis appellata. Ejusmodi autem lunulas in calceis geſtandi morem a Numa Rege primitus inſtitutum fuiſſe complures obſervarunt. Ad quem itaque, ætate Jeſajæ longe recentiorem, quam infeliciter fuerit provocatum, vel me non monente, cuivis apparet. Nec potiori jure idem Vir Clar. pro commendanda ſua ſententia, hodiernam Turcorum conſuetudinem affert, ab Herberto in Itinerar. relatam, qua calceos lunulis munitos geſtant. Certum enim eſt, quod hic mos, non tantum veteribus Orientis populis, ſed & recentioribus Arabibus & Perſis, plane ignotus, non aliunde originem traxerit, quam ex inſano, & aliqua ratione ſuperſtitioſo Turcarum in lunulas amore, parum vel nihil cum illa antiquiſſima Orientalium conſuetudine commune habente. Unde & eſt, quod templorum, palatiorum, & labarorum faſtigiis lunæ imagines imponant.

CA-

CAPUT IV.

Probatur נטיפות eſſe *Inaures*.

I.

Hodiernis Linguæ Hebrææ Defectibus & hic merito accenſendus, quod, quamvis multorum Thematum poteſtatem & proprietatem ex frequentiori eorundem uſu addiſcere liceat, ſæpe tamen ſecundarias, ut ajunt, notiones, ex primigenia origine profluentes quidem; ſed interdum paulo longius provectas, ignoremus; vel ſaltem, ſi conjiciamus, quid forte derivatarum ſignificationum ex vi alicujus verbi primitiva potuerit emanare, de noſtra tamen opinione ſimus & maneamus incerti. Quis enim tanto pollet judicii acumine, ut obliteratas alicujus radicis propagines, quas quidem laetus ſtirpis vigor olim progerminavit, & longinquius protruſit, ſine antiquitatis inſtrumento eruere, & eam in lucem protrahere valeat, ut nec umbra dubitationis ſuperſit? Non enim ſtirpes ut olim ita & nunc integræ florent; ſed dura clades, quæ illis incubuit, multam progeniem abdidit, & in alto retruſit. Niſi itaque hic defectus, late ſe porrigens, ſuppleatur, non altius poſſumus adſpirare, quam ut ex perſpecta qualitercunque radicis indole, quantum licet, colligamus, & conjectemus, quomodo nata inde ſuboles forſan olim fuerit comparata. Hic autem ſæpiuſcule blanda quædam ſpecies in fraudem inducit, revera non facile præcavendam, quoties ſolis ducimur conjecturis: ſed & hinc opinionum diverſitas enaſcitur, alio huc, alio illuc, mentem ac ſententiam convertente & inclinante. Quodſi igitur certi & in-

Cauſa diſſenſus de hac voce.

dubitati aliquid quæramus, nulla alia ſupereſt via, quam ut nos ad Dialectos Linguæ Hebrææ convertamus, quæ non tantum nos condocere poſſunt, quid ſecundariarum notionum ex quavis ultima origine profluxerit, ſed &, ob intimam, qua illi conjunctæ ſunt, conſanguinitatem, evidentibus, &, ut ita dicam, hiſtoricis quaſi argumentis probare, quinam præciſe ſignificatus, ſub quovis Themate, apud veteres Hebræos fuerint frequentati.

Quam veteres per monilia reddidere.

II. Luculentum hujus aſſerti documentum habemus in eo, quod nunc ſe nobis offert, vocabulo נְטִיפוֹת; cujus licet notiſſima & frequentiſſima ſit radix נטף ſub primaria *ſtillandi* notione, de illius tamen ſignificatu non conſentiunt Interpretes, & quæ alteri placent, diſplicent alteri. Veteres æque ac recentiores in duas quaſi partes diremti, ſententiis ſatis magno diſſidentibus intervallo. Videamus potiores. LXX. exhibent τὸ κάθεμα, *monile*. Chaldæus habet ענקיא *torques*, quemadmodum & Vulgatus expoſuit. Arabs سلاسل *catenas*. Nec fere aliter hi, quoad ſenſum, vocibus licet diverſis, noſtrum נְטִיפוֹת Judic. VIII. 26. ubi illud iterum occurrit, expreſſerunt. Græci ibi habent στραγγαλίδας, quæ vox, cum deſcendat a στραγγὸς, *tortus*, unde & στραγγεύω, *torqueo*, commode per *torques* exponi poteſt. Quare & Arabs, qui illos ſequitur, القلايد *monilia* habet. Similiter & reliqui, ſi a ſolo diſceſſeris Chaldæo, apud quem, ut noſtra habent exemplaria, invenies כליליא *coronas*. Sed exiſtimo, levicula immutatione, legendum potius eſſe כלידיא, quod quidem exponunt per *genus veſtimentorum*, vel *armorum ſplendidorum*; &, annotante Cl. Buxtorfio, occurrit in Bereſch. Rabb. Sect. 89. ubi legitur: אין עבד מולך ולא לובש כלידים *Non ſervus regnat, neque induit Challidim.* Hic autem videntur recentiores Judæi ſignificatum illius vocis כלידים plane ignorare. Ineptum enim eſt & incom-

commodum, quod ibi Gloſſator affert, כלידים eſſe quaſi כלי ידים *Chirothecas.* Ego vix dubito, illud vocabulum ſuam debere originem Arabico قليد, pro quo & قلادة dicunt, a قلد *torſit*, hinc *torquem* vel *monile colli* notanti; qua dictione, ut jam annotavimus, & Arabs Interpres noſtrum נטיפות in memorato Judicum loco expreſſit. Et illud eo magis probabile eſt, quod, ex more Orientali Reges appoſito torque inaugurandi, iſtud قليد vel قلادة *torques*, ſit inter inſignia collati regni, vel præfecturæ. Hinc plenius intelliges iſta mox citata: *Servus non regnat, neque induit* כלידים i. e. *torques, adepti principatus inſignia.* Quodſi placeat hæc Chaldæi emendatio, antiquus hic Interpres a communiori reliquorum ſententia nuſpiam diſcrepabit.

III. Rariori huic in vocibus difficilioribus Antiquorum conſtantiæ robur addere videtur Recentiorum non paucorum conſenſus. Ad quos ex Judæis referendus præ aliis Raſchi, ſimul originem aperire tentans illius ſignificatus: *Quos plures ſequuti.*

הנטיפות ענקיא לשן ענקים לגרגרת ולשן נטיפות על שתלויות על הצואר ונוטפות על החזה והם מרגליות נקובות וחרוזות בחוט h. e. *Vox* נטיפות, *a Chaldæo per* torques *expoſita*, *notat* monilia colli, *ideo quod hæc, de collo dependentia, in pectus quaſi deſtillent, confecta ex margaritis perforatis & in filum confertis.* Paulo aliter Kimchi in Comment. in Jeſ. יש מפרשים הענקים שעושין אותם מאבני הבדלח הקטנים וכן נקרא הבדלח הזך בערבי אלנטף h. e. *ſunt qui vocem* נטיפות *per* torques *interpretantur, ex minutis bdellii lapidibus confectos. Nam bdellium molle Arabibus* אלנטף *appellatur.* An Arabibus נטף *bdellium* ſignificet, mihi hactenus incompertum; neque Lexicographi eam notionem annotarunt; non tamen ideo præfracte

ſtricte negaverim, quia id lachrymæ arboreæ genus a *ſtillando* nomen non incommode ducere potuit. Videtur tamen inde derivata *monilis* notio longius petita. Rabbinorum hanc expoſitionem, & maxime Raſchii ſententiam, Viri Doctiſſimi, quos inter eſt & ipſe Magnus Vitringa in Commentar. in Jeſaj. ſuis calculis comprobarunt. Quorum tamen veſtigia in eo deſeruit Cl. Hoheiſel in Obſervat. in Jeſaj. p. 31. quod, cum illi, Raſchin ſequuti, nomen hujus ornamenti inde deducant, quod globuli monilium *ſtillent*, i. e. in pectus demittantur; Ipſe non a *ſitu*, ſed a *figura* ornamenti, vocis originem derivandam putet, quia globuli illi, ſive margaritæ monilium, rotundam & pellucidam *guttarum ſtillantium* ſpeciem expreſſerint. Quemadmodum hæc ſententia in eo laudanda eſt, quod non, ut coacte Raſchi, a *deſtillatione* monilis in pectus, ſed potius a margaritarum figura, guttæ ſpeciem exprimente, ornamenti nomen deducat; ita tamen in eo rem acu non tetigit, quod has margaritas collo, non, ut mox videbimus, auribus appenderit. Puto autem, veram ejus ſententiæ, quæ noſtrum נטיפות per *monilia* exponit, originem non aliam niſi hanc eſſe, quod in memorato Judicum loco idem שהרנים ו נטיפות, quod, ut in ſuperiori Capite annotavimus, ſub ſignificatu *Lunularum*, monilium loco geſtatarum, antiquis jam interpretibus notius erat, proxime, & eodem modo ut hic apud Jeſajam, legatur ſubjunctum: unde collegerunt, hæc duo nomina ſignificatus convenientia utroque in loco colligari, & ornamenta eſſe ejusdem fere generis & uſus. Hoc unicum eſt illius opinionis fundamentum, vel potius occaſio; quas enim adjiciunt rationes denominationis & derivationis a Themate נטף, quæſitas eſſe & longius petitas in oculos incurrit. Imo argumentum illud adeo debile puto, ut inverti, & contrarium inde probari poſſe, videatur. Cum enim Midianitarum Reges monilia lunula inſignia, ſimulque נטיפות, geſtaſſe tradantur, potius inde concludere licet, hæc fuiſſe duo ornamentorum genera diverſa, quoniam alias

alias unum nomen ſuffeciſſet; vel ſaltem, ſi נטיפות *morilia* in genere denotaret, *lunulæ* ſub iis utrobique jam fuiſſent comprehenſæ.

IV. Ab antiquiori autem hac ſententia diſceſſionem ii fecerunt, qui per נטיפות *myrothecia*, ſ. *olfactoriola* intelligunt, & hodieque ad luxum ornatumve muliebrem pertinentia; reſpicientes ad nomen נטף *ſtacte*, *aromatis genus*, tam Hebræis quam Græcis a *deſtillando* dictum. Ita Kimchius ad Judic. VIII: 26. notat: פי' נטיפות שם כלי זהב שנושאין בהם נטף *Vox* נטיפות *ſignificat vaſa aurea, in quibus portabant ſtacten.* Quam expoſitionem cum ſuperiori conciliare vel conjungere voluiſſe videtur Abarbanel, qui interpretatur per כלים קטנים שממלאין אותן נטף שריחו טוב ותולין אותן בצואר *vaſculi parva, quæ ſuavioris odoris ſtacte replebant, & collo appendebant.* Nec aliter R. Levi b. Gerſon, R. Salomo b. Melech, alii. Quibus Doctiſſimi Belgæ Interpretes acceſſerunt, qui habent: *De riek-dooskens.* Et in Gloſſis: *Verſtaet hier de goudene of ſilveren dooskens, daar muſcus, ofte andre welrieckende ſpeceryen in waren, die de Jonckvrouwen an den hals, of op de borſten, of tuſſchen de ſelve droeghen.* Similiter fere Cl. Buxtorfius, Varenius, & noviſſime Cl. Zornius in Opuſc. Sacr. p. 468. Verum, ut recte & Cl. Vitringa obſervavit, *olfactoriola* iſta per בתי הנפש, quod inferius ſe offeret, ſignificantur, ut ſuo loco pluribus evincam. Et quantum conſtat, myrothecia nuſpiam gentium a Viris ad ornatum vel oſtentationem geſtata referuntur, quod tamen de נטיפות ſacer Scriptor tradit Judic. 8: 26.

Alii per myrothecia exponunt.

V. Inter duas haſce ſententias judex ſedeat florentiſſima veteris Hebraiſmi Dialectus, apud Arabiæ populos hodieque ſuperſtes. Pronunciet illa, pro ſuo, quo valet, jure & auctoritate, quid præciſe notionum ſecundariarum ex primigenio *ſtillandi* ſignificatu Thematis נטף olim pro-

Ex Arabiſmo probatur, נטיפות *eſſe Inaures.*

fluxe-

fluxerit. Itaque ſi huic litem decernendam, uti decet, detuleris, utraque de noſtris נְטִיפוֹת ſententia cauſa cadet. Radix enim نطف, intimam cum Hebræorum נטף affinitatem colens, in prima Conjugat. gerit *ſtillandi* quidem, & *deſluendi* ſignificatum; ſed, ut citra ambages rem expediamus, in quinta Conjug. تنطف התנטף notat, *inauribus ſe ornare.* Gjeuhar. تنطفت الجارية تقرطت ومنطفة مقرطة *puella* התנטפה, *eſt*, inauribus ſe ornavit, & מנטפה *notat* inauribus ornatam. Nec non ipſum nomen נטפה نطفة, unde ille verbi ſignificatus aſſumtus, *inaurem* notat. Gjeuhar. النطفة القرط. Unde autem, interrogares, hæc *inaurium* notio illi *ſtillandi* accrevit? Inde dubio procul, quod illæ *inaures* ex unica fere margarita olim confectæ, (uti revera Zamachſcharius in Lex. Arab. ad iſtam vocem نطفة obſervat, *inauris* hoc genus eſſe اللولوء الواحدة *ex unica margarita*; imo in *Camus* annotatur, ipſum نطفة generalius quoque uſurpari pro اللولوة الصافية والصغيرة *lucida* & *parva margarita*;) quod *inaures*, inquam, *guttarum* inſtar de auribus *deſtillare*, vel potius ipſam *ſtillaturæ guttæ* pellucidam & oblongam figuram exprimere, videantur. Quæ idea adeo prona, adeo facilis, & naturalis quaſi, ut pari ratione σαλάγμιον, unde Latinorum *ſtalagmium*, quod *inaurium* eſt genus apud Plautum Menæchm. IV. 3, 18.

— — — *Inaures da mihi*
Faciendas pondo duum numum, ſtalagmia;

& apud Feſtum ex Cæcilio: *Ex aure ejus ſtalagmium habeo domi*; deduxerint Græci a ſuo σαλάζειν, *ſtillare*, unde σαλαγμὸς, *gutta*, a Themate σάζειν, a quo & eſt σαλὴ, per

per quod Alexandrini ipſum נטף reddiderunt Exod. XXX. 33. Poſtquam hæc jam ſcripſi, forte incido in τῷ πάνυ Salmaſii Exercitat. Plinian. in Solin. qui pag. 937. col 2. edit. Traject. hæc habet: *Hebræis* נטף *eſt ſtillare. Unde* נטף *ϛακτῇ, quæ ex arbore myrrhæ ſtillat.* — *Hinc* נטיפה *& in numero multitudinis apud Eſajam cap.* III. 19. הנטיפות. *Quod alii torques, alii margaritas, alii vaſa interpretantur, in quibus ſtacte reponitur vel opobalſamum.* Stalagmia *poſſumus ad verbum accipere, qua forma etiam reperiuntur uniones, velut guttæ aquæ cadentes, & tractim pondus ſuum ſuſtinentes. Inaures hac facie Græci vocarunt* ϛαλάγμια. Admodum mihi gratulor de Tanti Viri conſenſu, qui, ut mira erat ingenii ſagacitate, tam feliciter eadem ſuſpicatus eſt, quæ nunc nos Linguæ Arabicæ auctoritate ſtabilitum imus. Quem in finem aliquot exempla, quæ mihi hactenus ſe obtulerunt, & probant illud نطغة ab Arabibus ſub *inauris* notione frequentari, apponam. *Nawabig* apud Ahmedem Ibn Hin:

امسر النطغة من نغطة المرايا
نعطل من راسهن المزايا ✱

Quodſi inaures de Marijarum auribus veluti mulgendo deſtringas,
Earum caput decoribus orbabis.

De inauribus Marijæ, quæ ob ingens pretium in proverbium abiverunt, videſis Pocockii Spec. Hiſtor. Arab. p. 347. Memorantur & in Hiſtor. Tamerl. p. 432. Sed pergimus porro. Chadair in vita Cotbodd. وسرة نطغتها كالدرار السحاب ناطغة *Margarita inauris ejus inſtar plenioris guttæ nubis ſtillabat.* Ubi ſimul ad etymon vocis eleganter alluſum; uti & in pleniori hoc Hiſtor. Valid.

 MS.

MS. وشرايض مدرارها كدرر نطفتيها ناطفة
وفضايل قريحتها من ينابيع نطفتها فايضة

recentes guttæ copioſæ pluviæ, uti margaritæ inaurium ejus, ſtillabant, & virtutes uberis ingenii ejus, quaſi ex limpidiſſimæ aquæ ſcaturiginibus propullulantes, exuberabant. Auctor in Zalihæ, Principis foeminæ, liberalitate, quam cum copioſa pluvia comparat, utroque pollice laudanda, occupatur. Orientali quoque cothurno incedunt hæc Ecterii in Confeſſ. V. تهليل وتكبير صداسني نطغدلر كمي كچوربيلر *Laudationum & magnificationum* (h. e. crebræ repetitionis formulæ *Alla Acbar*) *reſonantiam inaurium inſtar appenderunt.* Phraſis hæc a noſtro Occidentalium loquendi modo paulo longius remota, ad cujus vim & emphaſin plenius percipiendam, inſpicias, ſi lubet, Hiſtor. Tamerl. p. 225. nec abludit figura, quæ apud eundem Auctorem habetur p. 308.

Satis hinc manifeſtum, نطغة Arabibus *inaurem* denotare. Unde & נְטִיפוֹת noſtrum hunc geſſiſſe ſignificatum, dubitari nequit.

Vetuſtus inaurium uſus in Oriente.

VI. Antiquiſſimus inaurium apud Orientales uſus nemini ignotus, in ipſa S. Scriptura plus ſemel memoratus: ut Geneſ. XXXV. 4. *Tradiderunt Jacobo omnes Deos alienos, qui erant in manibus eorum,* ואת הנזמים *& inaures, quæ in auribus eorum erant.* Item Exod. XXXII. 2. *Detrahite* נזמי הזהב *inaures aureas, quæ ſunt in auribus uxorum veſtrarum, filiorum veſtrorum, & filiarum veſtrarum, & afferte mihi. Detraxit itaque totus populus inaures aureas, quæ in auribus eorum erant, & attulerunt Aaroni.* Vox נזם, quæ in utroque loco adhibita, quodnam proprie *inaurium* genus ſignificet, commodius inquiretur inferius, cum ad נזמי האף perventum fuerit. Porro Ezech. XVI. 12. *Appoſui funiculum margaritarum naſo*

naſo tuo, ועגילים & *inaures auribus tuis*. Quod עגילים, ab עגל, *compactus*, & hinc *rotundus*, fuit, deductum, *globulorum* proprie genus notat, quos appendere veteres auribus ſolebant. Quemadmodum de voce حالور *inauris*, ab حلر deſcendente, quod *compactum eſſe* notat, ad hoc Saſeirii:

وهل تنتركن الحالور البهاليس

Et num deſerunt inaurem matronæ delicatæ?

annotavit Scholiaſtes أي كسرة ذهب eſſe *globulum aureum*. In *Camus* per قرط exponitur. Pluribus inaurium in Oriente frequentiam adſtruere ſupervacaneum. Sufficiant, quæ jam allata.

VII. Græcis mulieribus in quanto pretio inaures fuerint, ſatis quidem notum. In gratiam tamen eorum, quibus Veterum loca non adeo ſunt in promptu, pauca quædam apponemus. Homerus Iliad. Ξ. vſ. 182. *In Græcia.*

Ἐν δ' ἄρα ἕρματα ἧκεν ἐϋτρήτοισι λοβοῖσι,
Τρίγληνα, μορόεντα· χάρις δ' ἀπελάμπετο πολλή.

Inaures immiſit in auriculas ſcite perforatas,
Tribus gemmarum oculis inſignes, affabre factas; &
gratia effulgebat multa.

Vocis τρίγληνα, quam varie exponunt, placet explicatio Julii Pollucis Lib. V. cap. 16. qui ait, ſic ἕρματα vocari, ὡς τριῶν εἴδωλα κορῶν ἔχοντα. Hoc ita concipio, quod inaures fuerint majuſculæ, non unicam gerentes, ſed tres diverſas gemmas, ſingulas figuram *pupillæ* exprimentes. Porro Odyſſ. Σ. vſ. 296.

 Ἕρμα-

Ἕρματα δ' Εὐρυδάμαντι δύω θεράποντες ἔνεικαν.

Inaures ab Eurydamante duo ſervi portaverunt.

Diodor. Sicul. Bibliothec. lib. XI. memorat ἐκ τῶν ὤτων ἐξηρτημένους κρίκους, *de auribus ſuſpenſos circulos.* Aelianus lib. I. cap. 18. Ἐκ τῶν ὤτων αὐταῖς ἐνώτια μακρὰ ἀπεκρέματο. *Ex auribus longas inaures habebant dependentes.* Lucianus de Domo, p. 454. ait ἐν τοῖν ὤτοιν ἐλλόβια — ἐπισημότερον ἐργάζεσθαι τὸ κάλλος, *pendentes ab auribus inaures facere ad pulchritudinem reddendam inſigniorem.*

In Latio denique. VIII. Apud Romanas Veteres haud infima luxus pars *Inaures* erant, maximo ſubinde pretio comparatæ. Ovid. de Arte, III. 129.

Vos quoque nortaris aures onerate lapillis,
Quos legit in viridi decolor Indus aqua.

Idem de Medicam. Fac. vſ. 21.

Induitis collo lapides Oriente paratos:
Et quantos oneri eſt aure tuliſſe duos.

Senec. Herc. Oet. vſ. 661.

Nec gemmiferas detrahet aures
Lapis Eoa lectus in unda.

Plinius in Præfat. ad lib. XII. *Unionem in rubri maris profundo, Smaragdum in ima tellure quæri. Ad hoc excogitata ſunt aurium vulnera.* Addatur Hieron. ad Demetr. *Ut taceam de inaurium pretiis, candore margaritarum, rubri maris profunda teſtantium, Smaragdorum virore, Cerauniorum flammis, Hyacinthorum pelago. Ad quæ ardent & inſaniunt ſtudia matronarum.* Quæ loca eum præcipue in finem ſelegi, ut inde appareat, quod, quemadmodum materiam inaurium, gemmas nempe & margaritas, ita & uſum pro-

Digitized by Google

procul dubio, ab Orientalibus acceperint Occidentales. Quantum vero, ut hoc unicum addam, a frugalitate, ſequiorem ſexum decente, Romanorum feceſſerint matronæ, inſano inaurium pretioſiſſimarum ſtudio, vel ſolus Seneca edocere nos poteſt, qui hanc φιλοκοσμίαν illis plus ſemel exprobrat; ut de Vita Beata c. 17. *Quare uxor tua locupletis domus cenſum auribus gerit?* Idem de Benef. VII. 9. *Video uniones, non ſingulos ſingulis auribus comparatos, jam enim exercitatæ aures ſunt oneri ferendo. Junguntur inter ſe, & inſuper alii binis ſuperponuntur. Non ſatis muliebris inſania viros ſubjecerat, niſi bina ac terna patrimonia auribus pependiſſent.* De hoc more, plures conſertos uniones auribus appendendi, inferius ad נזמי האף commoda erit plura dicendi occaſio.

IX Hæc de Inauribus mulierum ornamento. At vero נטיפות noſtræ & a Midianitarum Regibus Viris geſtatæ; Judic. VIII. 26. Qui mos rarior in Occidente noſtro, & indecorus. *Sed in Oriente & Viris aurum geſtare in auribus decus exiſtimatur*, ut diſerte Plinius in Hiſtor. Nat. lib. II. cap. 37. Cujus conſuetudinis antiquitas ex Exod. XXXII. 2. patet, ubi Aaron Iſraëlitis: *Abrumpite*, inquit, *inaures aureas, quæ ſunt in auribus uxorum veſtrarum, FILIORVM veſtrorum, & filiarum veſtrarum.* Eundem ad morem Juvenalis alludit Sat. I. 104.

Inaures a Viris geſtatæ.

Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtræ
Arguerint, licet ipſe negem.

Et Petronius in Satyr. *Circumcide nos, ut Judæi videamur, & pertunde aures, ut imitemur Arabes.* Parthorum genti familiarem eſſe hanc conſuetudinem, Tertullianus obſervavit de Cultu Foem. De Indis Curtius lib. 8. cap. 9. *Lapilli ex auribus pendent.* Præcipue vero a Regibus inaures, tanquam nobilitatis & ſummæ dignitatis inſignia, portatæ, quod ideo obſervari velim, quoniam id in ſpecie de

Mi-

Midianitarum Regibus in citato Judicum loco refertur, & eorum נטיפות cum בגדי הארגמן *veſtibus purpureis* conjunguntur. Unde non infrequens hujus moris apud Græcos Scriptores fit mentio. Procopius de Bello Perſ. lib. 1. ubi de Peroſa Perſarum Rege: Μάργαρος, λευκότητί τε καὶ μεγέθους ὑπερβολῇ ἔνδιμος, ἐξ ὠτὸς τοῦ δεξιοῦ ἀπεκρέματο. *Margarita, candore & inſigni magnitudine pretioſa, de aure dextra dependebat.* Ipſius Cyri ἐνώτια memorantur apud Arrianum lib. 7. Porro Suidas in Ἐκόβια, de Abgari filio: Τῷ δὲ ἦν ἄμφω τὰ ὦτα τετρημένα, καὶ ἐξ ἀμφοῖν χρύσεια ἐνώτια ἐξηρτημένα, *Illi ambæ aures erant perforatæ, & ex ambabus aureæ inaures pendebant.* Per Phoenices, uti videtur, hic mos ad Afros perlatus. Unde Plutarchus in Mario, de Jugurtha Rege: Οἱ δὲ σπεύδοντες ἀφελέσθαι βίᾳ τὸ χρυσοῦν ἐλλόβιον, ἅμα τὸν λοβὸν συναπέρραξαν. *Illi ſine mora inaurem auream vi ablaturi, ſimul auriculam abſtraxerunt.* Cæterum Græcorum quoque pueros *inaures* geſtaſſe, Iſidorus Orig. XIX. 31. & Apulejus de Doctr. Plat. obſervarunt.

CAPUT V.

Probatur שרות eſſe *armillas.*

I.

Quid antiquæ Verſiones hic habeant.

Quamvis vocabulum שרות non niſi unico hoc loco in Scriptura reperiatur, vix tamen dubitatum a Viris Doctis illud deſignare *armillas*; Chaldaica Dialecto facullam præferente. Jonathan enim non tantum hic, retenta quidem voce Hebræa, ſed addita tamen aliqua determinatio-

Digitized by Google

tione, quæ explicationis loco eſſe poſſit, exhibet שירי ידיא *armillas manuum*; ſed & aliis in locis Hebræorum צמיד & אצעדה, quibus vocibus *armillas* denotari in confeſſo eſt, per שירא expreſſit, ut Gen. XXIV. 22. 30. 47. Num. XXXI. 50. Ezech. XXIII. 42. &c. &c. Hinc recte quoque Vulgata Verſio, Chaldæi Paraphraſtæ, ut videtur, veſtigia premens, per *armillas* exponit. Alexandrina autem, &, quæ hinc adornatæ, Arabica & Syriaca, Verſiones, adeo hic turbatæ, & interpolatæ, ut difficulter cum Hebræo Textu conferri queant. Quodſi tamen ordinem, uti in noſtris exemplaribus comparet, admittere placuerit, noſtro שרות Græcorum *ὁ κόσμος τοῦ προσώπου* reſpondebit.

II: Chaldæum Interpretem, uti fere ſemper alias, ita & hic, ſectati Hebræorum Magiſtri. Kimchi: השרות תרגום יונתן שירי ידיא והם צמידים כתרגומו *Vocem* שרות *Jonathan in ſua Paraphraſi per* שירי ידיא *exponit, quæ in ipſius Targum* armillas צמידים *exprimunt.* Raſchi: צמידי הזרוע דמתרגם שיריא *ſunt armillæ brachiis applicatæ; nam Targumiſta per* שיריא *interpretatur.* Nec aliter Abarbanel, R. Jehuda Arjeh, R. Salomo b. Melech, aliique, quos huc transſcribere non lubet. Qua in expoſitione & noſtrates, quantum mihi conſtat, omnes acquieverunt.

Judæorum de hac voce ſententia.

III. Ab hac ſententia nec ego faciam diſceſſionem; maxime, cum ea & a reliquis Hebraiſmi Dialectis confirmetur. Unicum hoc deſidero, quod, cum Chaldæorum Linguæ eadem, quæ Hebrææ, incubuerit clades, illa, ut aliarum oppido multarum, ita & hujus dictionis שרות, nec Radicem, nec primigeniam poteſtatem, valeat ſubminiſtrare. Quos itaque defectus ex Arabum copioſiſſima, & puriſſima, Dialecto reſarciamus oportet; unde ſimul receptam vocis ſignificationem ſtabilire, & extra controverſiam collocare, in proclivi erit. Princeps Thematis سور no-

Ex Arabiſmo lux aliqua affertur, & armillae *notio ſtabilitur.*

notio, quamvis de ea ſileant Lexica, in *nectendo* & *ſtruendo* ponenda, unde aſſumtus mox *ædificandi* ſignificatus; quod didici ex hoc Poëta:

قد يعمر البيت غير ساوره
ويسور البيت غير من عمره *

Contingit, ut inhabitet quis domum, quam non ædificavit,
Vel ædificet quis domum, quam non inhabitet.

Evidens & hæc notio eſt ex derivatis, quæ inter eſt سور *murus*, & سورة *ſtrues*, *ſeriesve lapidum in muro*, item *Caput Alcorani*, quaſi *ſtructuram* & *capitum ſeriem* dicas. Eadem *nectendi* poteſtas ſeſe porrexit & ad *lapides pretioſos*, vel *margaritas* in *armillam conſertas*; unde سوار *armilla*, & سور *induit armillas*, nec non تسور *indutus fuit armillis*, emanarunt. Nam gemmas, vel margaritas, in filum conſertas, ab Orientalibus in brachiis geſtari, inter alios antiquus teſtatur Scriptor apud Athenæum lib. III. p. 92. de Medis & Perſis: Καλασκευάζουσι δ' ἐξ αὐτῶν ὁρμίσκους τε, καὶ ψέλλια περὶ τὰς χεῖρας. *Ex iis* margaritis *monilia & armillas adornant circa manus.* Vox سوار *Armilla*, cum ſuo Plur. اساور, pro quo etiam اساورة & اسورة frequentatur, ſæpiuſcule in Alcorano occurrit; ut Sur. XVIII. 30. اوليك لهم جنات عدن تجري من تحتها الانهار يحلون فيها من اساور من ذهب *His ipſis erunt horti Edenis, ſub quibus currunt fluvii, ubi ornandi erunt aureis armillis.* Sura XXII. 23. يحلون فيها من اساور من ذهب ولولو ولباسهم فيها حرير *orna-*

ornabuntur armillis ex auro, & *unionibus*, & *veſtes eorum boloſericæ erunt*. Eadem verba repetuntur Sur. XXXV. 30. Item Sur. XLIII. 53. فلو لا القي عليه اسورة من ذهب *niſi projectæ ſuper ipſum eſſent armillæ aureæ*. Sur. LXXVI. 21. عليهم ثياب سندس خضر واستبرق وحلوا اساور من فضة *Induti erunt veſtibus ſericis viridibus & verſicoloribus*, & *ornati armillis argenteis*. Huc pertinet proverbialis loquutio, Arabibus admodum familiaris, لو غير ذات سوار لطمتني *ſi alia quam armillata alapa me cæderet*. Ejus originem & uſum vide in notis Cl. Golii ad Adag. Arab. p. 79. Eleganter Arabsjades in Hiſtor. Tamerl. p. 85. فضلا ان يحلق علي معصم عصمتها من عساكر الاساورة سوار *nedum ut exercitus copiæ equeſtres arcis munimenta*, *ceu carpum armillæ*, *cingere valerent*. & p. 249. فاحاطت به اساورة الجنود احاطة الاساورة بالزنود Bajazethes *ab equitatu cingitur*, *ut brachia armillis*. Venuſtam quoque phraſin idem exhibet Auctor p. 408. اشاع ان سوار اساورته تخلخل *rumorem diſſeminari jubet*, *armillas copiarum ſuarum eſſe diſruptas*. Per *diſſolutas armillas*, vel potius *margaritas* in filum conſertas, & brachio adplicatas, intelligit tantam rerum confuſionem & diſturbationem, ut reſtitui non queant. Simili ſenſu formula proverbialis adhibetur انفرط نظامه *diſturbata eſt ſeries baccarum ejus*, quam inferius dabimus explicatam.

IV. Nec eſt, quod quis recentiorem armillarum uſum nobis objiciat, canam earum antiquitatem Sacris Literis abunde teſtantibus. Ipſa Abrahami Patriarchæ ætas illas *Antiquitas armillarum.*

haud ignoravit. Nam Geneſ. XXIV. 22. ejus ſervus *geminam* Rebeccæ *armillam* apponit. Vocabulum צמיד in Textu Hebræo habetur, quod eſt a צמד, Arabibus ضمد, *alligavit*, *copulavit*. In *Camus* explicatur per شدّه بالضمادة وهي العصابة *conſtringere aliquem vinculo*. Unde proprie manuum notat *ligamen*, ſ. *vinculum*; quemadmodum vernacule dicimus *armbänder*, vincula manuum, pro *armillis*. Porro *armillarum* mentio pluribus aliis in locis, v. g. Num. XXXI. 50. 2 Sam. I. 10. Ezech. XVI. 11. XXIII. 42. &c. recurrit.

Et apud Græcos uſus.

V. Neque Græcis armillarum uſus ignotus fuit. Aſius Poëta apud Athenæum Deipnoſ. lib. XII. p. 525.

Δαιδάλιοι δὲ χλιδῶνες ἄρ' ἀμφὶ βραχίοσιν ἦσαν·

Armillæ ingenioſe elaboratæ brachia circumdabant.

Lucianus de Domo, Opp. T. 2. p. m. 454. Ἡγῦνται καὶ τὴν ὠλένην αὐτῶν στιλπνοτέραν φαίνεσθαι συναπολάμπουσαν τῷ χρυσῷ· *arbitrantur ſuos lacertos auro reſplendentes apparere nitidiores*. Sed nolo hæc cumulare. Et Latinarum circa armillas ſtudium multis proſequi, ſupervacaneum duco. Nemini id non ſatis notum ex Antiquitatum Scriptoribus eſſe poteſt.

Armillæ a Viris geſtatæ.

VI. Non nihil tamen diſcriminis obſervare licet, quoad *armillarum* uſum, Orientales inter & Occidentales. Sueton. in Cal. cap. 52. effœminatum illum Caligulam ne virili quidem habitu uſum arguit, quod *armillatus* in publicum proceſſerit. Quem Imperatoris luxum ac mollitiem quoque Seneca perſtringit, de Conſt. Sap. cap. 18. Verum Hebræi armillas e virili habitu adeo non excludebant, ut eas potius pro quodam nobilitatis ſigno haberent, imo inter Regni Inſignia numerarent. Nam 2 Sam. I. 10. diſerte Saul, Iſraëlitarum Rex, *armilla* conſpicuus narratur; his verbis: *ſumſi coronam, quam capite, & armillam, quam bra-*

Digitized by Google

brachio, geſtabat; & Domino meo huc attuli. Unde, cum *coronæ* ſit *armilla* adjuncta, dubitari nequit, hanc ad Inſignia Regis æque ac illam pertinuiſſe. Similiter Arabes ſuis Regibus, Principibusve, inveſtituram, ut ajunt, conferentes, cidari, monili, & gemina armilla, illos ornare, Abulfeda teſtatur. Elmac. p. 217. وخلع عليه وطوقه وسوره *Regia chlamyde eum induit, & torque & armillis.* Eadem phraſis & p. 240. & in Ann. Bagd. ſæpiſſime, recurrit. Unde corrigendus locus p. 235. ubi pro سوره *armillis inſignivit*, legitur سـوده, vertente Cl. Erpenio, *Dominum renuntiavit.* Addatur Abulfar. Hiſt. Dyn. p. 374. de Mahmude, Syriæ Soltano: وجلس على التخت بالتاج والسوارين *conſedit in throno, regia indutus cidari, & duabus armillis.* Idem p. 183. de Jesdegjirde Perſarum Rege, اخفني ولـك منطقتي وسـواري . وخـاتمي *abſconde me, en tibi zonam meam, armillam meam, & annulum meum.* Eundem morem & Græcorum obſervarunt Scriptores. Xenophon de Exped. Cyr. lib. 1. de Artapate: Εἶχε ἀκινάκην χρυσοῦν, καὶ στρεπτὸν ἧ ἐφόρει καὶ ψέλλια, καὶ τὰ ἄλλα, ὥσπερ οἱ ἄριστοι τῶν Περσῶν. *Habebat acinacem aureum, & torquem geſtabat, & armillas, & alia, ut Proceres Perſarum ſolent.* Idem Inſtit. Cyr. lib. VI. de Abradata Rege: Προσφέρει αὐτῷ ἡ Πάνθεια χρυσοῦν κράνος, καὶ περιβραχιόνια, καὶ ψέλλια πλατέα περὶ τοὺς καρποὺς τῶν χειρῶν. *Adfert ei Panthea galeam auream, & tegumenta brachiorum, & armillas latas circa carpos manuum.* & lib. I. Ταῦτα γὰρ πάντα μηδικά ἐστι, καὶ οἱ πορφυροῖ χιτῶνες, καὶ οἱ κάνδυες, καὶ στρεπτοὶ περὶ τῇ δέρῃ, καὶ τὰ ψέλλια περὶ ταῖν χεροῖν. *Hæc omnia Medica ſunt, ut & purpureæ tunicæ, & candyes, & torques circa collum, & armillæ circa manus.* Nec omittendus Ammianus Marcell. lib. XXIII. de Perſis: *Armillis*

uti, monilibusque aureis, & gemmis, præcipue margaritis, quibus maxime abundant, adſuefacti. Unde & muneribus, quibus illuſtriores Legati a Perſiæ Regibus honorabantur, armillæ adjunctæ, ut Auctor eſt Aelianus lib. I. cap. 22. Tandem quoque militibus, qui virtutis ſpecimina edide-rant, armillas, ceu fortis brachii ornamenta, geſtare licuit, ut ex Herod. Uran. cap. 113. & Calliop. cap. 79. ut & Appian. Alex. de bellis Mithridat. p. 383. edit. Steph. conſtat. Qui mos dein & apud Romanos adoptatus, ut inter alios ex Iſidoro notum eſt, Orig. XIX. 31. *Armillæ proprie virorum ſunt, collatæ victoriæ cauſa militibus, ob armorum virtutem.*

Paucis adhuc obſervandum, tam viros, quam foeminas ſæpe non niſi unico brachio applicaſſe armillam. Ita Saul אצעדה *armillam* geſtaſſe dicitur l. c. & apud Ezech. XXI. 24. *Tanquam armilla impoſita brachio dextro.* Hinc *armilla* & *dextrale* vel *dextrocherium* appellata. De foeminis in ſiniſtro brachio portantibus, Feſtus: *Armillæ genus, quod mulieres geſtare ſolebant in brachio ſiniſtro.*

CAPVT VI.

Probatur רעלות denotare *Pepla Tremula.*

I.

Antiquorum Interpretum inconſtantia. Tenuiſſimis veſtigiis in Lingua Biblica inveniendum Thema רעל. Ipſa Radix in Conjug. *Hophal* occurrit Nahumi II. 4. הברושים הרעלו. Derivata ſunt רעל Zach. XII. 2. תרעלה Jeſ. LI. 17. 22. Pſalm. LX. 5. & רעלות.

Digitized by Google

רעלות Jeſajæ, quod nunc nobis exponendum. Ob quam Thematis infrequentiam haud mirum Veteres Interpretes in exprimendo ejus ſignificatu admodum titubare, nec firmo talo niti, uti eos conferenti facile patebit. Illud הברושים הרעלו verterunt LXX: οἱ ἱππεῖς θορυβηθήσονται, *equites timebunt*, plane contra Prophetæ ſcopum, quaſi pro ברושים in ſuis exemplaribus פרשים legiſſent. Ad ipſos Arabs & Syrus expreſſi. Inde &, ut videtur, Vulgat. ſuam expoſitionem hauſit, reddens: *agitatores conſopiti ſunt*. Nempe רעל & תרעלה ab aliis per *ebrietatem*, a nonnullis per *ſoporem*, explicata. Noſtrum vero רעלות Alexandrini (niſi in interpolatæ heic ejus Verſionis collatione fallamur:) reddiderunt per τὴν σύνθεσιν τοῦ κόσμου τῆς δόξης, ignotum qua ex cauſa. Chaldæus חניסנסיא habet, quæ vox, alibi Hebræorum חמן *ſtatua ſolaris* reſpondens, hic a Latino Interprete per *mitras* exponitur, forte ad Vulgatum reſpiciente, qui ita reddidit nomen Hebræum.

II. Quantam fruſtrationem offundat ignoratio primigeniæ originis non minus, quam totius ambitus ſignificationum, ſub quovis Themate comprehenſarum, novo, & luculento, ſpecimine nos docebit, quæ pluribus Hebræorum Magiſtris ſedit de verbo רעל ſententia. Adſcripſere ei *tegendi*, *operiendive*, ſignificatum, tanquam primarium & originalem. Omnium inſtar ſit Raſchi in Nah. II. vſ. 4: *Rabbinorum de verbo* רעל *ſententia.*

הרעלו מעוטפין ודומה לו הנטיפות והשירות והרעלות רעל *Radix in* ובלשן משנה מדיות רעולות במסכת שבת *Hoph. notat* opertum eſſe; *hinc* רעלות *apud Jeſajam inter veſtimenta recenſetur*, *& in Miſchna Tract. Schabbat memorantur veſtes* רעולות *quaſi* operientes. Quomodo & reliqua loca, ubi idem Thema occurrit, ſub eundem ſignificatum redigere tentent, percipiatur ex ejusdem Raſchii annotatis ad Zach. XII. 2. ריעל לישן שמכסה אותם הלב והאברים

והאברים מאין כח כארם המעוטף *Nomen* רעל ſtuporem *notat*, *cor & membra obturantem*, *ita ut nullæ ſuperſint vires*, *uti ſit*, *quando quis* veſtibus *arctius attractis includitur*. Alios, eandem *operiendi* ſignificationem inculcantes, quos inter & Abarbanel, lubens prætereo. Quantis autem hæc expoſitio nævis laboret, non opus eſt ut multis oſtendam. Ut enim taceam, noſtrum רעלות non generalem *veſtimenti* notionem admittere, ſed ſpecialius quoddam ornamenti genus denotare; certum eſt, locum Nah. II. 4. *operiendi* ſignificatum plane reſpuere & averſari. Sive enim nomen הברושים, de quo illud הרעלו prædicatur, ſecundum aliquos Judæorum, per *abietes*, ſ. *fraxinos*, ſive per *haſtas* ex *abietibus* confectas, exponas, neutro ſenſu *operiendi* notio locum poterit invenire.

Quorum aliqui Chaldæum רעל *contulerunt.*

III. Felicius itaque Rabbinorum nonnulli, quos & plerique literaturæ Hebrææ Reſtauratores Chriſtiani ſequuti, ad Chaldaicam ſeſe Dialectum contulerunt, lucem quæſitum. Neque ſpes eos plane fefellit. Conſervavit enim illa ſub ſuo Themate רעל *tremendi* ſignificatum, quem omnibus locis Biblicis, ubi רעל ſedem occupavit, apprime convenire, haud obſcure perſpexerunt. Cujus & notionis applicatio licet in reliquis locis non adeo difficilis fuerit, nec infelix, adjuvante nimirum totius textus conſideratione; non tamen ideo ceſſavit noſtrum רעלות impeditos habere Interpretes, tum quia in hac, quam tractamus, Jeſajæ pericopa ſingulæ voces non adeo evidenti & neceſſario nexu cohærent, & hinc orationis filum parum adfert adjumenti; tum quia hic porro quæritur, quodnam præciſe fuerit ornamenti genus, quod a *tremendo* ſuam ſortitum ſit denominationem? In quo definiendo fluctuant Interpretes & per diverſa feruntur. Auget difficultatem, quod in ipſorum Chaldæorum monumentis, quorum nobis facta copia, tenuis admodum ſit uſus hujus Thematis, imo, quan-

Digitized by Google

quantum mihi conſtat, non niſi apud ſolum Paraphraſtam unico in loco reperiatur, nempe Jeſaj. XXXV. 3. ubi is habet: רכובין דרעלן חסינו, *genua quæ tremunt, confirmate.* Nec ullus ſpecialior uſus, qui majorem lucem accendere queat, comparet. De ריעול, quod in Tract. Schabbat reperitur, mox dicentur plura. Inde itaque eſt, quod per noſtrum רעלות alii *bracteolas*, præ tenuitate *trementes*, intelligant, quæ communior eſt ſententia, cui & Doct. Belgae ſubſcripſere, in Textu, *de glinſerende kleedingen*, in notis autem hæc, habentes: *De kleederen bezaeyt met dunne goudene ofte ſilvere ſchubbekens of ſlitteren, die eenen glans gaven, alſſer de ſonne op ſcheen, als of het glinſerende ſterrekens geweeſt waren.* Alii volunt intelligi *acus tremulas aureas*, quos inter & Cl. Hoheiſel eſt; alii *mitras aureis bracteis trementes*, cujus ſententiæ Forſterus auctor fuit; alii aliud muliebre ornamentum; omnes ſe tradentes conjecturis, quippe locupleti ſatis luce deſtituti. Quarum omnium notionum fieri poteſt ut nulla ſit genuina, & vigente adhuc Linguæ uſu per vocem רעלות expreſſa. Et credibile eſt, quod in tanta obſcuritate nemo facile, niſi accedente ulteriori luce, veram ſignificationem in apricum protraxerit.

IV. Sicco pede tranſire nequeo Cl. Guſſetii de tota hac Radice רעל ſententiam, prorſus peculiarem, & ab aliis toto coelo diverſam. Nempe Vir hic Doctiſſimus, animadvertens, ſolius Chaldaiſmi auxilio illius Thematis indolem, nativam faciem, & inde derivatorum Nominum poteſtatem, non certo & evidenter ſatis cognoſci poſſe; pro eo quod conceperat Syſtemate, omnem opem alienam, maxime Dialectorum, &, quæ hinc emanaverat, *tremendi* notionem, plane rejecit, liberioribusque ſeſe conjecturis permiſit, ſola paucorum locorum collatione, in quibus noſtrum Thema ſuperſtes eſt, commendandis. Audiamus

Cl. Guſſetii conjectura.

 ipſum

ipſum in Comment. Ling. Ebr. p. 798. *Rubicundum notare poteſt.* 1. *De hominibus ebrietatem pugnacem deſignat, at ea vultus rubet, & ſæpe, ibi præſertim vino rubro, colorem ſuum viris conferente.* 2. *abietes Nah.* 2. 4. *poſſunt rubræ fieri, (ut ibidem clypei) ſanguine, quo inebriatæ, præ copia videantur, atque adeo viros ebrietate rubentes referant.* 3. *in mundo muliebri illa ætate & in illa gente non mirum ſi quædam nobis ignorentur, interim potuit eſſe aliquid rubrum, & ruborem in facie provocans qui appareret nativus & verus, quia non ex fuco, ſed ex ſanguine ſub cute nitente, emicare videretur, formæ autem puellari vividum quid ac ſplendidum conciliaret.* At vero huic conjecturæ expendendæ non multum operæ inſumam. Ex ipſa Viri Docti expoſitione novae hujus ſententiæ ſatis apparet, *rubicundi* notionem ex Scripturæ locis non adeo eſſe erutam, quam iis potius illatam. Quod ad phraſin attinet כוס התרעלה, nimis exilis prodibit ſenſus, ſi reddas per *calicem ruboris*, ſ. *ruborem excitantem.* Etenim Jeſaj. LI. 17. 22. ſermo eſt de *graviſſimis calamitatibus*, quæ hactenus Eccleſiam preſſerant, nunc brevi liberandam. Earum vero figuram *ruboris* notio, quantum video, haud commode ſuſtinebit. Idem ſentiendum de loco Pſalm. LX. 5. ubi per יין התרעלה turbæ, viciſſitudines, & civilia bella, innuuntur, quæ Iſraelitico populo, poſt Regnum in duas partes ſciſſum, incubuere. Nec abludit multum סף רעל Zach. XII. 12. Neutro in loco *ruboris* terminus aptus eſt, ad calamitatum atrocitatem depingendam. Porro per הרעלו Nah. II. 4. abietes intelligi nequeunt hoſtium ſanguine *rubefactae*, quoniam de Heroibus Propheta loquitur, ante prælium arma parantibus & ornantibus, uti ex tota orationis ſerie apparet. Neque, quantum mihi conſtat, ullus veterum memoriæ prodidit, morem fuiſſe, haſtas ante conflictum ſanguine, aliove rubro colore, tingere, quemadmodum id de ſcutis teſtantur.

tur. Tandem quid רעלות fuerint ipſe Vir Doctus ingenue fatetur ſibi ignorari. Ejus conjectura de fuco faciei colorem *rubrum* conciliante nullo ſeſe pacto adprobare videtur. Neque talis *fucus* inter *veſtimenta* commode eſſet relatus.

V. Sentis, opinor, ex iis, quæ hactenus allata & diſputata, quibus defectibus Hebræum Thema hodie laboret. Incerta nimirum hactenus primæva poteſtas, nec facile definienda & certa ratione conſtabilienda ex unico loco, Nah. II. 4. ubi ſuperſtes quidem Thema eſt in derivata *Conjugat.* ſed ob orationis brevitatem ita comparatum, ut non unam admittere valeat ſignificationem. Et quamvis Chaldæa Dialectus, ut jam annotavimus, opem tulerit haud contemnendam, notionum tamen derivatarum, & Nominum, quæ ex ſuis Verbis large emanare ſolent, ne minimum quidem veſtigium, & ne ſpem quidem, reliquit, fore ut ex anguſtis hujus Linguæ finibus noſtri רעלות ſignificatus antiquus erui, & extra dubitationis aleam collocari, queat. Ad locupletiorem itaque Dialectum nos conferamus, quæ nativam Radicis indolem, atque omnem, ut ita dicam, ambitum, nobis exponat. Confido Arabes hoc officium non detrectaturos. Quodſi Cl. Golii Lexicon Arab. evolvas, ad Rad. رعل רעל p. 1004. hæc habebis: *Valide ac vehementer haſta confodit*; ita *fidit* gladio; item, *deſipuit*, *fatuus fuit.* Qui in Hebræis & Arabicis originibus indagandis minus verſati, hos ſignificatus & a ſe invicem, & ab uſu Thematis רעל Hebræo, magnis diſſidere intervallis, quovis pignore contendent. Quod vero intimam ac ſororiam Arabiſmi cum Hebraiſmo conſanguinitatem hic nondum cernant, non niſi Gloſſariis, a Cl. Golio Latina veſte indutis, imputandum. Quorum Auctores, patriæ Dialecti egregii promotores, ingentem quidem vocum & uſuum vim nobis conſervarunt, & antiquiſſimis ex monumentis expromſerunt, ſed congerendis

Confertur Arabica Dialectus.

I 2 po-

potius notionibus, quam digerendis, & cum primigenia Thematum poteſtate connectendis, intenti, Lectorem, judicio Critico ornatum, requirunt, qui varias, & uberrimas ſæpe, tralationes ad ſuum fontem, & ſecundarios uſus ad primævam originem, reducere queat. Et neutiquam opulentiſſimos theſauros perdivitis linguæ exhauſiſſe ſunt exiſtimandi; quod hic annotaſſe non inutile Luerit. Quemadmodum itaque ex ſolis Suidæ & Heſychii Gloſſariis exactam Græcæ Linguæ cognitionem nemo ſibi comparare valet, ita quoque, ſi in interiores Arabiſmi adytus penetrare lubeat, Lexicorum collationi aſſidua optimorum Auctorum lectio adjungenda. Quare potius ex paucis, non tamen infimæ notæ, Auctoribus, quos legere mihi datum fuit, varios Thematis uſus exponam, qui clariſſimum lumen præpandent, in Sacras dehinc Literas ſeſe inſinuaturum. Principem Radicis رعل poteſtatem, in *tremendo* ponendam, quam & Chaldæos conſervaſſe jam obſervavimus, nec Arabes amiſerunt, licet rarior ejus uſus eſſe videatur. Proſtat in VIII. Conjugat. Cl. Golio plane omiſſa, apud Auctorem Hiſtor. Valid. والروائح من ارتعال رغالها ناسمة الطف من نسيم الازهار *Lenis aura tremore palmarum ejus horti excitata, ſuavior erat odore florum.* Doleo autem, plura hujus notionis exempla nunc non eſſe ad manum, ex quibus plenius perſpici poſſet, an forte aliquid adhuc magis reconditum in ſinu gerat.

Ex primigenia hac *tremendi* poteſtate ſecundaria emanavit notio Tranſitivo uſu prædita, *ſurſum deorſum* haſtam, infligendi ergo, *motitandi*, ſeu *librandi*, ut Virgilius dixit; inde adnata, quod haſta longior, antequam vibretur, in medio comprehenſa, duabus extremitatibus *tremat*. Percipies ex hoc Poëtæ:

ولقد

ولقد ذكرتك اذا ملاح الرمح
ترعل ليقشع الغبارا *

Memoriam colo Tui, quando haſtæ cuſpis
Libratur, denſum pulverem diſſipatura.

Hoſtiles intelligit catervas, ſolo haſtæ tremore pulveris inſtar perfringendas, & disjiciendas. Unde & primaria *tremendi* notio mihi in ipſo hoc loco commode retineri poſſe videtur, ſi verba ملاح الرمح ترعل vertamus: *haſtæ cuſpis tremit.* Sane Scholiaſtes verbum ترعل per تخطر exponit, quod Thema ipſi Golio eſt: *Surſum deorſum motitavit haſtam*, & hinc *agitata ita fuit* haſta, *tremuitve*; ut in illo Poëtæ veteris, apud Abulfed. in Hiſtor. Salad. p. 24.

ذكرتك والخطي يخطر بيننا

Memor tui ſum, licet haſtæ inter nos tremant.

Et hinc deductum خطّار, annotante iterum Cl. Golio, *tremulam* notat *haſtam*. Hiſt. Tam. p. 113. نروي السهام الطيارة والسيوف البتارة والرماح الخطارة *gerebant tela volitantia, gladios acutos, & haſtas tremebundas.* Similis luſus eſt p. 362. توجه بعزم امضي من البتار وحزم انفذ من الخطار *profectus eſt cum propoſito magis ſecante, quam gladius acutus, & magis penetrante, quam tremula haſta.* Unde ſimul apparet, haſtas tremulas in pretio, & validiores, haberi. Ovid. Heroid. IV, 43.

Aut tremulum excuſſo jaculum vibrare lacerto.

Silius V. 630.

— — — tremelundaque tela
Subducta tellure ruens torquebat in hoſtem.

Hinc factum ut in noſtro Themate رعل vivus linguæ uſus ditionem ſignificatus *motitandi*, *librandi*, *agitandi*, *haſtam*, ad validam *confoſſionem*, quæ *tremebunda haſta* intentatur, extenderit. Sic *Camus*: رعله طعنه طعنا شديدا h. e. uti habet Cl. Golius in Lex. *Valide ac vehementer haſta confodit*; quæ notio minus recte apud Lexicographos primum ſolet locum occupare. Exemplum habe in hoc Poëtæ:

ان رعلته الرمح قد نهلت بسخن
اسقته شطن من جب الوتيني *

Haſta, quando eum cum tremulo quaſi motu confodit, calido cruore ad plenum ſe ſatiavit,
Quem longior funis hauſit ex profundo puteo venae meae vitalis.

Hæc grandi ſpiritu prolata. Fingit, amici cæde tam acerbum ſibi vulnus eſſe inflictum, ut ipſemet lethiferum haſtæ ictum excepiſſe ſibi videretur. Dithyrambica hac figura uſus & Ovidius, non abſimili ratione, Heroid. XIII. 79.

Parcite, Dardanidæ, de tot (precor) hoſtibus uni,
Ne meus ex illo corpore ſanguis eat.

Obſervari adhuc meretur, quod noſtrum Thema رعل etiam uſurpetur pro *ictu validiori*, qui *gladio* infligitur. Sic

Sic enim رعال exponitur etiam per سرعة القطعة وشدته *velociter & vehementer aliquid gladio diſſecare.* Hinc apud Cl. Golium reperies: *Fidit gladio.* Proprie eſt, *vibrare gladium ut tremat*, vel, *cum aliquo tremore penetret & diffindat.* Ita Silius Ital. Lib. VII. 702.

— *Ferrumque ſuper cervice tremiſcens.*

VI. Concludamus hinc, Thema רעל antiquis Hebræis nihil aliud quam *tremere* denotaſſe. Neque minus certum, ſecundariam notionem *librandi*, vel *ſurſum deorſum motitandi*, haſtam, quam apud Arabes illinc effluxiſſe oſtendimus, & olim penes Hebræos viguiſſe. Eam in Conjugat. Tranſitiva *Hiphil* per הִרְעִיל extulere, quaſi dicas, *fecit tremere* haſtam; & in hujus Paſſivo *Hophal* ſonarunt הָרְעַל q. *tremefacta eſt* haſta, ubi ſignificatus cum primæ Conjugat. uſu Intranſitivo pene coincidit. Hoc unicum הרעל ſemel ſuperſtes eſt Nahumi II. 4. omnibus cognatis uſibus & inflexionibus ex Lingua Biblica plane exulantibus. Verba Hebræa ibi ſic ſonant: מגן גבורהו מאדם אנשי חיל מתלעים באש פלדות הרכב ביום הכינו והברשים הרעלו

Illuſtratur Nah. II. 4.

Latinus Interpres hæc ita exponit: *Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis; igneæ habenæ currus in die præparationis ejus, & agitatores conſopiti ſunt.* Græca Verſio hic tot mendis ſcatet, ut ne quidem adduci mereatur. Locus, fateor, ſubobſcurus eſt, cui operæ pretium fuerit aliquid lucis adſpergere. In eo verſatur Propheta, ut ſolatium afferat Eccleſiæ Judaicæ, metuenti ab Aſſyriorum potentia, poſt Regnum Iſraelitarum a Sennacheribo Rege ſubverſum, & decem tribus ex patriis ſedibus evulſas. Quem in finem Ille ſuis pacem & ſecuritatem promittit, Monarchiæ autem Aſſyriacæ proxime inſtans excidium

dium minatur. Graviſſimam hanc tanti Imperii ſtragem & internecionem ut eo certius Judæis perſuadeat Vates, Babylonios introducit, Aſſyriorum hoſtes, tanquam bellum jam parantes, & Niniven metropolin proxime obſidione cincturos. Scena hæc per totum Caput ſe extendit, illorum bellicum apparatum, ac immanem ſævitiam, & Ninivitarum inſequuturam cladem atque vaſtationem, graviſſimis figuris depingens. Id argumentum, is ſcopus, eſt & vſ. quarti, ubi primo ſe offert מגן גבורהו מאדם *Clypeus fortium ejus rubefactus*. In his parum difficultatis. Obſervarunt jam Viri Docti, alludi ad Veterum morem, clypeis ſanguineum, aliumve rubrum, colorem inducendi, vel ad hoſtes terrendos, vel ad avertendum ex ſanguine viſo in pugna tremorem. Mallem tamen potius igneum intelligere fulgorem æris vel aurichalci vel etiam auri, clypeis olim obducti. Sane Hebræum מאדם notionem fulgoris candentis, & cum rubore conjuncti, vel commixti, non reſpuit, ut prolixe Bochart. Hieroz. Part. II. Lib. V. cap. 6. probat, exponens locum Thren. IV. 7. ubi Thema אדם tanquam *margaritis* proprium adhibetur. Et a *lucidiſſimo fulgore* gemmæ ſpecies אדם appellata. Pertinet huc 1 Macc. VI. 39. Ὡς δὲ ἔστιλβεν ὁ ἥλιος ἐπὶ τὰς χρυσᾶς καὶ χαλκᾶς ἀσπίδας, ἔστιλβε τὰ ὄρη ἀπ᾽ αὐτῶν, καὶ κατηύγαζεν ὡς λαμπάδες πυρός. Similiter Virg.

Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno.

Silius lib. I. 467.

— — — *late fulgurat umbo.*

Et lib. II. 395.

— — *clypeum ſævo fulgore micantem.*

Propert. de antiquis Romanis:

Picta

Picta nec inducto fulgebat parma pyropo.

Quod *pyropum* Iſidorus lib. XVI. cap. 19. æris genus vocat, ita dictum, quod *flammas* imitetur. Non diſſentiente Plinio, lib. XXXIV. cap. 8. Nec omittendus Plautus, in initio Militis, ſimul uſum rutilantis hujus coloris lepide tradens:

Curate, ut ſplendor meo ſit clypeo clarior,
Quam ſolis radii eſſe olim, cum ſudum eſt, ſolent:
Ut, ubi uſus veniat, contra conſerta manu
Oculorum præſtringat aciem in acie hoſtibus.

Subjunctum: אנשי חיל מתלעים *viri ſtrenui purpurati.* Res jam nota ex Judic. VIII. 26. ubi Iſraëlitæ Midianitis prælio ſuperatis inter alia & *veſtes purpureas* detraxiſſe narrantur. Similiter & Lacedæmonii, præter χαλκῆν ἀσπίδα *clypeum æneum*, & φοινικίδα *puniceam tunicam*, in prælio geſtabant, teſte Xenoph. de Rep. Lac. p. 668. aliisque; ἵνα μὴ αἰσθάνωνται τοῦ αἵματος διὰ τὴν ὁμοιότητα, καὶ ἵνα τρωθέντες μὴ νοηθῶσι τοῖς πολεμίοις, *ne ſanguinem ſentirent ob coloris ſimilitudinem, nec hoſtes, ſi vulnerati eſſent, perciperent*; ut habet Scholiaſtes Ariſtoph. ad Εἰρ. vſ. 1173. Sic Silius III. 236.

— — — rubræ velamine veſtis
Ars erat in pugna fuſum occuluiſſe cruorem.

Vel ut paulo aliter Suidas in καταξαίνειν: ὅτι τὸ τῆς χρόας ἀνδρικόν, *quod color iſte virilis eſſet*, & ὅτι τὸ τοῦ χρώματος αἱματῶδες τῆς τοῦ αἵματος ῥεύσεως ἐθίζει καταφρονεῖν, *quod milites colorem rubrum crebro intuentes ipſa aſſuetudine cruorem contemnere addiſcant.* Eadem Suidas & in φοινικίδα habet, & Scholiaſtes Ariſtoph. ad Ἀχαρν. vſ. 319. Romani eodem modo pugnae inchoandæ ſignum dabant per tunicam coccineam, quam *ruſſam* vel *ruſſatam* dixere, teſte Iſido-

10; de qua cum prolixe egerint Viri Docti, non eſt quod dicam multa.

Sequuntur verba admodum intricata באש פלדות הרכב ביום הכינו. In diverſiſſima hic abeunt Interpretes. Cl. Coccejus ita reddidit: *in igne facum* erant *currus*, *in die diſponendæ* aciei *ejus*; ſed, quantum video, ſenſu neque claro, neque pleno. Præ aliis, quos hic referre non vacat, apud Commentatores videndos, mihi arridet Grotii expoſitio, qui ad h. l. hæc annotavit: *Igne quaſi lampadarum coruſcant currus eorum tempore expeditionis, nempe ſcintillantibus rotis.* Comparatis nimirum cum lampadis curribus, ob continuam ſcintillarum in transſiliendo excuſſionem. Poſſet tamen hoc merito deſiderari, quod hæc ipſa idea clarioribus verbis ſequenti verſu ſe offerat, ubi de curribus dicitur, מראיהן כלפידים *eorum adſpectum eſſe tanquam facum*; atque dubio procul ad ſcintillantes curruum rotas reſpicitur. Non autem probabile eſt, eandem comparationem in duobus proxime ſe conſequentibus verſibus bis eſſe admiſſam. Videtur itaque mihi Propheta alludere ad veterum morem, quo, inſtructa acie, & jamjam in hoſtes movente, *facem ardentem*, ceu incundæ pugnæ ſignum, agitabant, & mox in medium ſpatium, quod utrumque exercitum ſeparabat, projiciebant, ut ita ſe ad prælium paratos & inflammatos profiterentur; ut dextre judicat Cl. Lydius, de Re Milit. Lib. IV. cap. 2. ubi vetuſtum hunc ritum ex antiquitate protraxit. Addam ſolum Euripidem in Phoeniſſ. quem a Viro Doctiſſ. omiſſum video.

Ἐπεὶ δ᾽ ἀφείθη πυρσὸς, ὡς τυῤῥηνικῆς
Σάλπιγγος ἦχος, σῆμα φοινίου μάχης.

Jacta ignea face, ut ſono Tyrrhenicæ
Tubæ, cruenti prælii indice.

Ubi

Ubi Scholiaſtes: Ἐχρῶντο ὖν κατὰ τὸ παλαιὸν ἐν τοῖς πολέμοις ἀντὶ σαλπιγκτῶν πυροφόροις. Οὗτοι δὲ ἱεροὶ ἦσαν Ἄρεως ἑκατέρας ςρατιᾶς προηγέμενοι μετὰ λάμπαδος, ἣν ἀφιέντες εἰς τὸ μεταίχμιον ἀνεχώρυν ἀκίνδυνοι· Καὶ ὕτως συνέβαλλον αἱ ςρατιαί. *Olim in prælis tibicinum loco utebantur Pyrophoris* (ita dictis quod *lampada præferrent*, ut habet Alex. ab Al. lib. 5. cap. 3.) *Qui Sacerdotes erant Martis, ab utroque exercitu præmiſſi cum face, qua inter duas acies projecta, illæſi diſcedebant. Et tum demum exercitus collidebantur.* Neque etiam Græcis Interpretibus hic mos ignotus fuit, qui aliquoties, data licet minus commoda occaſione, eo reſpexerunt. Ut Jobi XLI. 20. ubi de Leviathane, cum in Hebræo eſſet: *Ridet ad vibrationem haſtæ*, ipſi exhibuerunt: Καταγελᾷ δὲ σεισμὲ πυροφόρε, *deridet agitationem Pyrophori*; h. e. *agitationem facis factam per Pyrophorum.* Sed & de his vide Virum ſupra laudatum. Amplio enim. Applicemus itaque hanc obſervationem noſtro Textui, ita reddendo: *Viri ſtrenui purpurati* באש פלדות הרכב *cum igne facum currus* ſc. ſunt vel accedunt; hanc enim, vel ſimilem, ellipſin Textus, quomodocunque exponatur, requirit. *Faces currus* vocantur, tum quia veteris militiæ maximum præſidium in curribus ponebatur, tum quia ex curribus pugnandi initium fieri ſolebat, & hinc ardentes faces, ineundi prælii ſigna, in curru agitabantur, & ex eo projiciebantur. In ſequentibus ביום הכינו, quæ verti ſolent: *in die diſponendæ aciei ejus*, nihil muto; annotandum potius, hæc verba cum noſtra præcedentium expoſitione apprime convenire, eique aliquid addere roboris. Oſtenſum enim, faces ardentes non projici, niſi acie jam formata, & mox cum hoſte congreſſura. Senſus itaque eſt: *Ninivitarum hoſtes jamjam in aciem prodire, bellum, prælium, cædes, denuntiare, & Mavortio ardore armis decertandi inflammari.* Ad diram hanc faciem pingendam illa phraſi nihil accommodatius excogitari poteſt. Si-

 mul

mul elegans notetur gradatio, qua Propheta Heroës introducit, primo *arma*, dein *militaria veſtimenta*, parantes, denique in hoſtem prodeuntes, & ad prælium provocantes.

Hæc proſequi haud piguit, ut orationis filum, dicentisque ſcopus, nos manuduceret ad feliciorem phraſeos, quæ nunc ſequitur, הברושים הרעלו explicationem, in qua non minor eſt vis & elegantia. Infelici conjectura Abarbanel ita interpretatur: *Inſtar abietum titubant* (heroës) *præ hauſto vino*, reſpiciens ad כוס התרעלה, de quo mox, & particula (כ) in ברושים ſubintellecta. Sed huic ſenſui tota textus complexio aperte repugnat. Eodem reſpexiſſe etiam Ill. Grotius videtur, reddens: *abietes venenatæ ſunt*. Palmam omnibus, me judice, præripuit ſummus Coccejus, vertens: *& abietes quaſſantur*. Preſſius paulo reddi poteſt: *haſtæ fraxineæ librantur*. Nempe ברוש, quod *fraxinum*, vel, ut alii volunt, *abietem*, denotat, *haſtam* hic ſignificat metonymice, quoniam haſtæ ex *fraxinis*, vel etiam *abietibus*, aptabantur. Simili ratione Græcorum μελίη adhibetur. Unde paſſim apud Homerum πηλιας μελίη, *haſta Peliaca*, ut Iliad. Φ. 162. &c. Sic Odyſſ. Ξ. 281.

Ἦ μέν μοι μάλα πολλοὶ ἐπήϊσσον μελίῃσιν.

Certe me valde multi adoriebantur fraxineis haſtis.

Ita Heſiodus *aureas fraxinos* pro *aureis haſtis* dixit de ſcuto Herc. vſ. 188.

Ἀργύρεοι, χρυσέας ἐλάτας ἐν χερσὶν ἔχοντες.

Argentei, aureas fraxinos in manibus habentes.

& paulo poſt:

Ἔγχεσιν,

Ἔγχεσιν, ἠδ᾽ ἐλάτῃς αὐτοσχεδὸν ὡρμηθέντο·

Lanceis, atque fraxineis haſtis cominus certabant.

Statius Theb. VI. 102.

— — Infandos belli potura cruores
Fraxinus. — — —

Virgil. Aen. XI. 667.

Adverſi longa transverberat abiete pectus.

Ita *taxus* uſurpatur a Silio lib. 4.

It ſtridens per utrumque latus Mauruſia taxus.

Et *cornus* a Statio Theb. lib. 8.

— — ſed ſtridula cornus in hoſtem
It, referens mandata Ducis.

Cum his ברושים *fraxineis haſtis* commodiſſime conjungitur הרעלו. Ex iis quæ ſupra jam diximus patet, verbum hoc exponendum eſſe de *tremore* haſtarum, dum *librantur*, infligendi ergo. Manifeſto itaque Propheta alludit ad morem priſcorum Heroum, ante congreſſum haſtas in medio comprehenſas quaſſandi, earumque extremitates ſurſum deorſum motitandi, ut ita animum pugnæ cupidum teſtarentur. Hom. Il. Γ. 344.

Καὶ ῥ᾽ ἐγγὺς στήτην, διαμετρητῷ ἐνὶ χώρῳ,
Σείοντ᾽ ἐγχείας, ἀλλήλοισιν κοτέοντε·

Ambo propius ſtabant, dimenſo in loco,
Quaſſantes haſtas, ſibi invicem irati.

II. 212.

— — — νέρθε δὲ ποσσὶν
Ἤϊε, μακρὰ βιβὰς, κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος·

— — — *infra autem pedibus*
Ibat, longe gradiens, librans prælongam haſtam.

N. 582.

Βῆ δ' ἐπαπειλήσας Ἑλένῳ ἥρωϊ ἄνακτι,
Ὀξὺ δόρυ κραδάων· ὁ δὲ τόξου πῆχυν ἀνέλκε.

Prodiit minitans Heleno heroi regi,
Acutamque haſtam librans; hic autem arcum ſinuatum attraxit.

Tandem X. 133. de Achille:

Σείων Πηλιάδα μελίην κατὰ δεξιὸν ὦμον.

Quaſſans Peliacam fraxinum ad dextrum humerum.

Ex quo loco, ut obiter hoc annotem, illuſtrari poteſt 1 Sam. XVII. 6. ubi Goliat כידון נחשת *lanceam æneam*, ſ. *ære munitam*, dicitur geſtaſſe בין כתפיו *inter humeros ſuos*, h. e. uti Joſephus habet, ἐπὶ τῶν ὤμων, *ſuper humeris*. Unde non opus eſt, cum quibusdam per כידון *clypeum* intelligere. Pergo ad Virg. Aen. II. 175.

Emicuit, parmamque ferens, haſtamque trementem.

Addatur Seneca Phoen. IV. 468.

— — *trementem jamque cupientem excuti*
Haſtam ſolo defige.

Nec

Nec in Oriente hunc morem fuiſſe ignotum, ex ſuperioribus jam patet. Satis, opinor, elucet, quid ſibi velit phraſis: *haſtæ fraxineæ librantur.* Nempe copias, quas Aſſyriorum hoſtes adducturæ ſint, inſtructiſſimas fore, pugnae avidiſſimas, cædem & internecivam lanienam anhelantes, & non niſi dira totius gentis ſtrage exſatiandas; imo illos bellatores jam inſtare, & in eo jam occupatos eſſe, ut aciem fortiter inſtruant, & contra hoſtes ſtrenue educant.

Quamvis hæc nimis forte prolixe exſequutus ſim, non poſſum tamen quin addam, quod, ſi quis omnino malit, cum Doctiſſimis quibusdam Interpretibus totam hanc Pericopam non adeo de *præparatione ad pugnam* intelligere, quam potius pro ipſius *certaminis*, & inſequuturæ Ninivitarum *ſtragis*, deſcriptione habere; & hinc verba מגן גבורהו מאדם, & אנשי חיל מתלעים, de *clypeis veſtibusque*, Babyloniorum, *rubro* hoſtilis *ſanguinis colore* tinctis & perfuſis; phraſin autem באש פלדות הרכב de *fervente* & quaſi *igneo curruum impetu*, cuncta perrumpente & diſſipante; & verba denique ביום הכינו non de *acie* adhuc *inſtruenda*, ſed jam *inſtructa*, & cum hoſte manus jamjam conſerente, exponat; ei, ſpero, diſplicere non poſſit, ſi adhuc obſervavero, ad ſenſum phraſeos הברשים הרעלו eodem inclinandum, non opus eſſe cum Cl. Guſſetio eam vertere per *abietes*, eodem modo ut antea *clypei*, *ſanguine rubefactas*; ſed etiam hic Arabes aliquid ſubminiſtrare, quod ſe in hac ſerie tueri & ſuſtinere queat. Vidimus enim, Verbum رعل admiſiſſe etiam notionem *valide confodiendi*, haſta in ictu, qui infligitur, *tremente.* Similiter & Hebræis in *Conj. Hiphil* הרעיל olim denotavit: *fecit tremere haſtam, eam vibrando & excutiendo.* Itaque הברשים הרעלו, ex *Conj. Paſſ. Hophal*, reddi etiam poteſt: *haſtæ fraxineæ factæ ſunt valide confodere*, & *tremulo*,

lo, id eſt, validiori, ictu, altiſſimisque plagis, *contrucidare*. Mihi tamen prior illa expoſitio & phraſibus Prophetæ, & toti contextui, convenientior videtur.

Alia Thematis tralatio, etiam in Scriptura ſuperſtes.

VII. Pergimus ad aliam Thematis رعل poteſtatem, a præcedenti multum quidem diverſam, ſed ab eadem tamen origine deducendam. Eam Cl. Golius exponit per *deſipere*, *fatuum eſſe*. Unde deſcendunt رعالة *dementia*, *fatuitas*, & ارعل *fatuus*, quod in *Camuſo* per الاحمق explicatur. Gravius tamen & fortius quid hic uſus in ſinu gerit, quam forte ex hac interpretatione primo intuitu apparet. Non enim adeo *fatuum* exprimit, & *mente infirmum* ſolummodo, ſed eum potius, cui fere omne rationis lumen ademtum, cui omnis quaſi *mens excuſſa*, vel *trepido horrore*, ac *ſtupore perculſa*, *jactata* & *exagitata*. Hanc vim non dubito ineſſe phraſi aliquoties in Scriptura occurrenti, כוס התרעלה *calix tremoris*, vel potius, ſi dicere ita liceat, *tremefactionis*, Jeſaj. LI. 17. 22. Pſalm. LX. 5. & סף רעל *cyathus tremoris*, uti eſt Zach. II. 5. Grave & atrox quidpiam in hac loquutione reſidere, ex locorum inſpectione cuivis in oculos incurret. Non itaque ſolummodo intelligenda eſt de *poculo* mentem bibentis *turbante* & *infatuante*, ſed penitus *excutiente*, & per vim ſuam venenatam animum dante in *trepidationem*, *vertiginem*, imo *ſtuporem*, vel *furorem* potius; ut & ipſum corpus diro æſtu & lethali tabe *exagitante* & *conficiente*. Graviſſima itaque eſt hæc *tremoris* figura, & ad expingendum atrociſſimas, omne genus, calamitates & poenas, quas Divina Juſtitia vel impiis & rebellibus Judæis, vel temerariis Eccleſiæ hoſtibus, irrogavit, & inflixit, aptiſſima.

Vocem רעלות pepla tremula nota-

VIII. Amputo reliquarum notionum ſecundariarum, quas Arabes pro ubertate ſui ſermonis in Themate رعل admiſerunt, explanationem. Pedem itaque promoveo ad deri-

derivatum Nomen رَعَل, noſtro potiſſimum ſcopo in ſerviens. Apud Gjeuharium in Lex. primo habetur: re oſtendi-tur.
الرعل ما يقطع من اذن الشاة ويترك معلقا.
Unde Cl. Golius: *Pars ſecta auris camelinæ, vel ovillæ, quæ deorſum pendere ſinitur*; & ad vocem رعلاء: *Camela, cui pars auris reſecta propendet, & ovis longis auribus prædita.* Quæ pariter ex primigenia Thematis poteſtate, quam in *tremendo* poſuimus, emanarunt. Auris enim propendula *tremit*, maxime in inceſſu. Solent autem Orientales ovium & camelarum aures incidere, ut dependeant, (quod nobiliorum fere ſignum eſt) loboque pendulæ auris inaures appendere. Latiori uſu vocabulum رعل quoque de hominibus uſurpatur, qui, ſi cui rei non attendant, aures, non *arrectas*, ſed *propendulas*, proprie *tremulas*, habere, non ineleganti figura, dicuntur. Quod percipies ex hoc Saſeirii verſiculo:

قوردت الصماخ بغير رعل

Aquatum duxi aurem non propendulam.

Fere ut Propertius dixit:

Nunc mihi, ſi qua tenes, ab origine dicere prima
Incipe, ſuſpenſis auribus iſta bibam.

Porro hoc رعل, notante Gjeuhario, idem eſt ac شاب *juvenis*, ita dictus ob *inconſtantiam* & *levitatem*, quæ juventutem regit. Addit ex eodem Golius: *prominens pars alicujus rei*; quæ notio inde accrevit, quod ſumma faſtigia, imprimis arborum, *tremere*, & huc illuc *agitari*, intelligantur. Quam ob cauſam & رعلة *palmam* denotat *proceram*. Tandem ex Firauſabadio Cl. Golius obſer-

L vat,

Digitized by Google

vat, vocabulum رعل quoque ſignificare *Veſtimenta*. Iſtius verba ſunt: ومن الرجل ثيابه. Conſimiliter Gjeubarius: رعله اي ثيابه *Nomen* ריעל *ſignificat hominis veſtimenta.* Quæ notio, generalioribus verbis expreſſa, ſub ſe aliam ſpecialiorem præcipue comprehendit, nunc ex Arabum ſcriptis promendam; ex qua illam traxiſſe originem, vero ſimile eſt. Nempe illud رعل proprie *tegumentum capitis* eſt *muliebre*, ipſam quoque *faciem obvelans*; nomen inde ſortitum, quod anterior ejus pars vultum tegens, poſteriori, in tergum defluenti, e regione oculorum, fibulis ſ. circeilis ita conjuncta, ut nonnihil ſpatii relinquatur, per quod oculi transſpiciant, *tremere*, &, quod a *tenuibus loris dependeat*, huc illuc, in *inceſſu* præcipue, *jactari*, conſpiciatur. Notionem hanc, quam, uti diximus, Lexicographi ſpecialius non annotarunt, aliquot exemplis, quæ mihi ſe hactenus obtulerunt, munitam dabo, ne ad eam temere, & ſine expreſſa Arabum auctoritate, provocaſſe videar. Prodeat primo Safeirius Poëta:

وان اتاه خليل يوم مسغبة
يقول ما لي غيب الا ارعالا *

Quando venit ad eum amicus die famis,
Dicit, nihil mihi eſt abſconditi, niſi tremula mulierum vela.

Ubi Scholiaſtes: رعل اي مقنعة مقرونة بالاكاريس حذاء الطرف كقول الاخر

سمحاء ضخمة الدسيعة تنشبث
بذيل رعلها ال الفغال *

Vox

Vox רעל *ſignificat* calanticam *fibulis conjunctam e regione oculorum. Ea & alius Poëta uſus:*

> *Foemina liberalis, ampliſſimisque dotibus inſtructa,*
> *In cujus pepli tremuli laciniam ungues infigit familia Fakalidarum.*

Ut mentem tam Scholiaſtæ quam Poëtæ aſſequaris, exponendum ante omnia, quid Arabibus per مقنعة *calanticam* intelligatur. Nempe *indumentum capitis* eſt *muliebre, duo fere cubita longum, quod domi foriſve capiti imponitur, antrorſum patens*, ut Cl. Golius habet. Hoc tegumentum, perinde ac رعل, ex duabus conſtat partibus, quarum altera cervicem & tergum operit, altera faciem velans in pectus defluit. Ita fere Mohammed Ibn Ahmed in Comment. in Alcor. يستروا الراس والعنق والصدر بالمقانع *tegantur caput, cervix, & pectus calanticis.* Nec confundendum muliebre hoc tegumentum cum virili, quod etiam interdum مقنعة, alias برنس, appellari ſolet. Vid. Hiſtor. Tamerl. p. 78. 196. & Abulfar. Hiſt. Dyn. p. 287. Satis apparet, مقنعة nomen eſſe generalius, per quod رعل noſtrum commode exponi quidem poteſt, ſed ita tamen, ut habeat aliquid, quod non omnibus calanticæ ſpeciebus eſt commune. Quo præcipue pertinet, quod رعل partibus duabus conſtet per anſulas ſ. fibulas connectendis, quod de مقنعة nuſpiam reperio. Ut & quod illud peplum ſit longius; quare & *laciniam* Poëta mox allatus ei adſcribit, quæ opum hic pingit affluentiam, cothurno Arabibus admodum noto & familiari. In hac lacinia *ungues* dicit *infigere* familiam &c. h. e. ſpem & præſidium reponere in liberalis foeminæ, quam laudan-

Digitized by Google

dam ſibi ſumſerat Poëta, fortunis. Eo enim ſenſu phraſis تشبث بذيله, vel plenius تشبث المخاليب بذيله *infixit ungues in laciniam ejus*, Arabibus teritur, figura a *feris* ſumta, *prædæ ungues infigentibus*. Ut in Append. MS. ad Hiſt. Tam. ومن رام التسلق الي ذروة العلوم فليتشبث باذيال استارها *Qui ſcientiarum faſtigium voluerit conſcendere, in eas, ceu in velorum lacinias, ungues infigat neceſſe eſt*. Ad formulæ elegantiam plenius percipiendam haud poenitebit inſpexiſſe Hiſtor. Tamerl. p. 29. 60. 136. 224. 335. 349. 353. 365. 376. &c. &c.

Pergo ad aliud teſtimonium, unde non tantum ſignificationem, quam voci رعل aſſignavimus, fortius aſſerere, ſed & pepli hujus figuram & uſum preſſius cognoſcere, licebit. Suppeditat id mihi Abou-Thibus elegantiſſimus Arabum Poëta:

رأراء خطالة قاصرة الطرف
انا تقصر الرعلة الابصار *

Foemina oculis micans, impudica, tum demum demittens vultum,
Quando peplus tremulus cohibet viſum.

Phraſis قاصرة الطرف proprie foeminam notat *oculos ſ. viſum coarctantem*, & hinc, *reſpicientem ad neminem niſi ad maritum*, tandemque de *pudica* quavis uſurpatur; ut fere Ovid. Amor. II. 4. 11.

Sive aliqua eſt oculos in ſe dejecta modeſtos.

Sed Poëtæ Arabi de foemina ſermo eſt modeſtiam ſimulante, cujus impudici oculi non niſi velamento faciei cohiberi;

Digitized by Google

ſieri poſſunt. Unde & hoc non obſcure colligi poteſt, prætento *peplo tremulo*, aciem oculorum, ob tenues poros, quibus lux admittitur, non nihil coartari, & quaſi hebetari; ut & apparet ex hoc Tograi:

ولا اهاب الصفاح البيض تسعدني
باللمح من خلل الاستار والكلل *

Non timeo gladios latos coruſcantes, qui me beatum reddant,
Levi intuitu e rima peplorum & conopæorum.

Neque etiam hoc prætereundum, quod Abou-Thibus in verſu mox adducto nomen رعلة, cum *terminatione foemin.* eodem ſenſu adhibuerit, quo رعل *maſculin.* ſupra vidimus uſurpatum: Quod ideo moneo, ne quis, neglecta hac obſervatione, litem nobis de *generis* diverſitate moveat, dum רעלות Jeſajæ *foemininam*, رعل autem *maſculinam*, habeat terminationem. Videmus enim in utroque genere & terminatione Arabibus id nomen enuntiari.

Ex loco Miſchnico aliud ducitur argumentum.

IX. Ex iis, quæ hactenus in medium prolata, ſatis quidem certo conſtat, non poſſe vocis رعل vel رعلة ſignificationem, qua *peplum* notat *tremulum*, in dubium revocari. Non leve tamen pondus noſtris addet obſervationibus locus Miſchnicus in Codice Schabbath Cap. VI. Sect. 6. ubi habetur: ערביות יוצאות רעולות quæ reddo: *Arabes foeminæ in publicum prodeunt velatæ peplis tremulis.* Fuiſſe enim inter Miſchnicos Doctores, qui & linguæ & rituum Arabicorum haud eſſent imperiti, nemo, niſi iratis Muſis Hebræis natus, negabit. Et, quod maxime huc facit, ipſi Hebræorum Magiſtri in illius loci explicatione amiciſſime nobiſcum conſpirant, quos ſua laude non fraudabo.

dabo. R. Iſaacides in Commentar. ערביות יוצאות רעולות דרך ערביות להיות מעוטפות ראשן ופניהן חוץ מן העינים וקראו לו בלשון ערבי רעלות היינו הרעלות דכתיב גבי תכשיטי נשים בספר ישעיהו h. e. *Mos Arabibus foeminis eſt, caput, atque adeo vultum, exceptis oculis, velorum quodam genere operire, quæ in Arabica Lingua* רעלות *appellitantur. Hinc explica illud* רעלות, *cujus Jeſajas inter mulierum ornamenta mentionem fecit.* Nec aliter Bartenora in Gloſſis: ערביות יוצאות רעולות מעוטפות בראשן ופניהן מכוסות חוץ מן העינים כדרך ערביות *Arabes foeminæ egrediuntur cum peplis tremulis, quæ caput & faciem, præter oculos, tegunt, more in Arabia receptiſſimo.* In Lexico Rabbinico *Aruch* dicto ad vocem ערב hæc habentur: ערביות רעולות פירוש נשים ערביות יוצאות ברעלות כדכתיב השרות והרעלות משימות בגד על ראש ומכסות כל הפנים שאין נראה אלא העינים *Voces* ערביות רעולות *idem ſibi volunt, ac ſi dicas, Arabes egrediuntur cum peplis* רעלות *dictis; quo refer illud* רעלות *Jeſajae. Eſt veſtis capiti impoſita, faciem velans totam, ita ut ſoli oculi conſpiciantur.* Addatur Kimchius in Libro Radic. פירושו שמשימות צעיף על ראשן ומכסות כל הפנים שאין נראה להן אלא העינים *Senſus Miſchnici illius loci hic eſt, quod foeminæ Arabes tectæ incedant caput, & velatæ faciem, ita ut ſoli oculi cerni queant.* A communiori hac ſententia ſolus diſceſſit Maimonides in Commentar. qui רעלות idem eſſe ait ac *ornatas* בזגין או בפעמונים *campanulis* vel *tintinnabulis*, quem ſignificatum & noſtro רעלות adſcribit. Sed, ut taceam, de more Arabum cum tintinnabulis vel campanulis in publicum prodeundi nihil aliunde conſtare, certum eſt, quod Maimonidis opinio ex uſu Arabicæ vo-

vocis رعل nullo pacto poſſit confirmari. Ignota plane hæc notio. Neque a *tremendo* ea commode deduci potuit, cum tintinnabulorum *ſonare* potius ſit quam *tremere*. Et aptiores ſunt & Hebræis & Arabibus dictiones ad tintinnabula deſignanda. Longe itaque tutius, reliquorum Magiſtrorum ſententiæ calculum adjicere, tot argumentis ſeſe adprobanti.

Cl. Vitringæ conſenſus.

X. Iis quæ hactenus tam ex Arabum quam Hebræorum veteribus monumentis in medium protulimus, rite expenſis & ponderatis, ne Carneades quidem, ſpero, dubitaverit, per רעלות noſtrum *pepla tremula* eſſe intelligenda. Etenim probata amiciſſima Thematis رعل cum Hebræorum רעל harmonia, ne locus quidem ambigendi, an *ἅπαξ λεγόμενον* רעלות ex Arabiſmo poſſit vel debeat illuſtrari. Non equidem nego fuiſſe & alios, qui de hac voce recte ſenſerunt. Attamen quæcunque hactenus de ea a Viris Doctis prolata, ultra conjecturas haud eſcendere. Magnus quidem ille Jeſajæ Commentator, Celeb. Vitringa, & ipſe Miſchnico, quem produximus, loco, ejusque Gloſſatoribus fultus, optime ſubductis calculis, *vela faciei*, non tamen ſine aliqua fluctuatione, amplexus fuit. Quoniam autem ſuam ſententiam aliqua Dialecto non diſerte ſatis confirmavit, diſſenſere a Magno Viro, quotquot fere poſt ipſum de noſtro רעלות diſſeruerunt. Quos inter & Cl. Hoheiſel eſt, in Obſervat. in Jeſaj. p. 32. qui, *acus tremulas aureas*, ut ſupra jam monuimus, exhibens, licet nullis fultus rationibus idoneis, *obſcurum Talmudis locum Eſajæ* רעלות *nullum foenerare lumen* audacter, &, ut nunc apparet, temere, pronuntiabat.

De figura peplorum tremulorum.

XI. De peplorum tremulorum figura nihil ſpeciale habeo, præter ea, quæ ſuperius jam attuli; quod duabus conſtent partibus, altera in tergum, altera in pectus, defluente, ſed e regione oculorum per fibulas vel circellos

ita

Digitized by Google

ita connectendis, ut aliquod intercedat ſpatium, per quod oculi transſpiciant. Singulare videtur, quod Poëta ſupra laudatus τῷ مرعل laciniam adſcribat; nam tegumentum, cujus primarius uſus eſt faciem obvelare, non commode eo usque deſcendet, ut laciniam trahat. Autumo itaque morem *pepla* gerendi *longiora* peculiarem eſſe ditioribus vel nobilioribus foeminis, quæ

Segmenta & longos habitus & flammea ſumunt.

Sic pepli lacinia character, ſeu inſigne quaſi, erit nobilitatis. Unde obſcura ratio eſſe nequit, cur Poëta *pepli* præciſe *laciniam*, non alius cujuscunque veſtimenti, memorarit, nempe amplas fortunas foeminæ nobilis, quam laudandam ſibi ſumſerat, hoc emblemate ſignificaturus. Hæc confirmat, quod Orientis foeminæ ignobiliores, nec nimis peculiatæ, loco τῆς مرعل, quod videtur pretioſius eſſe ornamentum, ſetaceo quodam & breviori faciei velamento, شعرية dicto, utantur; ut in Adag. أتيت بها بالشعر من الشعرية *adduxi eam pilo deſumto ex ſetaceo velamento oculorum*; h. e. ſponte ſequentem, ſed in ſpeciem reluctantem, in partes meas pertraxi. Vid. Cl. Golius ad rad. خمر in خمار; nam in Themate شعر vocis شعرية nec vola nec veſtigium comparet. Perſæ hoc velamentum faciei پرده appellant; unde *puellam* در پرده داشتن *ſub velamento tenere* Hafedh dixit plus ſemel.

Quorum uſus & Occidenti innotuit.

XII. Conſuetudo hæc mulierum Arabiæ adeo conſtans eſt & pervulgata, ut in Occidente noſtro jam dudum innotuerit. Facit huc egregius locus apud Tertullianum, de veland. Virginib. p. 397. *Judicabunt nos*, inquit, *Arabiæ foeminæ ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem quoque, ita tegunt, ut uno oculo liberatæ, contentæ ſint dimidiam frui lucem, quam totam faciem proſtituere.* Addatur Leo Afric. in

in deſcript. Afric. lib. I. de moribus Arabum: *Facies mulieribus quibusdam panniculis cooperitur, qui ad oculi locum foramen habent, quo ceu perſpicillo quodam utuntur.* Eundem morem non tantum per Arabiam, ſed & Perſiam, & magnam Orientis partem, obtinere, Itineraria confirmant complura, quæ, quod in omnium manibus verſentur, nolo exſcribere. Unus itaque ſufficiat Thevenotius, qui Itiner. Part. I. Lib. 2. cap. 32. de Arabibus foeminis: *Mulieres*, inquit, *paupere utuntur cultu, incedunt vultu operto linteo e regione oculorum pertuſo, iisque craſſi annuli ex oricbalco ab auribus pendent.*

XIII. Et a cana antiquitate morem fuiſſe verecundis Orientalium matronis, in virorum conſpectum prodeuntibus, velo faciem totam operire, hiſtoria Rebeccæ evincit, Gen. XXIV. 65. ubi notabile hoc eſt, quod illa, quam primum in ſponſi conſpectum venit, faciem velo obnupſerit. Et forte antiquiſſimis his temporibus conſtans fuit conſuetudo puellarum, faciem non prius obvelandi, quam cum viro eſſent jungendæ, ut ita marito ſervandam fidem ſignificarent. Sane de Rebecca & Rahele virginibus Gen. XXIV. 15. 16. & XXIX. 9. non legitur quod fuerint velatæ; ſed earum vultus conſpectui patebat. Quod & de Sara uxore Abrahami obſervare licet ex Geneſ. XII. 13. 14. 15. nuda facie in publicum prodeunte, cum ſe Abrahami innuptam ſororem ſimularet. Hinc lucem foeneratur locus Gen. XX. 16. variis expoſitionibus obnoxius; ubi Abimelechus, reprehenſurus Saram, quod matrimonium cum Abrahamo diſſimulaſſet, &, velo contra uxorum morem depoſito, virginem ſe geſſiſſet: *Ecce*, inquit, *fratri tuo mille argenteos dedi; illud ſit tibi velamen oculorum inter omnes qui tecum ſunt.* Molli itaque brachio illam objurgat, ut quæ Regem in errorem deduxiſſet, ſimulque hortatur, ut tegumentum ſibi comparet, quo uxorum more faciem obnubat, ne & aliis viris idem accidat quod ſibi. Aliud exemplum velatæ foeminæ proſtat in hiſtoria Tha-

Ejus moris antiquitas.

M ma-

Digitized by Google

maris, nurus Judæ, Gen. XXXVIII. 14. Non ſatis liquet, utrum ea velum ſumſerit pro more meretricibus recepto, an vero ex ſcopo ſibi peculiari, nimirum ne a ſocero agnoſceretur. Sunt qui priorem, ſed & ſunt qui poſteriorem, tuentur ſententiam. Certum equidem eſt, ut plurimum meretrices, maxime quæ lucri cauſa cuivis ſine diſcrimine ſui copiam offerunt, & publicae libidinis victimas ſe exhibent, aperto potius quam velato vultu in publicum prodire, tum ut ab honeſtis foeminis diſtinguantur, tum ut faciei venuſtatem & ſcitum filum oſtentent atque commendent. Sed & ſunt aliæ, famam verecundiæ & pudicitiæ conſervaturae, & ſuſpicionem ſalacitatis declinaturæ; quæ, ne agnoſcerentur, vultum theriſtro obtegebant. Ut Juvenal. Sat. 6.

Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos,
Et nigrum flavo crinem abſcondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar.

Petronius Satyr. cap. 16. de proſeda quadam: *Mulier autem operto erat capite.* Nollem tamen, quod a quibusdam factum video, ex verbis Moſis vſ. 15. c. c. *Vidit eam Juda, & reputavit eam pro meretrice, nam obtexerat faciem ſuam*, argumentum duci, quod vela faciei meretricibus ita fuerint olim propria, ut iis, ceu certo quodam charactere, ab honeſtis matronis dignoſci potuerint. Senſus enim illius loci hic eſt, quod Judas foeminam ex omnibus circumſtantiis collegerit eſſe proſtibulum, ne cogitans quidem Thamarem hanc eſſe, *ideo quod ob velatam faciem agnoſci non poſſet.* Quodſi enim vela faciei ſolis meretricibus fuiſſent priva, neutiquam foeminæ honeſtæ illis uſæ fuiſſent, quod tamen factum eſſe, jam ſatis probatum.

Hæc itaque de antiquiſſimo mulierum Orientalium more faciem velandi dubitare nos non ſinunt. Qui apud Hebræas

Digitized by Google

bræas nec ſerioribus Seculis exolevit. Quam in rem ſufficiat unicum attuliſſe locum ex Gemaræ Babylonicæ Tractatu Cetubhoth, fol. 72. col. 1. ראשה פרוע דאוריתא היא דכתיב ופרע את ראש האשה ותנא רבי ישמעאל אזהרא לבנות ישראל שלא יצאו בפרוע ראש דאוריתא *Caput foeminæ* (aquis amaris explorandæ) *denudandum eſſe, lege præſcriptum, Num.* V. 18. *ubi habetur*: & denudabit caput foeminæ. *R. Jiſmael tradit, lege prohibitum eſſe filiabus Iſraëlis, capite prodire non velato.* Unde Tertullian. de Coron. Mil. cap. 4. *Apud Judæos tam ſolenne eſt foeminis eorum velamen capitis, ut inde noſcantur.*

Supereſt, ut dubium aliquod tollamus, quod facile Lectoris mentem poſſet ſubire. Nempe cum ex omnibus iis, quæ hactenus attulimus, ſatis pateat, præcipuum velorum uſum fuiſſe, ut foeminarum pudicitiæ conſuleretur, non potuiſſe Jeſajam mulieribus Hebræis inter alia ornamenta & uſum τῶν רעלות exprobrare, ut quæ ingenui pudoris fuiſſent inſignia. Verum ut taceam, Judæas mulieres a Propheta non ob impudicitiæ & laſciviæ, ſed ſuperbiæ & ſumtuoſæ in veſtibus profuſionis, vitium in hoc loco reprehendi, ac pepla faciem velantia ex pretioſiſſima materia confici, vel etiam auro argentove, imo & gemmis, exornari potuiſſe; non uno jam docuimus exemplo, quod, ut pulchre Poëta Arabs ſupra allatus, & faciem velet

Foemina oculis micans, impudica, tum demum demittens vultum,
Quando peplus tremulus cohibet viſum.

XIV. Matronarum in Oriente mos faciem velandi non potuit non in Græciam & Latium emanare. Illic enim fuit *Velamina & Græcis ac Romanis mulieribus uſurpata.*

καὶ νόμος,
Γυναῖκας ἀνδρῶν μὴ βλέπειν ἐναντίον·

Eurip. Hec. Act. 5. Sic Homerus de Penelope, procos alloquente, ſæpiuſcule

Ἄντα παρειάων σχομένη λιπαρὰ κρήδεμνα·

Ante genas habens tenuia vela.

Vid. Odyſſ. Α. 334. Π. 416. Σ. 209. Idem Iliad. Γ. 141. de Helena pugnam viſum prodeunte,

Αὐτίκα δ' ἀργεννῇσι καλυψαμένη ὀθόνῃσιν
Ὡρμᾶτ' ἐκ θαλάμοιο·

Protinus igitur candidis obnupta velis
Properavit ex gynæceo.

Item Il. Ξ. 184.

Κρηδέμνῳ δ' ἐφύπερθε καλύψατο δῖα θεάων,
Καλῷ, νηγατέῳ·

Velo deſuper ſe obnupſit auguſtiſſima Dearum
Pulchro, recens facto.

Eurip. Iphigen. in Taur.

Ἐγὼ δὲ λεπτῶν ὄμμα διὰ καλυμμάτων.
Ἔχων. — — —

Ego vero tenue per velamen
Proſpiciens. — — —

Clem. Alex. Pædag. lib. 3. p. 256. Τὴν δὲ Αἰνείου γυναῖκα φασι, δι' ὑπερβολὴν σεμνότητος, μηδὲ τῆς Τροίας ἁλισκομένης καταδεᾶ γενομένην, ἀποκαλύψασθαι· ἀλλὰ καί τοι φυγοῦσαν ἐκ τῆς.

τῆς ἐκπυρώσεως μεῖναι συγκεκαλυμμένην. *Dicunt Aeneæ uxorem, propter inſignem honeſtatem, ne cum Troja quidem caperetur, perterritam ſe detexiſſe, ſed etiam, dum ab incendio fugeret, manſiſſe coopertam.* Apud Lacænas virgines mos erat ut aperto & nudo, apud uxores ut velato & obtecto, vultu in publicum prodirent; ut patet ex Plutarchi Apophthegm. Lacon. p. m. 232. Πυνθανομένε δέ τινος διὰ τί τὰς μὲν κόρας ἀκαλύπτυς, τὰς δὲ γυναῖκας ἐγκεκαλυμμένας εἰς τοὐμφανὲς ἄγυσιν; Ὅτι (ἔφη) τὰς μὲν κόρας ἄνδρας εὑρεῖν δεῖ· τὰς δὲ γυναῖκας, σώζειν τὺς ἔχοντας. *Quærenti cur Spartani virgines detectas, mulieres velatas, in publicum emitterent? Quia, inquit, quærendi ſunt virginibus viri, mulieribus opera danda ut maritos ſervent.* Similiter apud Romanos virgines nuptui locandæ velo quodam obnubebantur, quod *flammeum* appellabant. Schol. Juven. VI. 225. *Flammeum eſt genus amiculi, quo ſe operiunt mulieres die nuptiarum.* Lucan. II. 361.

Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem
Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

Martial. XII. 42.

Præluxere faces, velarunt flammea vultus.

Juven. Sat. X.

—— —— Dudum ſedet illa parato
Flammeolo, Tyriusque palam Genialis in horto
Sternitur. —— ——

Flammeo tamen & matronæ uſæ. Non. XIV. 31. *Flammeum veſtis vel tegmen, quo capita matronæ tegunt.* Claudat agmen inſignis locus apud Valer. Max. lib. VI. cap. 3. *Horridum C. quoque Sulpitii Galli maritale ſupercilium. Nam uxorem dimiſit, quod eam capite aperto foris verſatam cogno-*

verat . . . Lex enim, inquit, tibi meos tantum præfinit oculos, quibus formam tuam approbes. His decoris inſtrumenta compara, his eſto ſpecioſa, horum te certiori credenotitiæ: ulterior tui conſpectus ſupervacua irritatione accerſitus, in ſuſpicione & crimine ſubhæreat neceſſe eſt.

CAPVT VII.

BIBLIOTECA ... ROMA

Probatur פארים fuiſſe *Tutulos.*

I.

Veteres exhibentur Interpretes. Pergimus ad vocem פארים, præcedenti רעלות commode ſubjunctam, quod utraque capitis ornamentum denotaret. Ex Veteribus illam ſolus Chaldæus recte expoſuit, qui כליליא *coronas* exhibet. Nam LXX. per τὸυς χλιδῶνας *monilia*, Vulgatus obſcuriuſcule *diſcriminalia*, Arabs per اساور *inaures*, verterunt. Miror equidem antiquorum Interpretum hoc in vocabulo fluctuationem, cum tamen haud infrequentis uſus ſit Thema פאר, & læta floreat propagine; ipſique Alexandrini, aliique Interpretes, ſignificatum dictionis פאר, cujus Pluralis eſt פארים, alibi haud infeliciter expreſſerint. Recentiores Interpretes non opus eſt ut prolixe adducam. Omnes in eo conſentiunt, quod פאר capitis fuerit tegumentum & ornamentum. Sed quamvis eos non latuerit, non unius generis, ut nobis hodie, ita & olim, fuiſſe hunc ornatum; vix tamen aliquem invenies, qui auſus fuerit definire, quale & cujus præciſe ſpeciei muliebre capitis ornamen-

Digitized by Google

mentum per illam vocem deſignetur. Quod ut determinemus noſtra nunc erit cura.

Thematis origo exulat e Lingua Biblica.

II. Quem in finem ipſius Thematis פאר uſum atque poteſtatem ante omnia conſideremus. Ejus duæ tantum *Conjugationes*, nempe, ut e Lexicis conſtare poteſt, *Pibel* & *Hitpabel*, in Lingua Biblica ſuperſunt. Hoc propterea moneo, quoniam ea verba, quorum primas Conjugationes vetuſtas obliteravit, fere ſemper non niſi in ſecundariis notionibus ſe offerunt, amiſſâ poteſtate Thematis primigenia, & indole nativa. Sane id quoque contigit in Radice פאר. Hebræorum Magiſtri, quique eorum ductui & auſpiciis ſeſe permiſerunt, principe loco declarant: *Ornavit*, *Decoravit*, in *Pibel*. Mox, in *Hitpabel*, *Gloriatus eſt*. Quæ notiones omnino admittendæ quidem ſunt, ſed, ut quivis facile obſervat, primariam Thematis vim ac poteſtatem adeo non exprimunt, ut potius manifeſto defectum arguant Originis hactenus deliteſcentis.

Ex Arabica Dialecto aperitur.

III. Quam Thematis noſtri Originem eo promptius & curatius ex antiquiſſima Arabum Dialecto aperire & recludere conabor, quod eam in figendo vocis פארים ſignificatu, & ornamento preſſius definiendo, facem eſſe praelaturam confidam. Confero itaque primo Arabicum Thema أفر אפר, ab Hebræis levicula metatheſi tranſſumtum. Quos tamen ipſos ab hac priorum literarum transpoſitione non plane fuiſſe alienos, vocabulum אפר 1 Reg. XX. 38. 41. teſtatur, non, juxta quorundam opinionem, per *cinerem*, ſed, uti inferius probabitur, per *tiaram* reddendum; quare & a Lexicographis noſtratibus, Rabbinos ſequutis, ad Radicem פאר revocari ſolet. Illius Thematis أفر, quamvis latiſſime fuſi per omnem fere formam metaphorarum, primigeniam poteſtatem Arabes etiamnum conſervant, ponuntque in *tumore*, qualis eſt in *bulliente olla*. Gloſſaria Arabica neſcio quid glaucomatis imperitorum oculis objiciunt, dum ſylvam exhibent notionum ſecundariarum, abſque

Digitized by Google

abſque ordine, & judicio critico, quaſi per ſaturam congeſtarum. Quæ in *Camuſo* annotantur, præcipua hæc ſunt: عدا ووثب والحر والقدر اشتد غليانهما والبعير نشط وسمن بعد الجهد وخف في الخدمة h. e. uti Cl. Golius interpretatus fuit in Lex. p. 125. *Transgreſſus fuit, transſilivit, cucurrit; aſſilivit, inſilivit, ſubſilivit: impetum fecit; Vehementer bullivit vel ferbuit olla vel calor. Agilis & alacer fuit: Pinguis evaſit poſt laborem camelus. Agilem promptumque ſe geſſit in famulando.* Omnes hæ notiones, quæ magnis a ſe invicem intervallis videntur diſſidere, uno cohærent vinculo, primæva ſcilicet & primaria Thematis poteſtate, quæ eſt, *intumuit*, & hinc, *vehementer bullivit* vel *ferbuit olla.* Ab hac cæteri uſus ſecundarii & tralati, ceu ex communi fonte, deducendi. Tentemus. Quatenus in *tumore* & *bullitu ollæ* aqua conſideratur vehementius *ſubſilire* & cum *æſtu* ac *fervore* ſe *attollere*, prona & facili figura hinc oritur notio *æſtuandi* contra aliquem, *impetum* in eum *faciendi*, *aſſiliendi*, *inſiliendi*, & quicquid cum hac idea connexum. Porro, quia in *aqua intumeſcente* & *bulliente* vehementior motus eſt, inde anſa arrepta ad has notiones: *Cucurrit*, *transſilivit*, & mox remiſſius paulo, *transgreſſus fuit*. Similiter camelus macer *intumeſcere* pulchre dicitur, quum ſubito *pingueſcit*. Ubi primaria Thematis proprietas manifeſto ſe exerit. Denique, alia metaphora, *agilis promptusque fuit in famulando*. Proprie eſt, *animum geſſit in famulando promptum*, & *quaſi tumentem*, vel *turgentem*; quemadmodum Arabes ſuum شمر, *turgere*, Græcosque ſuum ὀργᾷν, haud abſimili uſu, de *militari* ſcilicet *alacritate* & *promptitudine*, frequentare, oſtendit Cel. Schultens, de Def. Ling. Hebr. p. 80. 81. Sed hæc ſufficiat indicaſſe, ut inde appareat, omnes illas notio-

tiones ſecundarias unius poteſtatis certiſſimas eſſe propagines.

IV. Accedat quoque Thema فار, media *Eliph* quieſcente, præcedenti افر, ut literis, ita poteſtate, cognatum. Solemne enim Arabibus eſt, eadem Verba, quæ prima *Eliph* mobili efferunt, ſæpe etiam media quieſcente, invariato ſignificatu, frequentare. Hinc Radices افق & فاق *excelluit*, اشب & شاب *miſcuit*, انت & نات *gemuit*, اله & لاه *coluit*, &c. communi gaudent origine. Huc igitur افر & فار quoque pertinent. De hoc فار Gjeuhar. فارت القدر جاشت, *Aeſtuavit*, *efferbuit*, *bulliendo olla*, ut Cl. Golius habet. Verbum eſt multo tritiſſimum in Arabum ſcriptis. Exhibeamus tamen unum alterumve exemplum. Abou-Thibus Poëta: *Et firmatur.*

يفور علينا قدرهم فنديمها
وفثاها عنا انا حميها غلي *

Efferbuit contra nos olla eorum, ſed compeſcemus bullas ejus,
Et ſedabimus eam a nobis, quum ejus fervor fuerit vehementiſſimus.

Ebn Hegjas:

ودجلة اضرمت حريقا بالف نار وبالف زورق
ماؤها كلها حميم قد فارما يغلي ويقبق *

Tigris edidit incendium, mille ignibus, & mille cymbis,
Et omnis ejus aqua calidiſſima bulliendo intumeſcit atque fremit.

 Quod-

Quodſi jam duo hæc Themata افر & فار, eodem, ut apparet, ſignificatu, eademque origine, gaudentes, propius conferamus, manifeſto ſatis nos condocebunt, etiam Veteres Hebræos eandem poteſtatem *Tumoris ebullientis* in ſuo Verbo באר admiſiſſe, ſed ob communem Linguæ Hebraicæ cladem ad noſtras manus non delatam.

Ad eam uſus Biblici reducuntur. V. Interim tenuia quædam principis hujus notionis veſtigia, nec non uſus quidam ſecundarii, ex illa enati, uti & Derivata quædam ejus Thematis Nomina, in Lingua Biblica ſuperſunt. Frequentiſſima ſignificatio eſt *ornandi*, *decorandi*, in *Conj. Pihel.* Quam non eſſe primariam, ſed ſecundariam, non opus eſt ut probem, cum id nemo facile negaverit. Quid itaque primitus valuit Thema פאר Hebræis? Quo ex fonte *ornandi* illa notio emanavit? Haud dubie פאר proprie eſt *Tumuit*, *Intumuit*. Ex hac ſtirpe *ornandi* vel *decorandi* notio eleganti metaphora effloruit. Nam idea *tumoris* non tantum transfertur ad ſignificandum *faſtum turgentem*, & *vanam ſuperbiam*, ſed & in bonam partem accepta, gravem & venuſtam ſuſtinet figuram. ὑπεροχῆς, *excellentiæ*, *dignitatis*, ut & *decoris*, ac *magnificentiæ*, in *cultu* & *veſtitu*, omnisque *ornatus* & *gloriæ*, qua quis in *altum* exſurgit, & præ aliis *eminet*. Eadem metaphora Hebræis arriſit etiam in Themate צבה; unde derivatum צבי per *decus*, *ornatum*, *gloriam*, adeoque eodem modo uti noſtrum פאר, quocum unam ſedem aliquot in locis intravit, declarari ſolet. Addubitaretur forſan, an illæ notiones iterum a *tumendo* deſcenderint, niſi primaria hæc Thematis proprietas expreſſa S. Codicis auctoritate confirmaretur. Vid. Num. V. 21. 22. 27. Diſcriminis quidem aliquid eſt inter פאר & צבה; ſed ei nunc non immorabimur. Similiter Græcorum Κῦδος, quo LXX. ſæpe utuntur ad noſtrum פאר exprimendum, derivari debet a Themate κύω, cujus proprietas ſita eſt in *tumendo*, & ſecundarie frequentatur de *foemina uterum gerente*. Rurſus eorundem ὄγκος *tumor*, transfertur ad ſignificandum

de-

decus, *ornatum*, *gloriam*, *majeſtatem*, &c. Et ὑπέρογκος *gravem*, *magnificum*, & *decorum*, notat. Eodem modo etiam οἴδημα vel contracte οἶδμα, ab οἰδάω *tumeo*, uſurpatur. Afferamus etiam ex Arabia exemplum. Ibi Radix غلا, communem habens Originem cum علا, Hebr. עלה, proprie notat: *In altum excrevit*, *intumuit* etiam, & hinc *bullivit olla*. Inter ſecundarias vero notiones & hæ comparent: *Pretioſa*, *excellens*, *decora*, *illuſtris fuit res*; & Tranſitive, *Illuſtrem reddidit*, *decoravit*, *exornavit*; ut in hoc, quod jam ſupra attulimus,

كان اسنانهم اطراف قمير
غلت به صدور المهاير *

Quaſi eorum cuſpides lunulæ eſſent cornua,
Quæ exornat ſ. *decorat pectora mollium puellarum.*

Imo magis huc pertinet, quod ipſum افر Arabibus uſu Tranſitivo, obſervante Golio, notet: *Splendidum clarumque effecit*; quæ notio ab ea, quam Thema פאר in Sacris gerit, quoad ſenſum vel parum vel nihil differt. Ad illam *Conj. Pihel* referes Nomina derivata תפארה & תפארת, quibus non opus eſt ut immoremur.

Altera Conjug. in qua Thema ſuperſtes, *Hitpahel* eſt, ubi התפאר effertur. Pro varia ſignificandi virtute, qua hæc Forma pollet, notat vel *ornavit ſemet ipſum*, vel *decorum & glorioſum ſe exhibuit* aut *demonſtravit*, quo ſenſu aliquoties de Deo prædicatur, ut Jeſaj. XLIX. 3. XLIV. 23. &c. Peculiaris autem emphaſis, & manifeſtior ad vim originalem alluſio, in התפאר ſe exercere videtur, quando cum particula על conſtruitur; quam phraſin vertere ſolent, *gloriatus fuit contra* aliquem. Preſſius puto reddendam eſſe: *intumuit faſtu ſupra* aliquem, vel *ebullivit contra* aliquem, & ſe alio *præſtantiorem*, aut *excellentiorem jacta-*

Digitized by Google

tavit. Hæc poteſtas omnino requiritur Jeſ. X. 15. היתפאר הגרזן על החצב בו *an intumeſcet & faſtu inflabitur ſecuris ſupra eum qui cædit ipſa?* ut maxime patet ex commate ſequenti, אם יתגדל *an majorem* vel *digniorem ſe jactabit eo qui ipſam agitat?* Applicabis hanc vim & reliquis locis, non ſine aliquo emphaſeos incremento. Qua ratione ſimul omnis tolletur difficultas in loco ſubobſcuro Exod. VIII. 9. ubi Moſes Pharaoni: התפאר עלי, inquit, *quando precaturus ſim pro te*, &c. Græci reddiderunt, ſenſus potius quam verborum habita ratione: τάξαι πρός με, πότε εὔξομαι περὶ σοῦ. Sic & Vulgatus: *Conſtitue mihi, quando deprecor pro te.* Noſtrates reddere ſolent, *Gloriare contra me, quando deprecabor pro te?* quæ non bene cohærere jam Cl. Bochartus Hier. P. II. lib. VI. cap. 2. obſervavit; qui, poſtquam monuiſſet, vocem לאמר *dicendo*, ex pleniori phraſi, quæ Judic. VII. 2. habetur, ſubaudiendam eſſe, totum locum ita exponit: *Gloriare ſupra me*, dicendo *quando pro te intercedam*, &c. Non ſperno hanc obſervationem; puto tamen & clarius & ἐμφατικωτέρως me ſic redditurum: *Oſtende te excellentiorem ſupra me*, dicendo, *quando pro Te interceſſurus ſim.* Quaſi dicat: In hoc Te meum exhibeas & demonſtres magiſtratum, ut tempus mihi definias, quo velis ut pro te intercedam; in eo me tibi ſubjicio, & promptam obedientiam promitto. Faceſſat itaque audax Cl. Clerici ſententia, qui pro התפאר per (פ) legi jubet התבאר per (ב), quod vertit: *indica mihi*, antiquarum potius Verſionum, quam ipſius Textus, auctoritatem defendere ſtudens. Ut taceam, Thema באר *indicandi* ſignificatu non in *Hitpahel* ſed in ſolo *Pihel* uſurpari. Apparet ex hiſce exemplis, uſui Verbi התפאר interdum invidiæ aliquid ſubeſſe, (quod & obſervatur in Latinorum *Tumere*, & *Turgere*, & Græcorum οἰδάω, & ὀγκηρός, & ὀγκύλλομαι) interdum vero citra

tra

tra invidiam ſignificare *declarationem* & *demonſtrationem ejus dignitatis & excellentiæ, quæ jure alicui competit.*

VI. Ex ſecundaria illa Thematis פאר notione *ornandi*, vel *decorandi*, Hebræorum Magiſtri, quos & Noſtrates paſſim ſequutos video, ſignificatum vocis פאר, quam per מגבעות exponunt, quod ipſis *pileos*, vel generalius quodcunque *capitis tegumentum* notat, deduxere. Inſtar omnium ſit Kimchi in Lib. Radic. פארים הם מגבעות שהם פאר לארם כשהם בראש *Vox* פארים pileos *notat, ita dictos, quod* decori & ornatui *ſint iis qui eos capite geſtant.* Recte quidem ille, quod פארם pro *capitis* habeat *tegumento*, vel etiam *ornamento*. Sed duo hic poſſunt merito deſiderari; *primo* quod non ſatis definitum ſit, quale & cujus ſpeciei ornamentum capitis per פארים denotetur; maxime cum מגבעות muliebre tegumentum capitis minus commode exprimere poſſit; *ſecundo*, quod nulla idonea appareat ratio, cur פארים ſolius capitis ornamentum deſignet, cum tamen, ſaltem ex mente Interpretum, Thema ſignificatum gerat generalem. Nonne enim quæcunque pulchra & pretioſa veſtis, totusque muliebris ſuperbiæ paratus, *perornare* geſtantem exiſtimatur?

Quomodo Rabbini vocem פארים *exponant.*

VII. Nec tamen ab hac Rabbinorum ſententia in totum diſcedo; ſed iis, quæ in illa deſiderabantur, quantum licet, ſatis facere, & defectus ſupplere, tentabo. Puto itaque, vocem פארים in hoc Jeſajæ loco, ubi de muliebri adhibetur ornamento, *diadema* deſignare *capitis, altius exſurgens* & *formam* habens *faſtigatam*. Nam *primo*, ad caput referendos eſſe τὰς פארים indubium & ἐξαγώνιον, ex Ezech. XXIV. 23. ubi habetur ופארכם על ראשיכם & פארים *veſtros ſuper capitibus veſtris*. & XLIV. 18. פארים פשתים יהיו על ראשם *erunt* פארים *ex lino ſuper capite eorum. Secundo, diadema*, ſ. *faſciam capiti circumligandam* per פארים deſignari, non minus clarum eſt ex

Probatur eam Tutulos notare.

 Ezech.

Digitized by Google

Ezech. XXIV. 17. פארך חבוש עליך *tuum* פאר *circumliga tibi*. Ita enim hic חבש exponendum eſſe apparet ex Exod. XXIX. 9. Lev. VIII. 13. ubi de *tiaris* adhibetur Sacerdotum *capiti circumvolvendis*; unde & abſolute uſurpatur hoc Thema pro: *circumligare capiti faſciam*, ut Ezech. XVI. 10. Verum *tertio*, hoc diadema capiti ita alligatum & adplicatum fuit, ut forma prodiret tegumenti ſublimior capite & faſtigata. Hoc probat (α) phraſis פארי מגבעות de *tiaris Sacerdotum adhibita* Exod. XXXIX. 28. Sive itaque nomen מגבעות a גבעה *collis*, quod illæ tiarae altius eſſent elevatæ, & *colliculum* forma ſua exprimerent; ſive, quæ Rabbinorum eſt ſententia, a כובע vel קובע *galea* (τῶ ך vel ק in ג tranſeunte) quod illæ inſtar *galeæ* prominerent, ortum traxiſſe exiſtimes, pro certo tamen habendum & explorato, tiaras Sacerdotum, per מגבעות expreſſas, formam habuiſſe *faſtigatam*, ſeu, ut Feſti phraſi utar, *metalem*. Cum itaque ei voci מגבעות adjunctum ſit, ulterioris explicationis ergo, Nomen פארים, quod, ut jam vidimus, etiam talem deſignat faſciam, qualis a Sacerdotibus gregariis olim portabatur, inde non obſcure colligitur, formam τῶν פארים ab illa τῶν מגבעות non multum fuiſſe diverſam; quia tiara non niſi duplicis poterat eſſe generis, vel ſublimior & elatior, vel depreſſior, & capiti undique arctius adhærens. Quod argumentum magis adhuc adſtringitur, ſi obſervemus, quod, uti alias ſolum מגבעות, omiſſo פארים, de tiara ſacerdotali adhibetur, v. g. Exod. XXVIII. 40. XXIX. 9. Lev. VIII. 13. ita & Ezech. XLIV. 18. ubi pariter de ſacerdotali habitu ſermo eſt, ſolum memoretur פארים, omiſſo מגבעות. Hoc autem modo permutari hæc Nomina non potuiſſent, niſi uno fere eodemque gauderent ſignificatu. Imo (β) hanc elatiorem ac ſublimiorem diadematis formam omnia loca, in quibus dictio פאר occurrit, non tantum commodiſſime admittunt, ſed & magnam partem evidenter ſatis requirunt. Videamus quædam. Jeſaj. LXI. 3.

Deus

Digitized by Google

Deus פאר *diadema* promittit תחת אפר *loco cineris*. Quemadmodum itaque cinis capiti injectus aptum erat indicium extremæ ignominiæ, calamitatis & luctus, ita diadema faſtigatum & elatius elegans eſt inſigne dignitatis, honoris, lætitiæ, omnisque felicitatis; quæ minus apte repræſentabit cidaris depreſſa, nec altius quam ipſe *cinis* capiti impoſitus exſurgens. Quare & apud veteres Perſas regni Proceres primæque dignitatis Viri diadema *ὀρθὸν* vel *κυργωτὸν* olim geſtaſſe leguntur; quod vero deinceps ſoli Reges ſibi vindicarunt; qua de re mox plura. Eadem poteſtas vocis פאר recurrit vſ. 10. l. c. ubi ait Propheta: כחתן יכהן פאר *quemadmodum ſponſus ſibi applicat diadema*. Ubi iterum diadema intelligendum ſublimius, quale & hodie apud Orientales in nuptiis geſtant, more nec noſtratibus foeminis ignoto, nec Romanis olim, juxta illud Lucani, II. 358.

Turritaque premens frontem matrona corona.

Adde & hoc Propert. lib. IV. Eleg. 3.

— — — nec recta capillis
Vitta data eſt, nupſi non comitante Deo.

Apud Judæos duravit hic mos usque ad tempora belli Veſpaſiani; eo enim orto, ut habetur in Tract. Miſchn. Sota cap. 9. Sect. 14. per decretum publicum abrogatæ ſunt *coronæ ſublimes ſponſorum*. Longum foret ire per ſingula loca, ubi noſtrum פארים ſe offert. Verum (γ) illam diadematis formam, quam deſcripſimus, & ipſa Thematis genuina indoles, in *tumore ebulliente* poſita, requirit. Quamvis enim *diadematis* notionem a ſecundario ſignificatu *ornandi* & *decorandi* deducere forte poſſemus, languidior tamen foret originatio, nec tum ulla idonea ratio dari poſſet, cur פאר ad ſolum *capitis ornatum* fuerit reſtrictum. Potius itaque ad ultimam Radicis ſtirpem aſcendentes, aſſeri-

rimus, notionem *diadematis celſioris* Themati inde ſubnatam eſſe, quod illud, capiti, ſupremæ corporis parti, impoſitum, *tumeat* quaſi & in altum exſurgat, ſimulque faſciæ circa caput frequentioribus plicis & involucris diffuſæ, aliquo modo *turgentium*, ſeque *attollentium*, *undarum ſinuatos orbes* repræſentent. Quæ idea, quæ denominationis ratio, plane periret, niſi פארים forma gauderent ſupra caput aſſurgente, & faſtigiata. Cum itaque hæc forma per ipſam vocis originem definiatur, ſuisque limitibus circumſcribatur, aliam diademata per פארים deſignata habere non potuerunt, ſive a viris ſive a foeminis fuerint geſtata. Cum tamen muliebria ornamenta a virilibus, quamvis ſub eodem nomine comprehendantur, nonnihil ſoleant diſcrepare, etiam hic aliquod ſtatuendum erit פְּאֵר diadematis mulicbris a virili diſcrimen, quantum nempe & vocis natura atque originatio permittit, & diverſi mores ac conſuetudines depoſcunt. Ex deſcriptione accuratiori habitus ſacerdotalis, quam ſacri Scriptores nobis exhibuerunt, ſatis apparet, פארים diademata virilia aggeſta circa caput fuiſſe ſola faſcia, quæ longior eſſe ſolebat, & crebrioribus ſpiris ita artificioſe circumvolvebatur, ut paulo in altum ſurgeret, & ſupra caput ſeſe attolleret. Qua de re prolixius videatur Cl. Braunius in eruditiſſimo opere de Veſt. Sacerd. Hebr. lib. II. cap. 4. Sect. 392. Quod vero ad muliebria attinet diademata, quorum forma non adeo exacte eſt deſcripta, ea ita concipere debemus, uti id vocis Hebrææ natura jubet, & antiquitatis mores ſuadent. Hæc itaque exiſtimo ſuggeſtus fuiſſe comæ in gradus formatæ, quos foeminæ, crinibus in altum aggeſtis, & innexa tenuiori faſcia, in capite exſtruere aſſolebant. *Tutulos* Latini una voce appellarunt. Ita enim Feſtus: *Tutulum vocari ajunt flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & exſtructum in altitudinem.* Et commodiſſima hæc vox mihi viſa ad פארים exprimendum, quod eodem modo ut dictio Hebræa

non

non tantum de muliebri capitis ornamento, ſed & de tiara Sacerdotum altiori, veteribus fuerit uſurpata, ut ad hunc verſum Ennii,

Libaque, fictores, argeos, & tutulatos,

obſervat Varro de Ling. Lat. VI. 3. *Tutulati*, inquit, *dicti ii, qui in ſacris in capitibus habere ſolent ut metam. Id tutulus appellatur ab eo, quod matres familias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos, dicunt tutulos. Sive ab eo, quod tuendi cauſa capilli fiebant. Sive ab eo, quod altiſſimum in urbe eſt, quod eſt arx, ea res tutiſſima, tutulus vocatur.* Ex utroque vocis uſu id liquido apparet, quod ei proprium ſit, tegumentum notare capitis altius aggeſtum. Sed veniamus ad rem ipſam. Ea notione, quam hic vocabulo פארים adſcripſimus, nil commodius, opportunius nihil, excogitari poteſt, imo & nihil origini Thematis, quam in *tumore bulliente* ponendam eſſe jam toties inculcavimus, convenientius. Nam præterea quod coma mediante vitta in altum exſtructa *intumeſcere* ſtylo Orientali eleganter dicatur, accedit, quod illa crinium circa faſciam intortio, & per gradus digeſtio, *bullarum* modo extantium, modo ſubſidentium, & ſe invicem pellentium, intortos ac undulatos motus quam pulcherrime repræſentet. Ad quorum aliquam illuſtrationem facit inſignis locus apud Manil. lib. V.

Illis cura ſui cultus, frontiſque decoræ
Semper erit, TORTOS IN FLVCTVM PONERE CRINES.

Neque hinc abludit Tacitus lib. 6. cap. 36. *Nuntiavere accolæ, Euphraten, nulla imbrium vi, ſponte & immenſum attolli, ſimul albentibus ſpumis, IN MODVM DIADEMATIS, ſinuare orbes.*

Hoc ornamenti muliebris genus intelligi puto Jeſaj.

XXVIII. 5. facta ſimul, ut videtur, ad exhibitam vocis פארים notionem alluſione. Verba hæc ſunt: *In illo die erit Jehova exercituum reliquo populo ſuo* לעטרת צבי ולצפירת תפארה *in coronam turgidam* (ita reddo nomen צבי, juxta ea quæ ſupra de Themate צבה obſervavi) & *in ſuggeſtum comæ decoris*, ſeu potius, quod ſuavius, fortiusque ſimul, ac totius orationis ſerici convenientius, *in ſuggeſtum comæ tumoris*, h. e. *intumeſcentem*, ſublimem, & in altitudinem exſurgentem. Vocabulum צפירה, quod unico hoc loco ſuperſtes, *diadema*, aliudve capitis ornamentum, denotare non aliunde quam ex proxime præcedenti עטרת collegerunt Interpretes. Non improbo ſignificatum, ſed firmo potius & ulterius expono ex Arabica Dialecto, ubi Themati ضفر primaria eſt poteſtas *torquendi* funem; unde notio ſubnata eſt ſecundaria *plectendi comam*, a *torquendis* cirris. Hinc derivatum Nomen ضفيرة צפירה Arabibus notat, obſervante Golio, *cirrum plexum*, *in ſe contextum*; *complexum crinium*. Non aliam vero crinium συμπλοκὴν intelligi, quam quæ in altum ſit erecta & exſtructa, vel inde patet, quia idem ضفيرة quoque notat *aggerem*, *tumulum arenarum*, & ضفر *arenarum partem magnam accumulatam*. &c. Laudandus hic Arabicus Interpres, qui in illo צפירה exponendo, ipſum illud Thema ضفر adhibuit. LXX. πλακεὶς habent, quod etiam de complexu comæ in ſpecie uſurpatur. Ei Arabicum ضفر ſatis reſpondet.

De cætero nec ipſi Alexandrini Interpretes videntur ignoraſſe, quod diademata פארים appellata, nonnunquam faſcia comæ implexa & intorta fuerint efformata. Nam Ezech. XXIV. 17. ubi in Hebræo eſt: אבל לא תעשה פארך חבוש עליך *luctum ne facias*, *diadema tuum alliga tibi*, Ipſi habent, licet textum non ſatis intellexerint:

Οσ-

'Οσφύ© πένθ© ἔσῃ· ὐκ ἔςαι τὸ τρίχωμά συ συμπεπλεγμένον ἐπὶ σί. *Ilium luctus eris; non erit coma tua complexa ſuper te.* Et ibid. vſ. 23. verba ופארכם על ראשיכם & *diademata veſtra ſint ſuper capitibus veſtris*, ſic reddiderunt: Καὶ άι κόμαι ὑμῶν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν, *comæ veſtræ ſint ſuper capite veſtro.*

VIII. Cum κόμαι fuerint Veteribus μάρτυρες τρυφῆς, ut ex Agathone quodam Athenæus lib. XII. obſervat, haud mirum eſt, Orientales foeminas, in luxum omni tempore effuſiores, crinibus comendis ſingularem impendiſſe curam. Præcipue autem comam in gradus formatam, qualem hactenus deſcripſimus, adamavere; cujus proin ornatus in veteribus Arabum & Perſarum monumentis haud infrequens ſit mentio; quæ nunc diligentius excutere eo magis operæ pretium duco, quod inde noſtræ ſententiæ non parum lucis æque ac roboris acceſſurum eſſe confidam. Poëta vetus laudatus in Annal. Bagd. *Quorum uſus in Oriente probatur.*

ان الحقونا نلغو اليلب تنص
كما ضفرت الطرة المواشط *

Quando nos aſſequuntur, objicimus galeas, quæ in altum ſurgunt,
Inſtar ſuggeſtus comæ, quem exſtruunt comtrices.

Safcirius:

وان رايت الخود حبكت خصالها
بالغصب عن حايك العصابة مرقش *

Quum videris puellam, cujus in faſtigium formatæ capronæ innexæ ſunt
Subtili faſciæ, a textore tæniarum figuris inſignitæ.

 Ele-

Elegantiſſime Hafedh :

ببوي نافه كاخر صبا زان طرّه بكشايد
زتاب جعد مشكينش — — — —

Ob odorem veſicæ moſchi, quem tandem levis aura ex illis antiis diffundet,
Ex alta, inquam, contorſione cæſariei faſtigiatæ & moſcho continctæ. — — —

Quem imitatus videtur Fariani Poëta :

بنفشه بوش كفت وخوش نشاني داد
كه تاب مشكين طرّه زيباني داد *

Variegato amiculo induta me alloquuta eſt, & optimum ſignum edidit;
Comti capilli cirros, moſcho imbutos, inque ſuggeſtus contortos, geſtans.

Nonnunquam ditiores matronæ crinibus gemmas inſerunt, & vittas auro plumatas innectunt, ut conſtat ex hoc Poëtæ:

مظبقة الضفاير ذات تـوم
ملوحة عصايبها رصاع *

Foemina crines habens per gradus digeſtos, & gemmas Rutilantes, & tænias auro plumatas.

De tiara recta Perſarum. IX. Huc & commode referemus τιάραν ὀρθὴν Perſarum. Quæ quamvis non muliebre ſed virile fuerit ornamentum, egregium tamen nobis documentum præbet, quanto in pretio veteribus diademata fuerint altiora & faſtigiata. Illa quidem ſecundum Strabonem, qui & nobilioribus Perſis eam

eam adſcribit, communior primo fuit, ſed deinceps ſolis Regibus vindicanda. De ea Xenophon Ἀναβασ. Κυρ. lib. II. Τὴν μὲν γὰρ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τιάραν βασιλεῖ μόνῳ ἔξεστιν ὀρθὴν ἔχειν. *Tiaram rectam in capite geſtare ſoli licet Regi.* Suidas: Τιάρα κόσμος ἐπικεφάλαιος, ἣν οἱ βασιλεῖς μόνοι ὀρθὴν ἐφόρουν παρὰ Πέρσαις, οἱ δὲ στρατηγοὶ κεκλιμένην. *Tiara capitis eſt ornamentum, quam ſoli Reges apud Perſas rectam geſtabant, milites vero inclinatam.* Vocatur etiam hæc tiara recta κυρβασία & κύρβασις, quod vocabulum origine Perſicum eſt; nam Perſis كرباس *faſciam* notat *ex panno goſſypino tenuiori & candido*; unde חור כרפס *candidum aulæum* Eſth. I. 6. Hinc, quoniam ex ejusmodi faſciis fiebant tiaræ, etiam ipſam *tiaram* notat. Occurrit apud Ariſtoph. in Avib. vſ. 485.

> Ὡς δὲ καλεῖται Περσικὸς ὄρνις, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἔτ' ἐκείνης,
> Διὰ ταῦτ' ἄρ' ἔχων καὶ νῦν, ὥσπερ βασιλεὺς ὁ μέγας, διαβάσκει,
> Ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὴν κυρβασίαν, τῶν ὀρνίθων μόνος, ὀρθήν.

> *Quamobrem nominatur Perſicus ales adhuc ab illo imperio,*
> *Eapropter habens & nunc, dum tanquam Rex magnus graviter incedit,*
> *In capite Kurbaſiam, avium ſolus rectam.*

Ubi Schol. Πᾶσι Πέρσαις ἐξῆν τὴν τιάραν φορεῖν, ἀλλ' οὐκ ὀρθὴν, ὡς Κλείταρχος ἐν τῇ δεκάτῃ· μόνοι δὲ οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς ὀρθαῖς ἐχρῶντο. *Omnibus Perſis licebat tiaram geſtare, ſed non rectam, ut Clitarchus in decade docet. Soli vero Perſarum Reges recta utebantur.* Sed redeamus ad muliebrem ornatum.

X. Superbum illum comæ muliebris cultum Græcis olim haud ignotum fuiſſe, compluribus probari poteſt argumentis. Huc referendus videtur ipſe Homerus Iliad. Σ. 567. *Tutulorum uſus apud Græcas mulieres.*

 Καὶ

Καὶ ῥ' αἱ μὲν πλεκτὰς ςεφάνας ἔχον. —

Et hæ quidem plexas coronas habebant.

Ubi per πλεκτὰς ςεφάνας *faſcias altiores* intelligendas eſſe, quibus coma innectebatur, ex Aeliano lib. I. cap. 18. recte obſervat Cl. Grævius in Lectionib. Heſiod. cap. 25. p. 132. En tibi illius verba: πῶς δε ἐ διέῤῥεον ὑπὸ τρυφῆς αἱ πολλαὶ τῶν γυναικῶν; ἐπὶ μὲν γὰρ τῆς κεφαλῆς ςεφάνην ἐπετίθεντο ὑψηλήν. quæ Vir Doctiſſ. ita vertit: *Quis vero neget pleraſque veteres mulieres luxu diffluxiſſe? Caput enim ornabant alta faſcia.* Alibi Homerus eundem ornatum vocat πλεκτὴν ἀναδέσμην, *implexum redimiculum*, Iliad. X. 468.

Τῆλε δ' ἀπὸ κρατὸς χέε δέσματα σιγαλόεντα
Ἄμπυκα, κεκρύφαλόν τ', ἠδὲ πλεκτὴν ἀναδέσμην.

Longe autem a capite fudit ſplendidas faſcias,
Reticulum, vittamque, & implexum redimiculum.

Clarius eſt hoc Euripidis, in Androm. Act. IV.

Ἔῤῥ' αἰθέριον πλοκάμων ἐμῶν
Ἄπο, λεπτόμιτον φάρος.

Valeat ſublimis comæ meæ faſcia, derepta
A capite, ſubtiliter elaborata vitta.

Ubi Scholiaſtes ad φάρος, τὸ κρήδεμνον λέγει. Nonnunquam faſcia quæ comæ illigabatur, aurea erat, ſ. auro plumata, vel illuſa. Auctor Anonymus allegatus apud Suidam in Κόρυμβος. Κόμην τρέφων χρυσῷ ςρόφῳ κεκορυμβωμένην. *Comam alens, aurea faſcia faſtigiatam.* Et frequenter apud Euripid. ut Med. Act. III. πλόκον χρυσήλατον *redimiculum aureum comæ implexum*; & Act. IV. ςέφος χρυσήλατον *faſcia capitis auro illuſa*; & paulo poſt:

Δέξεται

Δέξεται νύμφα χρυσέων ἀναδέσμαν.
Δέξεται δύσανος ἄταν.
Ξανθᾷ δ' ἀμφὶ κόμᾳ
Θήσει τὸν ἀΐδα κόσμον.

Accipiet ſponſa aureorum redimiculorum:
Accipiet infelix noxam.
Ac flavam circa comam
Ligabit lethalem ornatum.

& Act. V.

Χρυσοῦν τιθεῖσα ςέφανον ἀμφὶ βοστρύχοις·
Λαμπρῷ κατόπτρῳ σχηματίζεται κόμην.

Auream ponens faſciam circa complexus crinium,
Nitidum ad ſpeculum componit comam.

& mox ibid.

Σείουσα χαίτην, κρᾶτά τ' ἄλλοτ' ἄλλοσε·
Ῥίψαι θέλουσα ςέφανον· ἀλλ' ἀραρότως
Σύνδεσμα χρυσὸς εἶχε·

Concutiens crines & caput huc illuc
Abjicere volens vittam; ſed firmiter
Vinculum aureum retinebat.

Et quemadmodum ſupra vidimus, Orientales interdum foeminas gemmas ſuis crinibus inſerere, ita Græcæ comam *aureis cicadis* diſtinguere ſolebant. Aſius Poëta apud Athenæum lib. XII. p. 525.

Χρύσειαι δὲ κόρυμβαι ἐπ' αὐτῶν τέττιγες, ὡς
Χαῖται δ' ἠώρευντ' ἀνέμῳ χρυσέοις ἐνὶ δεσμοῖς.

Com-

Complexus crinium aurea faſcia exſtructi, in quos, cicadis ornatos,
Aureisque vinculis adſtrictos, ventus impingebat.

Et Suidas in Κρώβυλος: Ὁ πλόκαμος, ὃν διέβαλλον οἱ τὸν χρυσοῦν τέττιγα φοροῦντες. *Suggeſtus comæ, quem geſtantes aurea cicada diſtinguebant.* Thucyd. lib. I. Καὶ οἱ πρεσβύτεροι αὐτοῖς τῶν εὐδαιμόνων, διὰ τὸ ἁβροδίαιτον, οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδὴ χιτῶνάς τε λινοῦς ἐπαύσαντο φοροῦντες, καὶ χρυσῶν τεττίγων ἐνέρσει κρωβύλον ἀναδούμενοι τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν. *Nec multum eſt tempus, ex quo apud eos* (Athenienſes) *e majoribus natu locupletiores, ob delicatiorem cultum, geſtare deſierunt lineas tunicas, & ſuggeſtus comae capitis nexu aurearum cicadarum implicare.* Ubi Scholiaſt. Κρωβύλος ἐστὶν εἶδος πλέγματος τῶν τριχῶν, ἀπὸ ἑκατέρων εἰς ὀξὺ ἀπολῆγον. Ad quem Thucydidis locum reſpicere videtur Aelianus lib. IV. cap. 22. de Athenienſibus: Κορύμβους δὲ ἀναδούμενοι τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν, χρυσοῦς ἐνείροντες αὐταῖς τέττιγας, καὶ κόσμον ἄλλον πρόσθετον περιαπτόμεναι χρυσοῦ, προῄεσαν. *Altiores complexus capillorum in capite exſtruebant, iisque aureas cicadas inſerebant, aliisque ornamentis ex auro appoſititiis utentes in publicum prodibant.*

Apud Lucianum occurrit quoque στεφάνη (quam mox ἀνάστασιν τριχῶν appellat) λίθοις Ἰνδικοῖς διάστερος, *faſcia crinium lapillis Indicis tanquam ſtellis diſtincta.* Sed longum foret omnia conquirere.

Et apud Romanas. XI. Apud veteres Romanorum Scriptores non minus luculenta proſtant teſtimonia de paratu muliebris comæ, in faſtigium, adhibita vitta, formatæ. Vidimus aliquot jam ſupra, ubi de voce *Tutuli.* Addam nunc & alia quædam. Statius Sylv. I. 2. vſ. 113.

—— celſæ procul adſpice frontis honores
Suggeſtumque comæ.

Virg. Aen. I. 659.

— &

— *& duplicem gemmis auroque coronam.*

Juvenalis Sat. II. vſ. 96.

Reticulumque comis auratum ingentibus implet.

Et Sat. VI. 502.

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Aedificat caput; Andromachen a fronte videbis,
Poſt minor eſt.

Addatur & Quintil. lib. XII. cap. 10. *Do tempori, ne craſſa toga ſit, non ſerica, ne intonſum caput, non in gradus atque annulos totum comptum.* Quæ explicat Martin. Capell. lib. IV. de nupt. *Cui crines tortuoſi, decentique inflexione criſpati, & nexiles videbantur; qui tamen deducti per quosdam conſequentes gradus, ita formam totius capitis circulabant.* Quæ crinium in capite accumulatio bilem merito commovit Tertulliano, de cult. foemin. *Adfigitis neſcio quas enormitates ſutilium capillamentorum, nunc in galeri modum, nunc in verticem retro ſuggeſtum.* Idem de Veland. Virg. c. 7. *comam* dixit *concumulatam in verticem.* A muliebri hoc cultu nec Neronem abſtinuiſſe Suetonius narrat in Ner. cap. 51. Sed ſufficiant hæc de ornatu, quem nec noſtrates foeminæ ignorant. Pauci enim elapſi ſunt anni, ex quo apud nos matronæ tres quatuorve crinium ſtrues innexa vitta in capite ædificarunt; qualibus & hodie, licet minus elatis, virgines utuntur, nuptias celebrantes.

XII. In portum nunc pervehi licuiſſet, niſi paucula de vocabulo אפר, cujus ſupra mentio facta, monenda reſtarent. Occurrit 1 Reg. XX. 38. 41. ubi ſermo de Propheta, *oculis* τῷ אפר *velatis*, in conſpectum Regis prodeunte. Varie a Viris Doctis hæc vocula exponitur. Sunt, qui ad אפר *cinis* revocant, quaſi *cinere*, vel *luto*, Propheta ocu-

De voce אפר 1 *Reg.* XX. 38. 41.

 los

los obleviſſet. Quemadmodum & Vulgatus *pulverem* habet. At in Hebræo non eſt אפר ſed אֵפֶר. Rectius LXX. habent τελαμῶνα *faſciam*. Cl. Bocharius in Chan. lib. II. cap 8. p. 730. Chaldæum Paraphraſtam ſequutus, qui per כּיִבְרָא vertit, confert Arabum Radicem غفر *texit*, *operuit*, literis (א) & (ע) permutatis; cujus derivatum عפארה غفارة *Sappari* genus notat, quod delicatæ mulieres, dum unguntur, veſtibus, ne unguento inficiantur, ſuperinducunt. Videtur tamen & originatio hæc nimis arceſſita, & ipſa notio vocis غفارة minus apta. Potius itaque Kimchii aliorumque Rabbinorum arridet ſententia, hoc אפר ad Radicem פאר referentium, ita ut duæ priores literæ locum invicem permutarint. Maxime cum jam ſupra oſtenderimus, ex Arabiſmo conſtare, veteres Hebræos æque Thema אֵבַר ac באר triviſſe ſub primigenia *tumendi* poteſtate. Unde tuto ſatis colligi poteſt, illud אֵפֶר idem olim ac פאר valuiſſe; ut puta capitis tegumentum faſtigatum, vel metalis formæ, quale hodieque in multis Perſiæ Arabiæque locis viri, conſuetudine admodum vetuſta, geſtare ſolent. Sed quomodo talis apex oculos ita potuit obvelare, ut quis non agnoſceretur? Hoc ita factum, ut ambæ extremitates ejuſdem faſciæ, quæ capiti circumligabatur, ſupereſſent, & vel in tergum dependerent, vel etiam, ſi quis vellet, trans humeros ante vultum adducerentur. Quæ extremitates, cum faſciæ virorum ſolerent eſſe latiores, adeo latæ eſſe poterant, ut totam faciem, ſi opus eſſet, velarent. Talem galerum ſublimiorem Arabes طرطور appellant, ut in Hiſt. Tam. p. 433. qui capiti ita circumvolvitur, ut gemina vitta dependeat, & ad tegendam faciem ante oculos poſſit colligari. Sic apud Herodot. in Euterp. de mitra legitur, qua Aegyptii Sacerdotes oculos velabant. Romanis tale capitis te-

tegumentum *Inſula* vocabatur, uti Servius ad Virg. Aen. X. vſ. 538.

Inſula cui ſacra redimibat tempora vitta,

notat: *Inſula, faſcia in modum diadematis, a qua vittæ ab utraque parte dependent, quæ plerumque lata eſt.* Et probabile eſt, hoc diadematis genus Sacerdotibus & Prophetis fuiſſe olim peculiare. Nam de *Inſula* id inter alios teſtatur Iſidorus lib. XIX. cap. 30. Et ſecundum Strabonem Perſarum Magi fuerunt τιάρας περικείμενοι πιλωτὰς, καθηκυίας ἑκατέρωθεν μέχρι τοῦ καλύπτειν τὰ χείλη καὶ τὰς παραγναθίδας, *tiaris cincti ex lana coactis, quæ ab utraque parte eo usque pertingebant, ut labia & maxillas velarent.* Huc pertinet Juvenal. Sat. VI. 516.

—— *Phrygia veſtitur bucca tiara.*

Intelligit, ut & vetus Scholiaſtes annotavit, *habitum Sacerdotis*; quare & *tiaras* dicitur *ſacer* Virgilio, Aen. VII. 247. ubi Servius videatur. Hinc videri forte poſſet, & apud veteres Hebræos tiaram, de qua gemina vitta dependeat, Prophetis fuiſſe peculiarem, & ideo factum eſſe, ut ille, de quo in *Regum* loco cit. oculos τῷ אפר potuerit obvelare. Id tamen ideo non ſtatuerim, quia vſ. 41. dicitur, Regem tum demum cognoviſſe virum ex Prophetarum eſſe numero, poſtquam hic tiaram ab oculis removiſſet. Quodſi enim illud tiarae genus Prophetis proprium fuiſſet, Rex ex hoc charactere virum Prophetam agnoſcere potuiſſet, etiam antequam vultum detexiſſet.

CAPVT VIII.

Probatur צעדות eſſe *catenulas crurales*.

I.

Antiqui Interpretes exhibentur.

Vocabulum צעדות, ad quod ordo Prophetæ nos nunc ducit, non niſi in unico hoc loco ſuperſtes. Bis quidem in Lingua Biblica occurrit nomen ſimilis Formæ צעדה, quod quidem illius poſſet eſſe Singularis, niſi ſignificatio plane differret. Nempe 2 Sam. V. 24. & 1 Chron. XIV. 15. legitur: ויהי כשמעך את קול הצעדה בראשי הבכאים, quæ cum vertenda ſint: *& erit quando audies ſtrepitum inceſſus in cacuminibus mororum*, apparet, quod illud צעדה cum noſtro צעדות, quod muliebre eſt ornamentum, parum habeat commune. Hoc tamen ex illo Nomine, & toto Themate צעד, *incedere* notante, merito collegerunt jam olim Interpretes, quod צעדות aliquod ornamentum denotare debeat, quod ad *pedes* ſit referendum. Quamobrem & Chaldæus illud expoſuit per שירי רגליא *armillas pedum*, h. e. ut Vulgatus habet, *periſcelides*. Huc & referendi videntur Alexandrini, qui per ψέλια interpretantur; nam ψέλιον, quod proprie *armillam* notat, ob formæ ſimilitudinem etiam pro *periſcelide* uſurpatur, ut ex pluribus conſtat exemplis, quorum aliquot ſupra in Cap. I. ubi de עכסים, adduximus. Arabs Græcorum ψέλια de *annulis* ſumſit, & per حلق vertit, minus accurate. Sic tamen habet & Syrus Interpres. Diſplicet autem in illa Jonathanis & cæterorum ſententia, quod per צעדות idem intelligi velint ornamentum, quod per עכסים ſignifica-

ſicari ſuperius luculenter oſtendimus, nempe *armillas pedum*, ſ. *periſcelides*. Debet itaque illud aliquid eſſe ab hoc diverſi. Accedit, quod illa notio ipſi indoli Thematis צער: minus conveniat, ut ex iis, quæ mox dicentur, apparebit.

II. Nihilominus exiſtimo, nec Rabbinos, nec noſtrates Interpretes, ab antiquis Verſionibus hic receſſiſſe, niſi eos turbaſſet vocabulum אצעדה, iisdem, ut vides, conſtans, quibus צערות, literis radicalibus. Id quidem non niſi bis occurrit 2 Sam. I. 10. & Num. XXXI. 50. ſed in illo loco indubitata gaudet notione *armillæ*. Nam verba hæc ſunt: *ſumſi coronam quæ in capite ejus erat*, ואצעדה אשר על זרעו *& armillam, quæ erat in brachio ejus*. Itaque quamvis hic ſignificatus cum poteſtate jam indicata Radicis צער plane non concordet, tamen, quoniam אצעדה unica ſub illo Themate dictio eſt, quæ ad ornatum muliebrem referri poſſit, complures fuere ex Hebræorum Magiſtris, qui eandem *armillæ* notionem & noſtro צערות: aſſignare non dubitarunt. Sic R. Salomo b: Melech in Michlol Jophi: הצערו׳ הוא מחלי׳ הזרוע כמו שאמר ואצעדה אשר על זרועו *Eſt aliquod ornamentum brachii, nam* אצעדה armillam *notat 2 Sam*. I. 10. Sic ipſe Aben-Eſras in Comment. in Jeſaj. הצערות באזרוע והער מאצעדת שאול כי הא׳לף נוסף *Vox* צערות *ornamentum denotat in brachio geſtatum, nam Saul in brachio* אצעדה ש״ד *ornatus erat, ubi Aleph ſervile præmiſſum*. Quare & Judæi in ſua Verſione Germanica habent: דיא ארים בענדיר *die armbænder*, armillæ. Ab hac tamen communiori Judæorum ſententia aliquatenus diſceſſionem ii fecerunt, qui quidem per noſtrum צערות pedum quoddam ornamentum, in ſpecie *periſcelides*, intelligunt, ſed ita tamen ut ſimul exiſtiment, inde nomen אצעדה *armilla*, originem ideo traxiſſe, quod forma armillae a periſcelide haud adeo mul-

Rabbinorum de hac voce ſententiæ.

tum differret. Et hæc ſententia mihi longe apparet priori plauſibilior. Primus eam, quantum mihi conſtat, tradidit R. David Kimchi in Commentar. in Jeſaj. כמו אצעדא והוא עדי שנשאות בשוקיהן *Dictio* צערות *affinis eſt* אצעדה armilla; *denotatque ornamentum a foeminis in cruribus geſtatum.* Mentem ſuam paulo plenius exponit in Libro Radic. ידמה כי הוא כלי אחד יש שהוא עשוי לזרוע ויש שהוא עשוי לרגל ואשר עשוי לרגל נקרא צעדה על התכונה לשון צעד ואשר עשוי לזרוע לפי שהוא עשוי על הכונת אותו של רגל נקרא גם כן אצעדה h. e. *Nomina* צעדה *&* אצעדה *videntur unum idemque denotare ornamentum, quod aeque brachio ac pedi applicari poſſit; ita tamen ut id quod pedi applicatur pro Linguæ analogia proprie a Themate* צעד incesſit, *derivetur; alterum vero* אצעדה, *quod brachii eſt ornamentum, ideo ita appelletur, quod cum illo eandem habeat formam.* Hunc ſequutus Abarbanel in Comment. in Jeſaj. צעדות הם מלשון אצעדה שהוא תכשיט השוקים שהם כלי מצעד *Vocabulum* צעדות, *licet conveniat cum* אצעדה, *ornamentum tamen ſignificat crurum, quoniam horum eſt* incedere.

Et huic poſteriori ſententiae, miſſa priori, plerique noſtrates Interpretes ſuum calculum adjecerunt. Singularem vero de noſtra voce opinionem fovit Forſterus in Lex. Hebr. putans eam notare *ornamentum crurium, ſeu circumferentiam in parte inferiore veſtis circa crura.* Sed dijudicet Lector, an limbus veſtis adeo proprie ad crura pertineat, ut inde nomen ſortiri, & צעדות appellari, potuerit. Ait quidem, LXX. vocem reddidiſſe per περιπόρφυρα, quod vertit per *clavatas veſtes ex purpureis fimbriis factas.* At incertum valde, quænam voces Græcæ Hebræis hic reſpondeant, ut plus ſemel annotavi. Scopus autem Viri Doctiſſ. eſt, defendere Verſionem Lutheri, qui, neſcia

quam

quam ob cauſam, hic habet, *die gebreme*, limbus veſtium.

Ad geminam Rabbinorum ſententiam quoque pauca ſunt monenda. Prior צעדות per *armillas* exponens, unice, ut vidimus, innititur uſui vocis אצעדה 2 Sam. I. 10. quem quidem non in dubium vocabo, ſed in eo error eſt, quod inde concluſerint, etiam illam dictionem eundem gerere ſignificatum; neglecta notione ipſius Thematis, quam tamen primariam eſſe, & reliquarum omnium fontem, negari nequit. Non enim צעדות ab אצעדה, ſed utrumque Nomen ab ipſo Themate, derivatur, ſi ſupponamus, vocem hanc אצעדה ad Radicem צעד pertinere. Tum enim, cum צעד *incedere*, *progredi*, notet, ea ſecundum primam & propriam ſignificationem *armillam cruris* denotaret, ſecundarie autem & improprie ad ſignificandam quoque *armillam brachii*, ob formæ ſimilitudinem, eſſet tranſlata; id quod & in aliis vocibus, aliisque Linguis, videmus eveniſſe. Quam ob rationem, ut Cl. Vitringa putat, in loco 2 Sam. I. 10. vocabulo אצעדה additum eſt: *quod in brachio ejus erat*; ne nimirum cum *armilla cruris*, quæ propria eſſet ſignificatio, ſi abſolute poneretur, confunderemus. Sic utique aliqua redderetur ratio, cur notio *armillæ* Themati צעד adhæreverit, magis ſe commendans ac illa quam vulgo tradunt, *armillam* dictam eſſe אצעדה, ideo quod ſuper brachiis *incedat*, & inducatur. Hoc enim pacto pene omnia veſtimenta a Radice illa potuiſſent denominari. Et ſic quidem ſatis apparet, eos qui noſtrum צעדות per *armillas* exponunt, nullum firmum habere in uſu vocis אצעדה præſidium. Longius tamen progrediendum cenſeo, & magna me tenet ſuſpicio, hanc ipſam dictionem אצעדה proprie & originaliter non ad Thema צעד, ſed ad עצד eſſe referendam, literis (ע) & (צ) tranſpoſitis. Notavit id veteribus Hebræis, ut hodie Arabibus, primario ſignificatu *fulcire*, & ſecundario uſu *juvare*; unde derivatum עצד عضد *brachium* eſt, quaſi *fultorem* dicas.

cas. Ut in Hiſt. Tam. p. 367. قوة ظهرك وعضدك *robur tergi & brachii tui.* Et p. 277. واكتنفه عضد المعاضدة *complexus eſt eum brachio auxilii.* Et phraſi proverbiali dicunt فت عضده *fregit brachium ejus*, pro: *debilitavit vires ejus*; ut Abulfar. p. 362. & Hiſt. Tam. p. 273. Hinc deductum nomen معضد, quod Golio eſt: *Brachiale, brachii vinculum vel ornamentum.* Ut in hoc verſiculo:

فاخترت قشر المعضد من لب الزند

Corticem medullæ, armillam brachio, prætulerim.

Alio ſignificatu hoc معضد quoque notat *inſtrumentum enſiforme, quo arbores cæduntur*; quemadmodum & ipſum Thema adhibetur pro *reſecare*, *cædere* arborem; ex quo uſu explicandum Hebræum מעצד Jeſaj. XLIV. 12. Jerem. X. 3. Hinc itaque exiſtimo, vocem אצעדה *armilla*, ob priorum literarum transpoſitionem, ad Thema עצד, non ad צעד, pertinere. Et quoniam notio *armillæ* illi vocabulo, ut ex 2 Sam. I. 10. conſtat, ſine dubio ullo competit, poſſumus eundem ſignificatum commode retinere Numer. XXXI. 50. ubi dictio אצעדה recurrit, & a pleriſque aliter ac in altero loco, nempe per *periſcelidem*, explicatur, forte quia mox ſequitur צמיד, quod *armillam* notat Gen. XXIV. 22. 30. Ezech. XVI. 11. &c. Id tamen non obſtat, quo minus & illud אצעדה Num. XXXI. 50 de *armilla* vel *brachiali* intelligamus; fuerunt enim diverſa *armillarum* genera, ut & Cl. Clericus ad h. l. recte obſervavit. Quodnam autem inter hæc olim diſcrimen fuerit, nunc nos non poteſt non latere. Hoc adhuc obſervandum, quod ratio metatheſeos literarum (ע) & (צ) in אצעדה non ſit ex longinquo petenda. Ut enim taceam, eas ita affines eſſe, ut una alterius vices in-

interdum ſubire ſoleat, ſufficit, quod transpoſitio hæc facta ſit euphoniæ ergo, & ad evitandum literarum gutturalium (א) & (ע) concurſum. Ne itaque hæ nimis guttur radant, a ſe invicem disjunctæ fuerunt, per literæ (צ) interpoſitionem. Quodſi jam placeat allata vocis אצערה originatio, evidenter apparet, quod inde pro notione *armillæ*, noſtro צערות adſcribendæ, nullum plane duci poſſit argumentum.

Quod autem ad eorum attinet ſententiam, qui per vocem צערות *armillam cruris* denotari volunt, plane non video, unde hic ſignificatus probari poſſit. Ducunt quidem aliquod argumentum ex analogia vocabuli אצערה, & hinc voci צערה notionem generaliorem *armillæ*, quæ tum *pedi*, tum *brachio* applicari queat, adſcribunt; ſed quam infirmum illud ſit, ex iis quæ mox diximus de illo אצערה, facile colligendum. Præterea צערות *armillas cruris*, ſeu, quod idem eſt, *periſcelides*, ideo notare non poteſt, quia hunc ſignificatum [illegible] עכסים ſupra luculenter vindicavimus. Denique notio *armillæ cruris* cum ipſa indole Thematis צער non ſatis convenit, ut ex iis, quæ ſtatim dicentur, clarius apparebit.

III. His præſtructis, inquiramus, quid veteribus Hebræis nomen hoc צערות deſignarit. Huc quidem genuina Thematis צער indoles non parum adferet momenti; quoniam tamen ea, pro arctis limitibus, quibus hodierna Linguæ Hebraicæ cognitio circumſcripta eſt, non adeo apta eſt ad ſpecialem notionem definiendam, quam ad aliunde allatam confirmandam & illuſtrandam, ſtatim nos ad Dialectum Arabicam convertemus, ut inde certum vocis ſignificatum eruamus, eumque dein ex natura & uſu Radicis Hebrææ ulterius adſtruamus. Apud Arabes Thema صعد aſſervatur, iisdem cum Hebræorum צער literis radicalibus conſtans. Primaria ejus poteſtas collocanda in *inceſſu ſuperbo* & *compoſito*. Quæ enim a Lexicographis prima exhibetur notio *ſcandendi* & *aſcendendi* pec. per ſcalas,

Arabum Radix צער *in ſubſidium vocatur.*

las, ex illo uſu procul dubio ſubnata. Et hic poſterior ſignificatus in Arabum ſcriptis admodum tritus eſt & pervulgatus. Ut in Hiſt. Tam. p. 24. in altiſſimi cujusdam caſtelli deſcriptione: يعيي النازل عنها في نزوله منها اكثر مما يعيي الصاعد الي غيرها *De hac arce difficilius deſcenditur, quam ad alias aſcenditur.* In impreſſo hic male يعيي legitur, pro quo in MSto eſt تعيي, quod etiam poteſt locum habere. Item p. 302. وصعد في سلم ارتقايه الي اعلي الدرج *Scala identidem ipſum evehente ſummum conſcendit faſtigium.* Ad hanc poteſtatem Derivata maximam partem reducenda. صَعْد & صُعُود *altus*, ſponte hinc emanarunt. صَعَد *rem denotat arduam*, & *difficilem ſuperatu.* Exponitur etiam *vehemens* poena, ex Alcor. LXXII. 17. & LXXIV. 17. صَعْدة *Cannam* ſignificat recta excreſcentem & *aſcendentem.* صُعَداء *Suſpirium ex imo pectore aſcendens*; qui uſus ſpecialior in ipſum quoque Thema ſe inſinuavit. Ut in Hiſtor. Tam. p. 257. وتصاعدت زفراته وتضاعفت حسراته *gemitus ex imo pectore aſcendunt, & ſuſpiria ingeminantur.* مَصْعَد *Acervus in altitudinem exſurgens* in Lexicis non comparet, ſed extat in Verſione Arab. Jobi V. 26.

Non minus hæc poteſtas veteribus Hebræis quam hodie Arabibus fuit uſitata. Ejus quoddam veſtigium ſupereſt Gen. XLIX. 22. *Surculus eſt Joſephus, ſurculus ad fontem, cujus propagines* צָעֲדָה עֲלֵי שׁוּר *aſcendunt ſupra murum*, h. e. ſupra murum porriguntur. Alii verterunt: *incedunt ſupra murum*, quod minus videtur commodum: quamvis alias inter *incedere* & *aſcendere* non ſemper adeo magnum

magnum ſit diſcrimen. Neque Græcis Interpretibus illa *aſcendendi* notio Radicis צעד ignota fuit. Nam Jerem. X. 5. ubi in Hebræo eſt לא יצעדו, habent: οὐκ ἐπιβήσονται *non aſcendent*; licet hic locus *incedendi* potius quam *aſcendendi* ſignificatum requirat.

Hæc *incedendi* notio, quæ in Lingua Biblica frequentioris uſus eſt, pariter apud Arabes teritur ſub eodem Themate. Apud Cl. Golium hæc habebis: *Inceſſit* acclivi loco. *Ivit* per clivoſum locum. Et in IV. Conjugat. *Permeavit*, *abiit*, *profectus fuit*, pec. *venit Meccam*. Hæc ulteriori explicatione non indigent. Obſerves tantum velim, illam *incedendi* notionem, a qua omnes reliqui uſus revera non differunt, de *greſſu* tam *magnifico* & *ſuperbo*, quam *molli*, *compoſito* & *delicato* apud Arabes frequentari. Illius uſus exemplum ex Ibn Hegjas habe:

تذكرك السلية من تبيّ
صعود اريت بـه صعودا *

Laudat te Selija inde a Tubejo
Ob ſuperbum inceſſum, quo voluiſti incedere.

Hujus ex Safeirio:

وفي نعم الربيع طمعت لما
رايتها ان تصعد تمالا *

Amoenitates veris concupiſcas, quando
Videris eam delicato greſſu incedentem.

Inter Derivata Thematis صعد ad *incedendi* notionem pertinentia eſt صعيد *ſuperficies* telluris, in qua *incedimus*. Uſurpatur quoque de *ſupremo pulvere ſoli*; ut Alcor. XVIII. 7. وانا لجاعلون ما عليها صعيدا جرزا

 nos

nos reddimus id ; quod ſuper terram eſt , pulverem ſiccum. Peculiariter pulvis , quo Mohammedani , aqua deſtituti, ſordes corporis, ex ritu ſacro , detergent , صعيد appellitatur. Alcor. IV. 46. V. 9. Sequitur vocabulum מִצְעָד مصعاد, quod Cl. Golius ita exponit : *Inſtrumentum quo aſcenditur* ; pec. *funis quo conſcenditur palma.* Verum non niſi de uno hujus dictionis uſu annotavit, quod de utroque erat obſervandum. Quemadmodum enim, ut hactenus oſtendi , Radix صعد apud Arabes non tantum pro *aſcendere* frequentatur , ſed & *incedendi*, *ambulandi*ve, notionem gerit ; ita quoque inde derivatum nomen مصعاد non ſolum de *inſtrumento* , *quo aſcenditur* , ſed & de *inſtrumento*, *quo inceditur* , & *ambulatur*, quodque *greſſus* vel *paſſus modulatur* , uſurpari poteſt. Hinc in Annal. Bagd. in Vita Harunis Alwathek, de *catena* adhibetur , compedibus ſ. armillis cruralibus ab utraque extremitate annexa, *paſſuum* captivi *artandorum* gratia. Verba hæc ſunt: وقيّدوه بقيدين وبمصعاد *& conſtrinxerunt eum* (Abou - Joſephum) *gemina compede & catena crurali.* Et paulo poſt: ورسف اليه ابو يوسف وبرجليه القيدان والمصعاد *lento paſſu ad Chalifam accedit Abou-Joſephus, duas compedes & catenam cruralem in pedibus gerens.* Talis catena, licet non ferrea, quæ captivorum eſt , ſed , ut probabile eſt, aurea, vel argentea ſaltem, a ſuperbis delicatisque Orientis mulieribus, ornamenti loco, modo haud quicquam diverſo, pedibus applicatur, & ob formæ uſusque ſimilitudinem, non multo aliter quam עֲכָסִים, de quo ſupra , quoque مصعاد appellatur. Uſum hunc non alibi hactenus quam apud Safeirium repetire licuit, qui habet:

واعتبي يا تبيرة بــلا مصعاد

Uno pede ſubſultim incede , o Tobaira , depoſita catenula crurali.

Ubi

Ubi Scholiaſtes: المصعان اي سلسلة التي سلسلت بها المراة رجليها في الرقصان لتتسوي الجدوب كقول الاخر

رعديد تقصر خطاها دايرة الدهر
وما اغني السوق عن المصعان *

وقال فارياني

مصعان نه وجام او برست

h. e. *Nomen* מצעאר *notat catenulam, qua foeminæ, quum ſaltant, pedes connectunt, ad paſſus reddendos æquales. Ut in hoc Poëtæ:*

Foemina delicata eſt, cujus vero greſſus artabit periodus fortunæ,
Et o quam parum egebit catenula crurali!

Cui addendus Fariani:

Paſſus ejus æquales ſunt, licet crurali careat catenula.

IV. Applicemus nunc hæc ad noſtrum ſcopum. Vidimus notionem *catenulæ cruralis*, genuinum vocabuli مصعان ſignificatum, ex ea Thematis صعد poteſtate emanaſſe, quæ apud veteres Hebræos, ut ex Lingua Biblica conſtat, quam maxime frequentabatur. Quamobrem dubitari nequit, his ipſis Nomen derivatum צעדה idem, quod Arabibus مصعان, olim deſignaſſe. Literarum enim Servilium, uti vocantur, diverſitatem hic non obeſſe omnes norunt.

Et inde vocis צעדות *poteſtas definitur, & porro adſtruitur.*

Huic argumento ſubjungamus aliud ab indole & uſu ipſius Thematis Hebræi deſumtum. Ex collatione locorum, in quibus id ſedem occupavit, patebit, quod Radix צעד non pro-

promiſcue de quocunque, ſed fere ſemper de decoro, magnifico, delicato, inceſſu ſoleat uſurpari. Sic v. g. de inceſſu eleganti æque ac ſuperbo ſumendum מיטבי צעד *pulchrum facientes greſſum* Prov. XXX. 29. De *greſſu magnifico* Dei adhibetur Judic. V. 4. Pſalm. LXVIII. 8. Hinc & de *inceſſu valido*, & *terrifico*, ad aliquem obterendum, & proculcandum, Habac. III. 12. ubi eſt: בזעם תצעד ארץ *in indignatione* tua *proculcas terram*; alii vertunt: *abit terra*, & hinc *abeundi* notionem Themati צעד adſcribunt; ſed languidius hoc eſt, neque ſatis convenit cum membro ſequente באף תדוש גוים *in ira trituras gentes*. Idem terrificus inceſſus quoque ſe offert Job. XVIII. 14. ותצעדהו למלך בלהות & *gradientur in eum, inſtar Regis, terrores*, ut vertit Celeb. Schultens, cujus vid. Commentar. p. 450. Porro *de greſſu lento* & *æquali* uſurpatur noſtrum Thema 2 Sam. VI. 13. de *molli* & *compoſito* juvenis, qui placere foeminis ſtudet, Prov. VII. 8. &c. &c. Hinc jam ſatis perſpicies, noſtrum צעדות non poſſe non denotare aliquod ornamentum, quod ſimul faciat, ad inceſſum, ex foeminarum opinione, reddendum decorum, mollem, compoſitum, & delicatum. Quem vero uſum nuda *armilla cruralis*, a pluribus, ut ſupra viſum, hic adoptata, præſtare nullo modo poteſt; ſed commodiſſime *catenula* cruribus appoſita, vel potius unum pedem alteri in certa diſtantia connectens, præſtabit, ut quæ greſſum dirigat, ac moduletur, ipſosque paſſus metiatur. Apparet itaque indolem Hebræi Thematis notionem צעדות, ex Arabica Dialecto depromtam, adeo non averſari, ut eam potius roboret atque confirmet.

Uſus catenularum cruralium. V. Pauca de uſu catenularum cruralium ſubjungamus. Præter immodicam luxus oſtentationem, duplicem habuerunt uſum, greſſus nempe coartandi non minus, quam exæquandi. Quemadmodum enim, judice Naſone, de Arte Lib. III. vſ. 299.

Eſt

Eſt & in inceſſu pars non temnenda decoris,

ita maxime apud veterum delicatas foeminas paſſus & breviores & æquales in deliciis habitæ, imo & hodie apud noſtrates habentur. Hebræis mulieribus eam mollitiem exprobrat Jeſajas noſter Cap. III. vſ. 16. ubi ait: הלוך וטפוף תלכנה ad verbum: *eundo & minutis paſſibus utendo incedunt*. Verbum טפף, non niſi unico hoc in loco proſtans, non male exponunt Talmudici Doctores in Tract. Joma fol. 9. c. 2. היו מהלכות עקב צד גודל *in inceſſu calcaneum ad pollicem pedis ponebant*. Recte etiam Aben-Eſras ex notione nominis טף, quod *parvulum* ſignificat, illuſtravit, & expoſuit per הלך מהלך טף *incedere greſſu parvulorum*, h. e. *paſſibus minutis*. Sed ipſum hoc טף nomen traxit a notione *agilitatis*, quæ in Arabica Dialecto ſuperſtes eſt ſub radice طف vel طفف טפף, quæ exponitur: *agilis fuit, movit agiliter manus & pedes*; eaque poteſtas & ad agilem inceſſum translata fuit. Sic dicunt طف الفرس טפף אלפרס *tolutim inceſſit equus*; & طفاف טפאף apud Giggejum Tom. III. col. 68. eſt: *leniter incedens*. Notionem, quam non nulli vocabulo טפוף adſcripſere, *incedendi paſſu æquali*, non plane exiſtimo excludendam, cum poteſtas *exæquandi* non tantum apud Chaldæos aſſervetur, (ut in phraſi מדה טפופה *menſura æqua*, quæ non eſt accumulata altius, neque raſa, ſed recta & plena, juxta æquitatis regulam, annotante Cl. Buxtorfio in Lex. Talm. col. 905.) ſed & apud Arabes eodem ſignificatu verbum طفّ teratur; & inde iterum orta ſit phraſis, a Golio annotata, *implendi* menſuram *usque ad oram*, ita nempe ut nihil deſit neque abundet; vid. Hiſt.

Digitized by Google

Hiſt. Tam. p. 96. & inde ſit طغافة *complementum menſuræ, quod ad ſumma labra eam replet*; quaſi *menſuræ exæquationem* dicas. Videtur itaque Jeſajas una illa, ſed aptiſſima, voce טפוף foeminarum ſtudium *exæquandi* non minus quam *coartandi* paſſus exprimere voluiſſe. Quare & ſuſpicor ipſum in illa phraſi טפוף תלכנה ad uſum catenularum cruralium ſpeciatim reſpexiſſe. Accedit, quod mox addat וברגליהם העכסנה quæ ſupra expoſuimus: *& in pedibus ſuis periſcelides geſtant*. Periſcelides enim cum iſtis catenulis nexum habuerunt arctiorem, non tantum ideo quod ambæ in cruribus geſtarentur, ſed & quod catenulæ annulis infibularentur, qui periſcelidibus adhærerent. Alio enim modo firmari non potuerunt; quemadmodum & ſupra ex Annal. Bagd. ubi de captivo quodam, vidimus مصعال *catenam cruralem* proxime compedibus ſubjungi; iterum non aliam ob rationem, quam quod his adaptaretur. Sic itaque ſuperbæ mulieres, diverſitate ſpataliorum magnopere delectatæ, captivorum onere ornamenti loco utebantur, quod & Clemens Alexandr. Pædag. Lib. II. obſervavit. Hæc de uſu catenularum cruralium, quem ipſa earum forma & applicatio ſatis docet. Alium tamen, ſingularem plane, Gemariſtæ nobis pandunt in Tract. Schabbath fol. 63. col. 2. אמר ר׳ יוחנן משפחת היתה בירושלים שהיו פסיעותיהן גסות והיו בתולותיהן נושרות ועשו להן כבלים והטילו שלשלת ביניהן שלא יהיו פסיעותיהן גסות ולא יהיו בתולותיהן נושרות *R. Jochanan auctor eſt, familiam aliquam Hieroſolymis fuiſſe, cujus paſſus adeo fuerint magni, ut virginitates mulierum deciderent. Pararunt itaque ſibi compedes, quas catenula connectebant, ne paſſus earum nimis eſſent magni, neque deciderent virginitates.* In Gloſſis additur שלשלת שהיתה של זהב *catenulam illam fuiſſe ex auro*. Eadem fere Maimonides habet in Comment.

in

in Miſchn. Schabb. cap. VI. כבלים עכסים בצורת האצערה והיו מטילין ביניהם שלשלאות והיו מתקשטין באלו הכבלים הבתולות כדי שלא יפסיעו פסיעה גסה ויגיע היזק בבתולותיהן h. e. כבלים compedes *idem notant, quod* עכסים, *factæ ad formam armillarum*; *inter quas geſtabant catenulas*; *& his compedibus ſe ornabant virgines, ne paſſibus incederent majoribus, & in virginitate detrimentum accideret.* Eadem & habet in Jad Chaſ. de Sabb. cap. 19. Et hæc teſtimonium præbere antiquo uſui catenularum cruralium haud contemnendum, nemo, opinor, inficias ibit. Quæ vero de earum neceſſario virginibus uſu tradunt, ſomnium eſſe puto, Judæo ingenio digniſſimum. Solemne enim eſt Gemaricis Doctoribus, quum conſuetudinis alicujus vera origo ipſos latet, infeliciſſimam conjecturam pro indubitata veritate divendere, ſuis ab aſſeclis avide hauriendam, & ad poſteros ſolicite propagandam. Unde & iſta fabella præter Maimonidem a R. Iſaacide, Bartenora, aliisque, recantata. Qui ultimus tamen recte obſervat, catenulam illam a periſcelide plane fuiſſe diſtinctam. Ait enim in Comm. in Schabb. Cap. 6. Sect. 4. דכי שקלה לשלשלת לא מגלי׳ שוקה שהרי בירית במקום עומדה *Si forte auferret catenulam, non tamen ideo crus denudabatur; nam periſcelis manebat in ſuo loco.*

VI. Nuſpiam autem reperio has crurales catenulas a foeminis extra Orientem eſſe geſtatas. Forte quia ipſi corpori nimis fuerunt moleſtæ. At foeminarum ſtudium paſſus formandi molles, compoſitos ad decus, & delicatos, paſſim obſervant Græcorum Romanorumque monumenta. Exhibeamus nonnulla, quia a noſtro argumento non ſunt aliena. Euripides in Med. Act. V. *Foeminæ mollis inceſſus ſtudioſa.*

Κἄπειτ᾽ ἀναστὰς ἐκ θρόνων, διέρχεται
Στέγας, ἁβρὸν βαίνουσα παλλεύκῳ ποδί.

Deinde a ſella ſurgens perambulat
Domum, incedens molliter & decore candido pede.

Lucianus in Præc. Rhetor. inceſſum mollem vocat *βάδισμα διασεσαλευμένον*, quaſi greſſum *jactatum* & *fluctuantem* dicas. Clemens Alex. Pæd. lib. II. cap. XI. Πολλαὶ δὲ καὶ ἐρωτικοὺς ἀσπασμοὺς ἐγχαράττουσιν αὐτοῖς· ὡς ἂν ἐκ τῆς ἐπιβάσεως ῥυθμίζουσαι τὴν γῆν, καὶ τὸ ἑταιρικὸν τοῦ φρονήματος ἐκ τοῦ βαδίσματος ἐναποσφραγίσωνται· *Multæ eis quoque amatorios imprimunt complexus, ut vel per terram numeroſe incedentes, meretricios ſpiritus in inceſſu inſculpant.* Seneca Quæſt. Nat. lib. VII. cap. 31. *Tenero & molli inceſſu ſuſpendimus gradum, non ambulamus.* Propert. lib. II. Eleg. 12.

Quæ caput, & digitos, & lumina nigra puellæ
Et canit, ut ſoleant molliter ire pedes.

Manil. lib. V.

Foeminea veſtes, nec nexæ tegmine plantæ,
Et ſpecies, fictique placent ad mollia greſſus.

Addatur Petron. cap. 126. *Quo ſpectant flexæ pectine comæ? quo facies medicamine adtrita, & oculorum quoque mollis petulantia? quo inceſſus tute compoſitus, & ne veſtigia quidem extra menſuram aberrantia, niſi quod formam proſtituis, ut vendas?* Idem in Fragm.

Planta decens modicos neſcit calcare lapillos,
Et dura lædi ſcelus eſt veſtigia terra.

Qui locus conferri meretur cum Deut. XXVIII. 56. *Foemina mollis & delicata, quæ non tentabat plantam pedis in terram ponere, præ deliciis & mollitie.* &c.

C A.

CAPUT IX.

Probatur קשרים eſſe *Cingula*, ſ. *Zonas*.

I.

Liquidiſſima eſt, multoque uſu protrita, Hebræi Thematis קשר notio *ligandi*, & *conſtringendi*. v. g. Deut. VI. 8. קשרתם לאות על ידך *Ligabis ea in ſignum ad manum tuam*. Vid. & Joſ. II. 18. 21. Gen. XXXVIII. 28. &c. &c. Ex hac poteſtate ſecundaria ſignificatio *conjurandi*, vel *conſpirandi* contra aliquem, quæ ſub eadem Radice invaluit, emanavit. *De Themate קשר.*

Arabes ſuum قسر frequentant pro *valido*, *compacto* & *conſtricto* quaſi, eſſe *corpore*, quemadmodum צאן המקשרות *oves* notat *firmo* & *compacto* corpore præditas, Gen. XXX. 41. Diverſo paululum adſpectu *conſtringere* eſt, *vi* & *violentia* aliquem *adigere*. Abulfar. in Hiſt. Dynaſt. p. 240. ولا تقتسره اقتسار العبيد ان ظفرت به *Si bello ſuperior evaſeris, noli eum inſtar ſervi violenter cogere & adſtringere*. In derivatis eſt قسور *Leo*, a *prævalidis viribus* hoc nomen adeptus; vid. Alcor. LXXIV. 51. Hiſt. Tam. p. 57. Unde nova ſignificatio *vim inferendi leonis inſtar* in Thema recepta. Amadodd. Iſp. p. 11. والعساكر الكاسرة والقساور القاسرة Interprete Celeb. Schultens: *Exercitibus aquilarum more frangentibus, & bellatoribus leonum ritu rumpentibus*.

Omnes hæ ſecundariæ notiones ex primigenia poteſtate, quæ in *conſtringendo* ponenda, profluxere.

Diſſenſus de voce קשרים.

II. Cui Thematis notioni convenientem ſignificationem derivatum Nomen קשרים, quod non niſi duobus in locis, nempe hic apud Jeſajam, & Jerem. II. 32. ſedem occupavit, gerere debuiſſe, nemo non largitur. Quale autem ornamenti genus, corpori *alligatum*, per קשרים noſtrum præciſe denotetur, non conſentiunt. Græci Jerem. II. 32. στηθοδεσμίδα habent, quos ſequuti Vulgatus per *faſciam pectoralem*, & Arabs رباط صدرها *faſciam pectoris ſui*, verterunt. Chaldæus reddit generalius קשוטהא *ornatus ſui*, ut & Syrus ܠܬܟܫܝܛܗ *ornamenti ſui*. Sed in altero Jeſajæ loco Alexandrini τὸ ἐμπλόκιον, Vulg. *murænulas*, Arabs مدلاتهن *ſitulas*, (inaurium quoddam genus eſt) Chaldæus vocem ignotam קלמסמסיא, Syrus ܩܠܦܣܝܢ *torques*, exhibent.

Hebræorum Magiſtri non minus fluctuant in definiendo hujus vocis ſignificatu. Aben-Eſras ait fuiſſe תכשיט גרון *ornamentum quoddam colli*. Kimchi in Libro Radic. הקשרים רוצה לומר על חליים והענקים שקושרת האשה בראשה או בגרגרותיה per קשרים *intelliguntur monilia vel torques, quos foeminæ capiti vel collo alligarunt*. Sed paulo aliter habet in Comment. in Jeſ. ad h. l. יתרי משי שקושרות מהם ראשן ויונתן תרגם קול משמשאי ולא ידעתי מה הוא *Sunt funiculi ſericei, quos mulieres capiti alligabant. Jonathan in ſuo Targum habet* קול משמשאי, *quod quid ſit ignoro*. *Vittas* fuiſſe pro continendis crinibus, putat Raſchi: כמשמעו קשורים קצרים שקושרין בהן שערן ויש שעושין אותן מוזהבין *Vox* קשרים *proprie notat vittas, quibus foeminæ comam colligabant, easque interdum faciebant deauratas*. Quam ſententiam cum Kimchiana conciliа-

ciliare voluiſſe videtur Abarbanel, qui ita habet in Comm. in Jeſ. הם חבלים דקים של משי ופתיל זהב שהנשים קושרות בהם שערותיהן *Sunt funiculi tenues, & fila aurea, quibus foeminæ capillos ſuos colligabant.* Hunc ſequuti ſunt in Verſione Judæo-Germanica, ubi habetur דיא פלעכט שניר *die flecht-ſchnure*, funiculi pro plectenda coma.

Duces hoſce & noſtrates ſequuti ſunt Interpretes, licet alio hunc, alio illum, præferente. Vatablus habet *torques* vel *monilia*. Forerius *tænias ſtrictiores*. Grotius in Jerem. *mamillare*, vel *ſtrophium*, ſed in Jeſ. ſequitur Hieronymum, & vertit per *murænulas*, ſ. *catenas contextas ex auro in virgulas lenteſcente, flexuoſo ordine*. Coccejus, Gusſetius, Vitringa, Viri Clariſſimi, habent *redimicula* capitis, vel *tænias*, quos plures ſequuti. Unus eſt Cl. Hoheiſel in Obſervat. in Jeſaj. p. 33. qui putet hæc *ligamina* non præciſe ad caput eſſe reſtringenda, ſed potius pedibus adaptanda, quoniam ταῖς צעדות ſtatim ſubjungantur. Quemadmodum vero inter omnes has opiniones nulla fere eſt, quæ ex notione *ligandi*, vel *alligandi*, Thematis קשר deduci & aliquatenus confirmari non poſſit, ita & nulla videtur, quæ ſatisfaciat uſui vocis קשרים apud Jeremiam, l. c. cujus hæc ſunt verba: התשכח בתולה עדיה כלה קשריה *Num obliviſcetur virgo ornatus ſui, ſponſa* τῶν קשרים *ſuorum.* Vel me non monente quivis ſentit, ornamenti quoddam genus hic per קשרים deſignari, quo ſponſa, tanquam inſigni quodam, more gentis recepto, fuit condecoranda, & circumliganda. Nullum vero inter illa ornamentorum genera, quæ a Viris Doctis hactenus allata ſunt, deprehendo, quod hunc uſum præſtitiſſe antiquitas teſtetur.

III. Ego non dubito, per vocem קשרים *Zonas*, ſ. *Cingula*, denotari. Id ſequentes potiſſimum ſuadent rationes. *Quam Zonas notare oſtenditur.*

 Pri-

Digitized by Google

Primo: *Ligandi* & *Conſtringendi* ſignificatio Thematis קשר ad notionem *cingendi ſe zona* ſponte ſe porrexit; tum quod ipſa *zona* corpori *adſtringatur*, & *ſubnectatur cingulum*, ut Virgilius dixit, tum, quod & zona veſtes *conſtringat* arctius ad corpus, ne diffluant. Exemplo ſit Arabum Thema شدّ pro شدد שדד *ligavit*, *conſtrinxit*; quod inter alia ſecundaria notat *præcingere ſe zona*. Ut Jerem. XIII. 1. اقتني لك منطقة كتان وشدها على حقويك — — وشديتها على حقوي *eme tibi cingulum lineum*, *& accinge illud lumbo tuo*; — — *& accinxi illud lumbo meo*. Et abſolute uſurpatur ſine nomine *zonæ* expreſſio Job. XXX. 18. لبست لبوسي وتشددت بثيابي *Indui indumentum meum & zona cinxi veſtes meas.* Hinc & شدادة *cingulum* notat Jeſ. III: 22. & مشدود *præcinctum*; ut Exod. XII. 11. تكون احقاوكم مشدودة *Sint lumbi veſtri præcincti zona*. Vid. & Luc. XII. 24.

Secundo ſignificatus *cinguli* Jerem. II. 32. ubi קשרים iterum occurrit, tam liquida habet jura, ut ultro ſeſe inſinuare videatur. Conſtans quidem cultiorum gentium conſuetudo fuit, ſponſas, cum marito nunc jungendæ eſſent, moroſiori cura, & cujuſcunque generis ſplendidiori paratu, exornare; unde Homerus Odyſſ. z. vſ. 27.

> Σοὶ δὲ γάμος σχεδόν ἐστιν, ἵνα χρὴ καλὰ μὲν αὐτὴν
> Ἕννυσθαι. — —
>
> *Tibi nuptiæ inſtant*, *quando te pulchras veſtes oportet*
> *Induere*. — —

Simul tamen, more ubivis fere gentium olim recepto, novæ nuptæ peculiaria quædam ornamenta, & veluti inſignia, ha-

habebant, quibus præ aliis ſuperbirent, ſimulque ſuſceptam conditionem teſtarentur. Quæ inter *zona* ſeu *ceſtus* principem tenebat locum; tam apud Orientales: Abou-Iſhaac Zabiæus de Sponſa:

توشحت ببدن لا يري مثله
الراوون في شام ولا في عراق *

Accinxit ſe zona pretioſa, qualem vidit
Nemo in Syria, neque in Irak.

Safeirius:

والله لولا جديل في ابطيها
لغلت تابطت شرا عليّ *

Per Deum, niſi eſſet ſponſale cingulum ſub axillis ejus,
Dicerem, eam malum contra me ſub axillis portare.

Quam apud Romanos & Græcos. Feſtus: *Cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto ſolvebat.* Claudian.

Spe propiore thori mater ſolertior ornat,
Adveniente proco, veſteſque & cingula comit.

Hinc λύειν τὴν ζώνην *ſolvere zonam* idem eſt ac *devirginare* ſponſam. vid. Homer. Odyſſ. Λ. 244. & Hymn. in Vener. vſ. 150. Eurip. in Alceſt. Act. I. p. m. 219. Plutarch. in Lycurg. Quam Græcorum phraſin & Latini imitati. Catull. II. 13.

Quod zonam ſolvit diu ligatam.

Hæc non cumulo, Viris Doctis paſſim obſervata.

Denique *tertio*, cum *zona* olim non infima fuerit pars muliebris ornatus, non putandum eſt, Jeſajam, in luxu foe-

Digitized by Google

foeminarum caſtigando occupatum, illam ſilentio prætermiſiſſe; maxime, cum inferius *Tunicam* memoret, quæ non poterat non zona conſtringi, ut videbimus ſuo loco. Quemadmodum vero inter ea ornamentorum nomina, de quibus hactenus diximus, nullum fuit, quod notionem *cinguli* muliebris ſuſcipere potuerit; ita nec inter ſequentia aliquod erit, cui is ſignificatus aliqua ſpecie adſcribi poſſit. Fateor equidem, hoc argumentum per ſe non adeo multum valere; valebit tamen, ſi præcedentibus adjungatur. Nempe, cum ipſa Thematis קשר indoles ac proprietas ad denotandum *cingulum* perquam prona ſit & proclivis, ipſumque קשרים eam notionem alibi aperte ſatis requirat; eo minus ambigendum, eandem & in noſtro Jeſajæ loco agnoſcendam & recipiendam eſſe, quod nullum ſit dubium, zonam inter muliebria ornamenta locum mereri, non autem alia vox compareat, quæ hunc ſignificatum admittat.

Illuſtratur Jeſ. XLIX. 18. IV. Hic autem *cinguli* ſignificatus vocis קשרים in ipſum quoque Thema קשר, ut in Linguis fieri ſolet, aſſumtus fuit, unde huic notio *cingendi ſe zona* accrevit, eodem modo uti mox de Arabum Radice شدّ obſervavimus. Cujus uſus luculentum habemus exemplum Jeſaj. XLIX. 18. qui locus alteri, quem ex Jeremia paulo ante produximus, perſimilis eſt. Verba hæc ſunt: *Tolle circumquaque oculos tuos & vide, omnes congregati ad te venient; per vitam meam, inquit Jehova,* כי כלם כעדי תלבשי ותקשרים ככלה *omnibus illis, ceu ornamento, te indues, & inſtar ſponſæ iis temet præcinges.* Sic & Arabs Interpres expreſſit: تتوشحين بهم مثل زينة العروس *iis te præcinges ut ornamento ſponſæ.* Alii vertunt: *Omnibus illis tanquam ornamento amicieris; & alligabis illos tibi, ut ſponſa.* Sic quidem ſenſui haud adeo multum decedit; ſed & ſenten-

tiæ

tiæ elegantia, & comparationis ratio obſcuratur. Terminus enim *alligandi* generalior eſt, quam ut de ſponſa in ſpecie enuntiari, & inde comparatio duci, queat. Quodſi autem, juxta quorundam ſententiam, verbum קִשֵּׁר accipere velis de *vinculo matrimoniali*, quo ſponſa marito jungitur, præter neceſſitatem in eodem verſu ſcena mutabitur, neque poſtremum membrum præcedenti commode reſpondebit. Sed notio *cingendi ſe zona* aptiſſima eſt in illo loco. Alloquitur ibi Propheta Eccleſiam, uti videtur, Novi Teſtamenti, recens plantatam, multisque preſſam afflictionibus; cui promittit, ipſam fore liberandam a ſuis hoſtibus, maxime internis, eorumque loco inſignia & ſplendida capturam incrementa. Quemadmodum vero per totam pericopam ſub emblemate *Foeminæ Tſionis* Eccleſiam repræſentarat, ita & in verbis mox allatis continuat hanc allegoriam, & augmenta, quæ illi acceſſura ſint, multumque decus additura, ſub figura proponit tum ornamentorum muliebrium in genere, quibus ipſa & protegenda ſit & condecoranda, tum in ſpecie *cinguli ſponſalis*; quod cum pretioſius eſſe ſoleat, ut facile intelligimus, ſponſæque multum decoris circumdet, atque corpori arctius adſtrictum, reliquas veſtes, ne ἀδιατάκτως diffluant, contineat; homines pingit inſigni dignitate, eruditione, aliisque virtutibus, conſpicuos, Eccleſiæ arctiſſime uniendos, eamque mirifice exornaturos, ac in pulcherrimo flore, honore & decore, conſervaturos.

V. Quamvis autem, ut huc usque vidimus, zonæ ſponſarum maxime eſſent ornamenta & inſignia, non tamen ideo putandum, eas nunquam a virginibus, & foeminis quibuscunque, fuiſſe geſtatas. Nam de foemina ſolerti, & laboris amante, Prov. XXXI. 17. dicitur חגרה בעוז מתניה *valide præcingit lumbos ſuos.* Et ipſe Jeſajas III. 24. mulieribus tribuit פתיגיל, quam vocem Aben-Eſras quidem per חלוק דק *interulam tenuem*, alii autem rectius *Zonæ non ſolis ſponſis geſtatae.*

S de

de *zonæ* quodam genere ornatiſſimo & ſuperbo, expoſuere; nam ei opponitur מחגרת שק *cinctura cilicii*, &, ut videtur, conflatum eſt פתיגיל ex פתיל, quod non tantum *filum*, ſed & *funiculum*, aut *faſciam* ſignificat, ut Exod. XXVIII. 37. (ad quem locum Ch. Braunius videatur, de V. S. H. lib. II. cap. 22. ubi illam vocem de latioribus intelligit ligamentis, quales vittæ eſſe ſolent) & ex Themate גול vel גיל, quod apud Hebræos quidem *exultare* notat, unde quidam volucre פתיל גיל eſſe *faſciam exultationis*, incommode admodum; ſed primaria ejus poteſtas apud Arabes aſſervatur, quibus جال vel جول גול notat *obire*, *cingere*, *circumdare*. Eſt itaque פתיגיל proprie *faſcia cingens* corpus. Porro apud Arabes quæcunque ſine diſcrimine mulieres zonas geſtare leguntur. Abd'ol-Maſih Poëta vetus:

وامه من ال ذيب ابن حجن
بيضاء فضفاض رداء والبدن *

Mater ejus fuit ex familia Dſaibi filii Hagjanis,
Candida ampliori palla, pallioloque & zona ornata.

Et apud alios paſſim. Idem apud Græcos Scriptores obſervare licet. Heſiodus de Pandora virgine:

Ζῶσε δὲ καὶ κόσμησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη.

Zona eam cinxit & ornavit Dea Minerva glaucos oculos habens.

Athenæus lib. V. Ἠκολούθουν δὲ τούτῳ παιδίσκαι πεντακόσιαι κεκοσμημέναι χιτῶσι πορφυροῖς, χρυσῷ διεζωσμέναι. *Sequebantur ipſum puellæ quingentæ, purpureis ornatæ tunicis, aureisque zonis cinctæ.* Apud Homerum mulieres paſſim audiunt

Digitized by Google

diunt καταζώννοι, vel ἐύζωνοι, ut Iliad. H. 139. I. 586. &c. &c. Hæc ideo monenda duxi, ne quis miretur, Jeſajam foeminis in genere quibuscunque tribuere, quæ tamen ipſe alibi, XLIX. 18. & Jeremias II. 32. de ſponſarum ornamento ſpecialius enuntiarunt.

VI. Quamvis autem zonarum uſus foeminis aliqua ratione neceſſarius fuerit, ad tunicas, quæ longiores eſſe ſolebant, non minus retrahendas ſurſum, ne inceſſum inhiberent, quam ſtringendas & continendas, ne aperirentur, & a corpore diffluerent, tamen, æque ac pleræque aliæ veſtes, & zonæ ob abuſum, immodicum luxum, ſuperbiam, & ingens pretium iis inſumtum, juſtam meruerunt Prophetæ reprehenſionem. Nam incredibile fere eſt, quam pretioſas & ſuperbas zonas olim foeminæ geſtarint. Non enim tantum byſſinas habebant, quales leguntur apud Ezech. XVI. 10. ſed & aureæ jam apud Homerum memorantur, ut Odyſſ. E. 230. *Zonæ veterum pretioſiſſimæ fuerunt.*

Ἀυτὴ δ' ἀργύφεον φᾶρος μέγα ἕννυτο νύμφη,
Λεπτὸν καὶ χαρίεν, περὶ δὲ ζώνην βάλετ' ἰξυῖ
Καλὴν, χρυσείην·

Ipſa quoque candidam ſtolam ingentem induit Nympha
Tenuem & gratioſam, zonamque circumpoſuit lumbis
Pulchram, auream.

Vid. & K. 543. & adde Dionyſ. in Deſcript. Orb. vſ. 839.

Ου μὰν ὐδὲ γυναῖκας ὀνόσσεαι, αἳ περὶ κεῖνο
Θεῖον ἔδος, χρυσεῖο κατ' ἰξύος ἅμμα βαλοῦσαι
Ὀρχεῦνται·

Nec mulieres vituperaveris, quæ in illo
Divino ſolo aurea per lumbos zona accinctæ
Tripudiant.

Virg. Aen. lib. V.

— — *lato quam circumplectitur auro*
Balteus. — —

Curtius lib. III. *Zona aurea muliebriter cinctus acinacem ſuſpenderat, cui ex gemma erat vagina.* Vel etiam aureis bullis vel clavis erant diſtinctæ; uti ad Virgil. Aen. lib. IX.

— — — *aurea bullis*
Cingula — — —

Servius notat: *aureis clavis inſignita.* Verum etiam zonas habebant pretioſiſſimis gemmis inſignes. Quemadmodum Statius ait:

— — *ignea gemmis Cingula.*

Et Herodianus lib. V. de Macrino: Προήει τε πόρπαις καὶ ζωστῆρι χρυσῷ πολλῷ καὶ λίθοις τιμίοις πεποικιλμένοις κεκοσμημένος. *Proceſſit fibulis & zona multo auro & pretioſis lapidibus ornata atque picta.* Qui locus licet de viro loquatur, non tamen putandum foeminas in luxu viris fuiſſe inferiores. Arabes Cingulum latius fere ex corio contextum, quod gemmis plumari ſolet, una voce جديل appellant; & وشاح iisdem eſt; juxta Gjeuharium نسيج من ابيم عريضا ويرصع بالجواهر وتشده المراة بين عاتقيها وكشحيها *zona ex corio latiori contexta, & ornata gemmis bulliſve, quam humeros inter & hypochondria ſibi alligat mulier.* Veterum Perſarum foeminæ, nobiliores maxime, & Reginæ, tantam exornandæ zonæ pecuniæ vim inſumebant, ut reditus totarum Provinciarum in ſolum hunc uſum deſtinarentur. Re-

Refert id Plato in Alcibiade: Ἐπὶ ποτ' ἤκουσα ἐγὼ ἀνδρὸς ἀξιοπίστου ἀναβεβηκότων παρὰ βασιλέα, ὡς ἔφη, παρελθεῖν χώραν πάνυ καλὴν καὶ ἀγαθὴν ἐγγὺς ἡμερησίαν ὁδὸν, ἣν καλεῖν τοὺς ἐπιχωρίους ΖΏΝΗΝ τῆς βασιλέως γυναικός· εἶναι δὲ καὶ ἄλλην ἣν καλεῖσθαι καλύπτραν. καὶ ἄλλους πολλοὺς τόπους καὶ ἀγαθοὺς εἰς τὸν κόσμον ἐξῃρημένους τὸν τῆς γυναικὸς, καὶ ὀνόματα ἔχειν ἑκάστους τῶν τόπων ἀπὸ ἑκάστου τῶν κόσμων. *Vir quidam fide dignus, ex eorum numero qui ad Regem* (Perſarum) *profecti fuerant, mihi narravit, ſe integrum fere diem inſumſiſſe peragrandæ pulcherrimæ & fertili regioni, quam incolæ ZONAM Reginæ appellabant; eſſe vero & aliam, redimiculum dictam, talesque plures alias pulchras divitesque provincias ad fœminæ ornatum eſſe deſtinatas, ſingulis locis nomina gerentibus a ſingulis ornamentis.* Quo & Cicero alludit in Verrem: *ſolere ajunt barbaros Reges Perſarum ac Syrorum plures uxores habere, his autem uxoribus civitates attribuere hoc modo: Hæc civitas mulieri redimiculum præbeat: hæc in collum, hæc in crines.*

Ipſa quoque fibula, qua, ut ſtringeretur tunica, zonæ extremitates nectebantur, ſolebat eſſe aurea, vel ejus loco gemmam adhibebant. Sic ipſe Homerus Iliad. Δ. 132.

> Ἀυτὴ δ' ἄυτ' ἴθυνεν, ὅθι ζωστῆρος ὀχῆες
> Χρύσειοι σύνεχον·

> *Ipſa vero eo direxit, ubi zonæ fibulæ*
> *Aureæ eam connectebant.*

Ubi, notante Scholiaſte, ὀχῆες ſunt οἱ συνέχοντες τὴν ζωστῆρος ἱμάντες. Virgilius Aen. lib. V.

> — — *lato quam circumplectitur auro*
> *Balteus, & tereti ſubnectit fibula gemma.*

CAPVT X.

Probatur בתי הנפש eſſe *Olfactoriola*.

I.

De vocibus בתים & נפש *ſeparatim.*

Combinanda eſſe duo hæc vocabula, *regimen*, vel *ſtatus conſtructus*, ut Grammatici loquuntur, in quo בתי poſitum pro בתים, indicat. Hoc בתים, uti notum, *Pluralis* eſt τȣ̃ בית *domus*; quod a Forſtero, Avenario, aliisque ad Radicem Hebraicam בנה *ædificare* revocatur, ut proprie *aedificium* notet, hominum induſtria *extructum*. Quoniam autem ſatis apparet, literas (י) & (ת) quoque eſſe radicales, rectius deducitur a Themate Chaldæo בות, quod *pernoctare* notat Dan. VI. 19. ut proprie locus ſit, in quo tuto liceat *pernoctare*. Propius accedit Arabum Dialectus, qui ſub eodem ſignificatu frequentant Radicem بيت, & inde eodem modo بيت *domus* deducunt. Quod autem ad *Pluralem* בתים attinet, evidens eſt, eum a *Sing.* בית nonniſi ἀνωμάλως formari. Satius itaque, בית & בתים Nomina ſtatuere diverſa, ita ut hujus Singularis extra uſum abierit, illius Pluralis. Poteſtque hoc בתים dupliciter formari; vel a בות *bot*, *Singulari* inuſitato, τȣ̃ *Cholem* in *Kametz-Chatuph* & *dageſch forte* reſoluto; vel etiam ad Radicem בנה referri poteſt, unde בנת *ædificium*, in *Plur.* בנתים, quod tandem, ob frequentem vocabuli uſum, in בתים contractum. Id Analogi[illegible] onvenienti[illegible] videtur. Sed his Grammaticis nunc [illegible]mmo[illegible] n lubet.

[illegible]a d[illegible], magno multoque uſu in Lingua Bi[illegible] Lexicographos ſic declaratur: *Anima*,

ma, *Mens*, *Animus*, *Halitus*, *Vita*, *Corpus animatum*, *Concupiſcentia*, *Appetitus*, &c. &c. Quam notionum ſylvam, ſibi tamen mutuo valde cognatarum, varia Hebrææ dictionis conſtructio peperit, ad quam ſi prudens Lector attendat, quinam ſignificatus quovis in loco eligendus ſit, levi plerumque opera indagabit. Ejus quoque Thema נפש, licet non in prima, ſed ſola ſecunda Conjugat. aliquoties ſub *reſpirandi* ſignificatu occurrit, ut Exod. XXIII. 12. XXX. 17. 2 Sam. XVI. 14. Arabibus eadem Radix نفس ſub *ſpirandi* aliiſque affinibus notionibus teritur, qua de re mox plura.

II. His breviter præſtructis, videamus quomodo בתי *Veteres* הנפש, quæ unico hoc loco juncta deprehendas, reddide- *exhibentur* rint Interpretum celebriores. Antiquas Verſiones fere tæ- *Interpretes.* det adducere; eæ enim, ut jam toties monuimus, a librariis, aliiſque tenebrionibus, mutatæ, corruptæ & interpolatæ, nihil plane exhibent, quod aliqua veri ſpecie ſeſe commendet, ſi a ſolo diſceſſeris Hieronymo, deinceps laudando: Ineptiſſimum profecto, quod Chaldæus offert: קדשיא *inaures*. Græci τὰς δακτυλίους, *annulos*, niſi potius hæc vox ſubſequenti טבעות reſpondeat, quod alibi conſtanter ſic reddiderunt. Arabs دمالج *brachialia*. Non opus eſt multis oſtendere, quam longe hi omnes ab Hebræo Textu receſſerint; id enim ſponte in oculos incurrit.

III. Rabbinorum conſtans & obſtinata eſt opinio, per *Rabbinorum ſen-* בתי הנפש *ornamenta* eſſe intelligenda in *pectus defluentia*, *tentia.* quoniam ibi ſit בית הנפש *domus* vel *ſedes animæ*. Kimchi in Lib. Radic. ad vocem בית: בתי הנפש. הוא חלי שתולין אותו הנשים על לבן *eſt monile*, *quod foeminæ ſuper cor ſuſpendunt*. Eadem quoque habet in Commentar. in Jeſ. ubi addit, vernacula Lingua id ornamentum vocari פיטו״ראל, quod puto eſſe *pectoral*, q. *pectorale*. Nec ali-

tep

ter R. Salomo b. Melech in h. l. Ita fere & Aben-Eſras: בתי הנפש על החזה שהוא בית הנפש כי בו הוא הלב *per* בתי הנפש *intelliguntur ornamenta dependentia ſupra pectus, quod eſt domus animæ; ibi enim cor eſt.* Plenius Abarbanel: בתי הנפש הם הכשיטי זהב וכסף שהנשים תלות בין דדיה שהוא מקום החשק כי נפש בכאן הוא לשון תאוה ויהיה בתי הנפש כמו מקומות התאוה *Ornamenta ſunt aurea vel argentea, quæ mulieres inter ubera ſuſpendunt, ubi locus eſt deſiderii; nam* נפש *idem hic notat ac* תאוה concupiſcentia; *adeoque* בתי הנפש *idem eſt ac ſi dicas:* loca concupiſcentiæ. Hiulca eſt demonſtratio, quam non niſi Judæorum ſtomachus concoquere valet. Huic tamen ſententiæ ſubſcripſit Vatablus in h. l. ubi ait: *Sunt monilia quædam dependentia a collo inter ubera ſuper pectus, ſic dicta, quod muniant domum animæ; i. e. cor.* Addit quidem Vir Doctus: *Quidam vittas ſericas quibus mulieres alligant capillos capitis interpretantur.* Verum ſi hanc ſententiam Rabbinis adſcribat, quos unicos fere duces habet, videtur aliquid humani paſſus eſſe; non enim puto, ullum Rabbinum voces בתי הנפש per *vittas ſericas* expoſuiſſe; quotquot mihi evolvere licuit, receptæ apud illos ſententiæ tenaciſſimi ſunt. Forte itaque per errorem hoc retulit Vatablus, quæ ad præcedens קשרים ex mente quorundam Judæorum pertinebant. Quod autem ad rem ipſam attinet, Rabbinorum originationem, totamque probationem ejus ſignificatus, quem vocibus בתי הנפש adſcribunt, non tantum longe petitam eſſe, ſed & abſurdam & nauci non emendam, facile animadvertunt, qui Hebraiſmi indolem vel leviter deguſtarunt. Quamvis enim ipſum cor, aliquo ſenſu, & fere eo quo Salomo dixit, *ex corde eſſe exitus vitæ*, Prov. IV. 23. & quo alibi ſæpius *cor* metonymice pro *anima*, ejusque *facultatibus*, uſurpatur, בית הנפש *domus animæ* appellari forte potuiſſet, phraſi licet in Scriptura plane inuſitata, & coacta, atque He-

Hebraicæ linguæ genio ideo non ſatis convenienti, quod בית *domus*, quaſcunque ſuſcipiat figuras, non niſi quod corporeum eſt recipere & recludere poſſe intelligatur, atque hinc *cor* admodum incommode *domus* vel *receptaculum animæ* diceretur; inauditum tamen eſt, & ab omni uſu loquendi abhorret, ut *ornamenta* quædam in *cor* vel *pectus dependentia* eodem nomine inſigniantur. Nam de ipſo ornamento prædicandum eſſet, quod ſit *domus animæ*, vel, juxta Abarbanelis ſententiam, *domus concupiſcentiæ*. Quale autem hoc foret ornamentum? Mihi ſaltem nullum notum eſt, cui talis appellatio aliquo jure, imo vel aliqua ſpecie, competere poſſet.

IV. Sunt & aliæ Virorum Doctorum de בתי הנפש ſententiæ, eæque fere omnes Auctoribus ſuis peculiares, & ita comparatæ, ut aliis ſe commendare non valuerint. Sic v. g. Junius vertit per *bucculas*, & intelligit *ſuperba aulicarum inſtrumenta, quibus os ſuum contegunt velut paſtomidibus. Eſt enim os*, inquit, *meatus animæ ſive anhelitus, cujus obex propterea domus animæ appellatur*. Munſterus reddit *Jocalia animæ*. Pagninus *pectoralia*, quod forte ex Rabbinorum hauſit ſententia; eum ſequutus eſt Bucherus de velatis foeminis p. 101. putans fuiſſe *tegumenta* ſ. *involucra pectoris*. Caſtalio habet *monilia*. Tigurini *faſciculos redolentes*. At ſi omnium cogitata conquirere aggrederer, id inutilem mihi laborem pareret, & Lectori tædium.

Aliæ quorundam opiniones.

V. Non tamen omnino defuerunt, qui de hoc בתי הנפ״ש eam foverint ſententiam, quæ uſui horum vocabulorum congruentior ſit, & examen queat ſuſtinere. Inter hos primus mihi nominandus Hieronymus, qui per *olfactoriola* expreſſit, innuens procul dubio, voces Hebræas ad verbum ſonare *domunculas odoris*. Eum ex recentioribus non pauci ſequuti, licet non per omnia, ut fieri ſolet, inter ſe invicem conſentientes. Sic Forſterus in Lex. habet quidem *domos animæ*, quas tamen exponit per *capſulas*

Quinam expoſuerint per olfactoriola.

 ſpi-

ſpirationis, in quibus bene ſpirantia & refocillantia incluſa erant. Iisdem fere verbis Forerius utitur in Comment. in Jeſaj. *Hebraiſmus capſulas ſuaviter ſpirantes dicit, in quibus bene ſpirantia incluſa erant.* Et mox addit: *ſolent autem nobiles & delicatæ mulieres inter ornamenta habere quædam minutula vaſcula aurea, quæ ſecum deferunt inter ubera pendentia, quæ odoriferis rebus implentur.* Quæ hic affert de ornamento inter ubera ſuſpenſo, ex Judæorum figmentis videtur hauſiſſe; ſed id ad rem ipſam parum facit; magis autem diſplicet, quod idem dein conjiciat, בתי הנפש *non tam eſſe ornamenti genus, quam quibus foeminæ inter ornandum ſe utantur.* Quam opinionem plenius exponit Glaſſius lib. III. Tract. I. Canon. 37. *Alii*, inquit, *non tam foeminarum ornamenta, quam vaſa aut myrothecia fuiſſe putant, quibus illa ſervabantur a foeminis unguenta, quibus menſam, lectum, aut veſtimenta, ἐυωδίας cauſa, adſpergebant. Prov.* VII. 17. *Pſalm.* XLV. 9. *Matth.* XXVI. 7. Sed hæc nullo modo locum habere poſſunt. Nam non tantum ipſe Jeſajas Capitis III. vſ. 16. ubi ait יען כי גבהו *ideo quod ſuperbiant* filiæ Tſionis, innuit ſibi ſolummodo ſermonem eſſe de ornamentis, ſuperbisque veſtibus, quibus foeminæ in publicum prodeunt; verum etiam ex tota ſerie omnium illorum nominum, quibus Propheta muliebrem ornatum complexus eſt, idem certo ſatis colligitur. Porro ad eos qui Hieronymum ſequuti, referendi quoque, Lutherus, vertens: *die bieſem æpfel*, & Doctiſſ. Belgæ, qui habent: *de reuk-ballekens*; & in Gloſſis: *buyskens der ziele, ofte, des adems, aldus worden de reuck ballekens ghenoemt, om dat ſy het herte verquicken, ende den adem verſtercken.* Quibus tandem Cel. Vitringa acceſſit, qui בתי הנפש exponit per *vaſcula, odoriferis referta, quae animam recreant, & languidis vittam reddunt.*

Quorum ſententia pluribus adſtruitur. VI. Eandem ſententiam ut & meam faciam, non ſola Doctorum Virorum auctoritas, ſed & rationes accurate expenſæ & ponderatæ, me inducunt. Eam enim poteſtati

ac

ac uſui vocum Hebræarum exiſtimo quam maxime, imo unice, convenire. Dico itaque, בתי הנפש ad verbum denotare, *domunculas*, h. e. *vaſcula*, *odoris*, ſeu, ut, præeunte Hieronymo, una voce exprimam, *olfactoriola*. Quod nunc ſpeciatim demonſtrare operæ pretium duco. Itaque quod *primo* ad vocabulum בתים attinet, ſatis notum quidem eſt, eam primaria notione *domum*, vel *ædificium* quodcunque, ſignificare. Quemadmodum vero is domuum uſus eſt, ut non tantum eo noſmet ipſos recipiamus, ſed & quicquid poſſidemus opum, facultatum, & ſupellectilium, recondamus, ita hinc factum, ut illud nomen בית de quovis *vaſe*, imo & *ſpatio*, quo aliquid recipitur vel reconditur, uſurparetur. Exhibeamus quædam exempla: Exod. XXV. 27. בתים לבדים *domus*, i. e. *receptacula vectium*. 1 Reg. XVIII. 32. בית סאתים זרע *domus*, h. e. *locus* vel *ſpatium continens duo ſata ſementis*. Ezech. I. 27. אש בית לה סביב *igni domus erat undiquaque*, h. e. *certo ſpatio includebatur*. 2 Sam. XV. 17. *Steterunt* בית מרחק *in domo*, i. e. *loco*, *remoto*, uti Chaldæus ibi habet: באתר רחיק. Idem loquendi modus & Chaldæis perfrequens eſt; ut Geneſ. I. 10. בית כנישות *domus*, h. e. *locus*, vel *receptaculum*, *congregationis* aquarum. Et Exod. XXVIII. 38. ubi in Hebræo eſt *frons Aaronis*, Targum habet בית עינוהי דאהרון *domus oculorum Aaronis*. Conſimiliter apud Rabbinos בית יד *domus manus*, vel בית אצבעין *domus digitorum*, notat *Chirothecam*; בית החצים *domus ſagittarum*, *pharetram*; בית הרגלים *domus pedum*, *calceum*. In Tract. Kelim cap. XVI. Sect. 7. בית הנגר בית המנעול ובית המזוזה *domus peſſuli*, *domus feræ & domus Mezuzæ*. Ubi vid. Maimon. Et ibid. Sect. 8. בית הכוחל *domus ſtibii*, pro *vaſculo*, *in quo ſtibium reconditur*. Alia plura hujus uſus exempla vid. apud Glaſſium, Philol. S. Lib. III. Tract. I. Can. 37. In Ver-

ſione Syriaca Hebr. IX. 4 habetur ܒܝܬ ܒܣܡܐ *domus aromatum*, pro *thuribulo*, quod exemplum præ aliis huc facit. Simili uſu & Arabes ſuum بيت terunt, ut بيت المال *domus nummorum*, pro *ærario*, apud Elmacinum. بيت السلاح apud Abulf. pro θαλάμου ὅθι τεύχεα κεῖται. Item بيت الجوهر *domus gemmarum*, pro *pyxide* vel *capſula*, in qua *gemmæ reconduntur*, in lepido hoc verſiculo mariti uxorem ornatus ſtudioſam reprehendentis,

واني اريد جوهر البيت
وتريدين بيت الجوهر *

Ego volo gemmam domus, (h. e. domum opulentam)
Tu autem vis domum gemmæ.

Eodem itaque ſenſu & noſtrum בתים accipi poſſe dubitari nequit. Sed debere ita ſumi, ex ſubjuncta voce נפש colligendum. Quomodocunque enim eam vertas, non poteſt ei *domus* vel *ædificium* proprie dictum parari. Pergamus itaque ad hujus ſignificationem quoque indagandam. Primaria Thematis נפש poteſtas ponenda eſt in *ſpirando*, quæ procul dubio in *prima* ejus *Conjugat.* olim reſedit, ſed nunc obliterata, ideo quod in Lingua Biblica exularet. Superſtes tamen eſt *ſecunda Conj.* quae notat *reſpirare*, *recuperare halitum*, & proprie de eo uſurpatur, qui labore defatigatus *halitum* fere amiſſum *quiete recipit*; unde & abſolute adhibetur pro *quieſcere*, & *a laboribus ceſſare*, ut Exod. XXXI. 17. ubi ἀνθρωποπαθῶς *Deus* dicitur *reſpirare*. Eodem modo & Arabes ſuam Radicem نفس ſub primigenia notione *ſpirandi* frequentant; ut in Hiſt. Tam. p. 445.

فبكيا وانتحبا وتاوها والتهبا
وتنفسا تنفس الصعدا *ambo flebant*, ge-

gemitus & ſuſpiria trahebant, ac præ indignatione ſpiritum ex imo pectore ducebant. In Codice MS. poſterius تنفس omiſſum, uti & apud Haririum Conſ. 30. فتنفس الصعداء مرارا *ſpiritum aliquoties ab imo pectore traxit.* Huc pertinent, quæ Cl. Golius in Lex. habet: *Reſpiravit, anhelavit.* Unde & reliqui Thematis uſus ac notiones emanarunt; v. g. in Conj. III. نافس eſt *adſpirare* ad aliquid; ut apud Harir. Conſ. IV. وينافس في الثمين *ad res pretioſas adſpiratur.* vid. & Abulfar. p. 59. Hæc perſtringere & attingere tantummodo volui. Qui plura deſiderat, adeat Cel. Schultens not. ad Harir. Conſ. II. p. 59. ubi oſtendit, quomodo & reliqui Thematis uſus metaphorici ad ſuam Originem ſint reducendi. Satis apparet, principem ſignificatum vocis נפש collocandum eſſe in *reſpiratione*, qua halitus attrahitur, iterumque efflatur. Ea poteſtas manifeſto ſe exerit Gen. II. 8. *Deus inſlavit in nares hominis halitum vitalem, & factus eſt homo* לנפש חיה *anima vivens.* Cum per *halitum* vel *ſpiritum in naribus euntem* dicatur homo factus לנפש *in animam*, apparet, per voculam hanc נפש primario & præcipue *facultatem reſpirandi* denotari. Quamvis non diffitear, quod, quemadmodum per נשמה, ita & per נפש, omnia, quæ in homine cum reſpiratione vitali conjuncta ſunt, ne ipſa quidem cogitandi facultate excluſa, metonymice ſimul comprehendantur. Unde & factum, ut נפש *animam* notet *rationalem*, ejusque diverſas facultates; & hinc plures & varios uſus admiſerit, quos autem nunc excutere non vacat. Nollem vero, ut quis inde, quod notionem *animæ* ſecundariam conſtituamus, & a *ſpirando* deducamus, periculum metuat veritati indubitatæ, quæ nos docet, animam hominis nihil eſſe corporei, & ab omni materia remotiſſimam. Ea enim veritas ſubſiſtit, quamvis & Latinorum *Spiritus*, quod tamen de ipſo Deo cum maxime prædica-

tur, a *ſpirando*, & Græcorum *πνεῦμα* a *πνέω flare*, uti notum eſt, deſcendat. Eodem modo ſe res apud Hebræos habet. Porro notio illa vocis נפש, quæ *halitum* exprimit ex naribus vel ex ore emiſſum, ſuperſtes quoque eſt Job. XLI. 12. ubi de Leviathane: נפשו גחלים תלהט ולהב מפיו יצא interprete Cel. Schultens: *Halitus ejus prunæ quæ amburunt, & flamma ex ore ejus exit.* Nec alius fere ſenſus eſt ejusdem vocis, in omnibus iis locis, in quibus brutis tribuitur animalibus; ut Lev. XVII. 11. *Non comedetis ſanguinem*, כי נפש הבשר בדם היא *nam reſpiratio vitalis carnis in ſanguine eſt.* Non aliter intelligenda ſunt loca Gen. IX. 4. Lev. XVII. 14. Deut. XII. 23. Iterum conſpirant hic Arabes; nam نَفَسٌ Golio eſt: *Spiritus*, *anhelitus*, ejusque Pluralis انفاس *ſpiritus*, *ſpiramenta.* Ut in Ann. Bagd. ان وقفت نفسه *cum ſubſiſteret reſpiratio ejus*, h. e. *cum moreretur.* Latiori ſignificatu de *flatu* quocunque ea vox adhibetur; ut apud Abulfaragj. in H. D. p. 51. وهي انفاس تهاوت بين نفوس كريمة وسحايب ترت عن عقول شريفة vertente Cl. Pocock. *Quæ ſunt flatus quidam inter animos generoſos concitati, & nubes ab ingeniis præcellentibus ſtillantes.*

His nunc præſtructis, nemo, opinor, mirabitur, ſi aſſeramus, vocem נפש veteribus Hebræis quoque *odorem*, & metonymice id quod odorem emittit vel exhalat, denotaſſe. Qui uſus inde accrevit, tum quod res gravius & fortius olentes quendam halitum, vel tenuem quaſi ſpiritum, exhalent, atque diffundant, tum quod *odor* una cum *reſpiratione* in nares attrahatur. Cl. Vitringa paulo diverſam quidem, nec tamen contemnendam, affert ejus appellationis rationem, dum ait: *interpretatio hæc* (nempe vocum בתי הנפש per *olfactoriola*, ſ. ut ipſe mavult, *vaſcula odoriferis referta*, *quæ* animam recreant, *&* languidis vi-

vitam *reddunt*) *egregie convenit voci* נפש, *quæ* animam, *vitæ animalis principium*, *ſecundum Veteres*, *notat*, *& non Scripturæ tantum ſed aliarum Gentium ſtylo vel* recreari, *vel* languere *dicitur*. Addere poſſem, Arabes, obſervante & Golio, aſſervare ſub ipſo Themate نـفـس notionem illam *recreandi* & *commode aliquem tractandi*. Sed Ipſe ad illuſtrationem affert phraſin אגמי נפש ex Jeſaj. XIX. 10. quam reddit: *ſtagna quæ recreant animam*; cum autem in Commentario ad hunc locum perveniſſet, ſententiam mutavit, & אגמי נפש per *vivaria* expoſuit, ſ. *piſcinas*, in quibus *viventes* piſces aſſervantur. Forte tamen in hoc ipſo loco ſignificatus *odoris* admitti poſſet, totusque verſus ita reddi: *Erunt ſtamina ejus contrita*, *& facientibus retia ſtagna odoris*, vel, ſi mavis, *& ad facientes retia* quod attinet, iis erunt *ſtagna odoris*, aut *foetoris*, nam aquæ olentes non ſunt niſi quæ foetent. Ut ſenſus fit: *Fruſtra & in vanum piſcatores Aegyptii retia contexent & parabunt*; *ea nulli ipſis uſui erunt*, *nam ſtagna foetida piſces non alent*. Sic forte reſpiceretur ad aquas Aegypti foetentes, & mortuos hinc piſces, Exod. VII. 21. Propheta Aegyptiis plagam haud abſimilem ei, quæ ipſos jam olim adflixerat, nunc denuo intentante. Sic ſenſus ſat plenus videtur, & orationis ſcopo appoſitus. Clariſſime autem ex Arabica Dialecto conſtat, & veteribus Hebræis nomen נפיש *halitum*, ſ. *odorem*, ex fragrantibus aromatibus vel unguentis *exhalantem*, deſignaſſe. Exemplum habes in hoc Poetæ:

والله نغمة شمايله كنفس ذفراء
تنفست مـن اظفار الطيب *

Per Deum odor virtutum ejus eſt, ut fragrantia ſuaviſſima,
Exhalans ex unguibus odoratis.

Unde

Unde ſimul diſcimus, ipſum quoque Thema in hac V. Conj. quæ alias eſt, *halitum emittere*, notionem *exhalandi odorem* admiſiſſe. Quemadmodum & in VI. Conj. تنافس valet *attrahere odorem*, eumque *percipere*, ut in Alcor. Sur. LXXXIII. vſ. 25. يسقون من رحيق مختوم ختامه مسك وفي ذلك فليتنافس المتنافسون *potabuntur vino obſignato; materia qua obſignabitur erit muſcus, ex quo ſuavem percipient odorem.* Porro in Hiſtor. Val. وقلت قد فاحت انفاس سخاوتك من طيب نفايسك *Dixi: jam diffuderunt ſe ſuaves odores liberalitatis tuæ ex aromatibus rerum tuarum pretioſarum.* Addatur Hafedh:

نفس كافر اماده كن

Fragrantem odorem camphoræ praeparato.

Eodem modo Hebræi a Themate רוח *ſpiravit, reſpiravit*, unde רוח, quod eodem modo ut נפש, & *ſpiritum, animamve rationalem*, & *ventum* ſeu *flatum* denotat, in *Conj. Hiph.* ubi eſt הריח, deduxere notionem *odorandi, attrahendi odorem*; proprie id ſonaret: *facere ut aliquid exſpiret.* Hinc derivatum nomen ריח *odorem* notat; ut Cant. I. 12. נרדי נתן ריחו *Nardus mea edidit odorem ſuum.* Cui Radici pleniſſime reſpondens Arabum راح vel روح eosdem uſus admittit; ut in Conj. I. *Percepit odore ſuo rem*; in IV. *Odorem de ſe emiſit res, quo percipi potuerit*, in X. *Odorando inveſtigavit*; hinc ريح eſt *odor exhalans ex re*; & ريحان *herba odorata*, ut Alcor. LVI. 88. Alio exemplo eſſe etiam poteſt Arabum Thema נשם نسم, quod iterum *flare, ſpirare*, notat; apud Hebræos nihil inde ſuperſtes eſt quam נשמה Arab. نسمة *Anima*; niſi forte ipſum

Digitized by Google

ipſum Thema extet in אשם, Jeſ. XLII. 14. quod tamen a pleriſque ad שמם refertur. Illa autem *ſpirandi* idea iterum ad *odorem* tranſlata. Dicunt enim in Conj. I. *ſpiravit odor*, in III. *Odoratu exploravit*; in V. *Exhalavit ſuavem odorem*; item *percepit odoratu*; vid. Hiſt. Sal. p. 188. Hinc نسيم *ſuavem odorem* notat, ut apud Abulfar. in H. D. p. 555. Eodem modo ſe res habet de Themate نفح Hebr. נפח, quod proprie eſt: *flavit*, *ſpiravit ventus*; & hinc: *diffudit odorem ſuum*, *fragravit*, aroma; & نفحة *bonus odor*, *fragrantia*. Talia plura produci poſſent, niſi id ſupervacaneum videretur; maxime cum nec Latini eandem figuram & translationem ignorent. Ipſa vox *anima*, a nomine Græco ἄνεμος dicta, non tantum pro *vento*, quemadmodum רוח Hebræorum, uſurpatur, ut apud Lucret. Lib. VI. 129.

—— plena animæ veſicula parva,

Et Horat. Carm. IV. 12, 2.

Impellunt animæ lintea Thraciæ.

Et Virg. Aen. VIII. 403.

Quantum ignes animæque valent. ——

h. e. Venti, ut Servius habet. Sic *anima follis*, apud Plaut. *animæ ſecundæ* pro *ventis propitiis* apud Lucret. &c. &c. Sed & in ſpecie uſurpatur de *halitu oris*, vel *reſpiratione vitali*. Plaut, Aſin. V. 2, 44.

An foetet anima uxori tuæ?

Virg. Georg. II. 134.

V — *ani-*

Digitized by Google

— *animas & olentia Medi*
Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

Hoc ſenſu potuiſſent & *odorem* ea voce deſignare, quemadmodum *Spiritus* id notat, ad Virg. Aen. V. 648. obſervante Servio. Sic Lucret. lib. III. 224.

Spiritus unguenti ſuavis diffugit in auras.

Nam & *ſpirare* Latinis adhibetur pro *emittere odorem.* Virg. Georg. IV. 31.

— *& graviter ſpirantis copia thymbræ.*

Statius Sylv. III. 3, 211.

Semper odoratis ſpirabunt floribus aræ.

Plena phraſi *ſpirare odorem* dixerunt. Virg. Aen. I. 408.

Ambroſiæque comæ divinum vertice odorem
Spiravere.

Lucret. Lib. IV. 123.

— — *quæcunque ſuo de corpore odorem*
Exſpirant acrem.

Addatur & *halare*, ut apud Virg. Georg. IV. 109.

Invitent croceis halantes floribus horti.

Notum eſt, & Græcos eodem uſu & ſuum πνέω triviſſe; ut Hom. Od. Δ. 445.

Ἀμβροσίην ὑπὸ ῥῖνα ἑκάστῳ θῆκε φέρουσα
Ἡδὺ μάλα πνείουσαν· ὄλεσσε δὲ κήτεος ὀδμήν·

Am-

Ambroſiam ad nares unicuique poſuit afferens,
Dulce admodum ſpirantem: repreſſitque ceti odorem.

Sic apud Dioſcor. lib. I. cap. 65. πνέον κρόκȣ eſt *ſpirans odorem croci*, & alibi οἶνος εὔπνȣς eidem eſt *vinum ſuaviter olens*. Et ἀποπνέω apud Homer. Odyſſ. Δ. 406. de Phocis:

Πικρὸν ἀποπνείουσαι ἁλὸς πολυβενθέος ὀδμήν.

Acrem ſpirantes profundi maris odorem.

Sed nolo hæc cumulare. Loca enim ſatis ſunt obvia.

VII. Per ea, quæ hactenus dicta ſunt, clariſſime evictum eſſe exiſtimo, quod per בתי הנפש nihil aliud quam *vaſcula odoris*, vel *rebus odoriferis*, *repleta* intelligi poſſit. *Ujus olfactoriorum apud Hebræos.* Supereſt ut oſtendamus, talia vaſcula a foeminis veterum, maxime Orientalibus, geſtata fuiſſe, & ornamentis annumerata. Hoc autem vel inde probabile eſt, quod ipſis mulieribus Hebræis unguenta, opobalſama, aromata, aliaque id genus ſuavem odorem emittentia, olim admodum fuerint in deliciis. Nam leguntur in S. literis & veſtes, & totum corpus, maxime caput, habuiſſe oleo pretioſo, aliove quocunque unguento, delibuta. Id quod ad ornatum quam maxime pertinere judicabant. Ut Ruth. III. 3. *Unge te & appone veſtimenta tua.* Ezech. XVI. 9. *Unxi te & indui te veſtibus acupictis.* Vid. & Cant. I. 12. IV. 10. Quod autem mulieres ſuavis non tantum ſed & fortioris ac illibati odoris eſſent amantiſſimæ, inde factum, ut vaſcula pararent, quibus opobalſamum vel aromata ſecum geſtare, odoremque naribus commode haurire, poſſent; ſimulque hoc pacto impedirent, ne fragrantia illico exſpiraret. Quamvis autem alibi in Scriptura expreſſe non legatur, foeminas minora talia vaſcula ſecum geſtaſſe, cominus tamen dubitari poteſt, mulieres Hebræas ejusmodi olfactoriolis, florentibus populi rebus, ſuperbiiſſe, quod ea diu

Digitized by Google

poſt ſubverſam Judæorum Rempubl. mulicbri ornatui, qui, quantum pote, ad priſtinos mores conformabatur, accenſeant antiquiora Rabbinorum monumenta. In Miſchnæ Codice Schabbath, Cap. VI. Sect. 3. hæc habentur: *Non exibit mulier cum acu perforata, neque cum annulo, in quo eſt ſigillum, neque cum pepio,* ולא בכובלת ולא בצלוחית של פלייטון *neque cum globulo balſami, neque cum vaſculo myrrhæ.* additurque mox: דברי ר׳מאיר וחכמים פוטרין בכובלת ובצלוחית של פלייטון *Hæc ſunt verba R. Meir. Sapientes tamen concedunt exire cum globulo balſami, & vaſculo myrrhæ.* Ubi Maimonides: כובלת כלי קטן מכסף או זהב ונותנות בו משיחה טובה יתערנו בה הנשים - - - והלכה כחכמים *Vox* כובלת *notat vaſculum exiguum, argenteum ſive aureum, cui foeminæ pretioſum indunt unguentum, quo admodum delectantur. Deciſio eſt ſecundum ſententiam Sapientum.* Nec multo aliter Bartenora: כובלת קשר של בסף או של זהב שקשור בתוכו בושם להעביר ריח רע שבאשה פלייטון מור שקוראין מושקו וחכמים פוטרין דסברי תכשיטין נהו לכתחלה והלכה כחכמים h. e. כובלת *eſt pyxis argentea vel aurea, in qua aroma reconditur; ea utuntur foeminæ, ad abigendum odorem malum, qui in ipſis eſt;* פלייטון *vero myrrham denotat, quam Moſchum appellant. Sapientes permiſere, cum his ornamentis exire, quoniam exiſtimarunt, ea ſimpliciter mulicbri ornatui inſervire. Et revera deciſio eſt juxta ſententiam Sapientum.* Huc etiam pertinet קופת הבשמים *arcula aromatum*, quam ſponſus ſponſæ in dotem dare ſolebat. Memoratur Ketubh. cap. VI. Sect. 4. החתן מקבל עליו עשרה דינרין לקופה *ſponſus in ſe recipit illi dare decem denarios pro arcula aromatum.* Plenam phraſin exhibet Maimonides in h. l.

קופה

Digitized by Google

קופה היא קופה של בשמים רוצה לומר כיה שה׳א צריכה מן הבשמים ודומיהם *Per* קופה *intelligitur arcula aromatum, qua comprehenduntur aromata quæcunque & aliæ res odoriferæ, quibus foemina indiget.* Fere eadem & Bartenora habet. In Gemara Ketubh. fol. 66. col. 2. interrogant מאי קופה *quid eſt* קופא? & reſpondent אמר רבי אשי קופה של בשמים *Dixit R. Aſe, eſſe arculam aromatum.* Paulo poſt addunt: מעשה בבתו של נקדימון בן גורין שפסקו לה חכמים ד׳מאות זהובים לקופה של בשמים לבו ביום אמרה כך תפסקו לבנותיכם וענו אחריה אמן *Filiæ Nicodemi ben Gorionis Sapientes quadringentos nummos aureos pro arcula aromatum in quemvis diem aſſignarunt; & illa dicente: ſic & veſtras filias elocetis, acclamarunt ei: ita eſto.* In Aruch קופה per כובלת *globulum balſami* declaratur. Hoc כובלת, quod jam ex Maim. & Bart. expoſuimus, in Gem. Babyl. Tract. Schabb. fol. 62. c. 1. explicatur per חומרתא דפילון; quid hoc ſit in Gloſſis ſic declaratur: חומרתא דפילון קשר שקושר בו סם ששמו פילון וריחו ערב ובלע״ז בלכמי ואשה שריחה רע טוענת עליה *eſt globulus in quo certum quoddam aromatis genus,* פילון Pilon *dictum, reconditur. Ejus odor ſuaviſſimus eſt, & vernacule* balſamum *appellatur. Illum foeminæ, quæ male olent, ſibi appendere ſolent.* Eadem vox occurrit quoque in Tract. Gittin Babyl. fol. 69. c. 2. ליתי אילווא ואספירכא ומהתכא חומרתא דפילון *afferat aloën, & argentum & lapides pretioſos, & vaſculum* ſ. *globulum balſami.* Ubi in Gloſſa hæc habentur: חומרתא דפילון בו״טון שהנשים תולות בצואריהן של זהב או של כסף ונותן בו שמן שמעור׳ בו מין בושם ששמו פילון h. c. חומרתא דפילון *ſignificat globulum, Gallice bouton dictum,*

ctum, ex auro vel argento, quem fœminæ collo appendunt, eique aromatis quandam ſpeciem, Pilon *dictam*, *includunt*. Ad hoc פילון quod attinet, omnino aſſentior Cl. Buxtorfio, qui in Lex. Rabb. col. 1724. putat eſſe Græcum φύλλον, quatenus Synecdochice ſignificat Malabathri ſeu Malobathri folium. Vide Plinium, hanc in rem a Viro Doctiſſ. citatum, & adde Plutarch. in Tractatu, *an bruta ratione utantur*: Τὰ θυμιάματα, καὶ κιννάμωμα, καὶ νάρδος, καὶ φύλλα, καὶ καλάμους Ἀραβικούς. ubi malabathrum κατ' ἐξοχὴν appellat φύλλα. Sic & intelligendus Ovid. in Triſt.

Oſſaque cum foliis & amomi pulvere conde.

Unde & *foliatum* dicebatur unguentum, ex malabathro maximam partem compoſitum; quod Romanorum matronis in deliciis erat. Martialis:

At mea me libram foliati poſcat amica.

Tale unguentum puto a Rabbinis פלייטון *polaiton*, corrupte ex *foliatum*, appellari, quod in Miſchna ſuperius adducta, item Kelim, cap. ult. Sect. 4. & in Talmude ſæpius, ut Sanhedr. fol. 108. c. 1. Schabb. fol. 62. c. 1. & alibi, occurrit. Porro huc referendum חומרתא דקטיפתא, Schabbath fol. 57. col. 2. quod *vaſculum opobalſami* notat; eſt enim קטיפתא a קטף quod *opobalſamum* ſignificat, vel aliud quoddam affine genus aromatis præſtantioris. Denique & hoc adduci meretur, quod plures ex Hebræorum Magiſtris, quos inter & ipſe Kimchius eſt, vocabulum נטיפות, ut & ſupra Cap. IV. Sect. 4. obſervavimus, de *olfactoriolis* expoſuerint. Quamvis autem hanc ſententiam rejecerimus, hoc tamen inde colligi poteſt, quod olfactoriola ipſis non fuerint ignota.

Et apud Orientales. VIII. Neque apud Arabum & Perſarum mulieres ignotus

tus eſt olfactoriolorum uſus. Poëta Arabs foeminam introducens loquentem:

وما لي مال غير عطاف ومقنع
وجونة حشتها الاعطار *

Non erant mihi opes, niſi tunica & calantica,
Et olfactoriolum, aromatibus plenum.

Cl. Golius ex Meidanio vocabulum جونة exponit per *vas aromatarium, quo aromata reconduntur.* Abou - Iſhaac Zabiæus vocat قارورة اناب *vaſculum aromatum.* Totus verſus hic eſt:

فنولت سيلان الدوران ونولن
قوارير اناب من النضر خالص *

Ego donata ſum pallis amplis Duranæ, & illæ donatæ ſunt
Vaſculo aromatum ex auro puro.

Hafedh:

شكته بندرا حقه بيارايد :

Zonam myrothecium exornat.

Apparet hinc, olfactoriola cingulis appendi ſolere, ne ſcilicet a longis veſtibus tegantur. Qui mos forte & apud Hebræas olim obtinuit. Saltem ſi eum ſupponamus, non obſcure rationem perſpiciemus, cur בתי הנפש a Jeſaja הקשרים, *cingulis*, proxime ſubjuncti fuerint. Porro Perſæ *olfactoriola* quoque بويدان *vaſculum odoris* appellant, eodem plane modo ut Hebræi בית הנפש dixere. Vocabulum apud Hafedh Poëtam occurrit:

اوانر

آواز خوش از دهان وبوي شيرين از بويدان

Dulcis ſermo ex ore, & ſuavis odor ex olfactoriolo.

Denique & apud Occidentales.

IX. Hæc de moribus Orientalium. Videamus nunc & illos Occidentalium. Ad univerſam Græcorum nationem quod attinet, notum eſt, delicatiores & viros & foeminas naribus adeo indulgere olim conſuevisſe, ut, ipſo Homero, Athenæo, aliisque, teſtibus, æque ac veteres Hebræi, non tantum veſtimenta, ſed & totum corpus, maxime caput, pretioſo & exquiſitiſſimo unguento illinere, præcipuo duxerint ornamento. Unde haud mirum, molles potiſſimum foeminas aurea vel argentea ſibi paraſſe vaſcula, quibus opobalſamum, unguentum, vel fragrantia quæcunque aromata, reconderentur, & ornamenti loco ſecum geſtaſſe. Annotabo quædam loca, quæ hactenus ſe mihi obtulerunt. Pollux lib. X. cap. 28. Τὰ δὲ πολλὰ τούτων ἐν ἐσθῆσιν, ἢ ὑποδήμασιν, ἢ κόσμοις γυναικείοις, ὧδε προείρηται, ὥσπερ καὶ ἀλαβαστροθῆκαι. *Plurima in veſtibus, calceamentis, & muliebri mundo expoſita ſunt, ad quem & pertinent alabaſtrothecæ.* Idem Pollux cap. 26. prolixe unguenti vaſcula, eorumque varia nomina, recenſet, quem adi, & quæ Viri Docti ad h. l. annotarunt. Herodot. in Thal. cap. 20. muliebri ornatui ἀλάβαστρον accenſet. Καὶ δῶρα φέροντες, πορφύρεόν τε εἷμα, καὶ χρύσεον στρεπτὸν περιαυχένιον, καὶ ψέλια, καὶ μύρου ἀλάβαστρον, *dona ferentes purpureum amiculum, torquem aureum, armillas, & unguenti vaſculum.* Aurea alabaſtra memorantur apud Theocritum Idyll. XV. vſ. 114.

— Συρίω δὲ μύρω χρύσει' ἀλάβαστρα.

Syrio unguento plena *aurea alabaſtra.*

Notum eſt, ἀλάβαστρον proprie eſſe lapidis quoddam genus candidiſſimum & nitidiſſimum. Hinc & unguenti vaſa dicta

dicta ſunt ἀλάβαστρα, quod ex illo lapide pararentur. Plinius lib. XXXVI. cap. 8. de marmore onychite: *Hunc aliqui lapidem alabaſtriten vocant, quem cavant ad vaſa unguentaria, quoniam optime ſervare incorrupta dicitur.* Suidas: Ἀλάβαστρον, ἄγγος μύρου, λίθινον, ἢ λίθινος μυροθήκη. *Alabaſtrum eſt vas unguenti lapideum, vel lapidea myrotheca.* Et apud alios ſæpe ὁ ἀλαβαστρίτης λίθος. Quamvis ea vox deinceps latiori ſenſu de vaſe unguentario, quacunque ex materia confecto, accepta fuerit. Quod autem ad ejus originem attinet, in ea evolvenda non ſatisfaciunt Critici Græcorum antiquiores. Auctor Etymol. M. a λαμβάνω derivat, ὃ λαβεῖν διὰ λειότητα ἀδύνατον. Huc & Suidas reſpicit, dum ait: μὴ ἔχον λαβάς, *non habens anſam.* Sic pro ἀλάβαστρον potius dicendum ἀλάβαστον. Unde & literam (ρ) omittere amant qui hanc ſequuntur ſententiam. Summus Salmaſius in Exerc. Plin. in Solin. p. m. 394. exiſtimat, ἀλάβαστρον Attice dici pro ἀνάβαστρον, ut proprie idem fere ſit quod φορεῖον, vel φέρετρον, vas, vel inſtrumentum, alicui rei gerendæ, ac ſuſtinendæ, aptum. Mihi liquidiſſima videtur derivatio vocabuli ἀλάβαστρον ex Arabica Lingua, ubi بصرة *baſrat*, & cum Articulo البصرة *albaſrat* vel *albaſraton*, notat أحجارة الرخوة فيها بياض *lapides molliores albicantes*, uti in Camuſo eſt. Apud Omarum Alvard. in ſpecie per رخام *marmor* declaratur. Quamvis non dubium ſit, eſſe lapidis genus a marmore diverſum. Neque negligendum, quod in Camuſo dicatur, eſſe *lapides molliores.* Ideo enim leviori opera poterant excavari ad vaſa inde paranda. Accedit, quod, referente Plinio, Lib. XXXVI. cap. 7. crediderint veteres, *alabaſtritem naſci in Arabiæ montibus, nec usquam alibi.* Non itaque mirum, lapidi, licet dein & alibi reperto, nomen Arabicum adhæſiſſe. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Addatur Theocr. Idyll. XVIII. vſ. 45.

X Περ-

Πρῶται δ' ἀργυρέας ἐξ ὄλπιδος ὑγρὸν ἄλειφαρ
Λαζύμεναι· ——

Primæ ex argentea pyxide liquidum unguentum
Accipientes.

Et Ariſtoph. in Theſmoph. apud Athenæum lib. XV. p. 690.

Ω Ζεῦ πολυτίμητ', οἷον ἔπνευσε
Φάσκωλος ἰυθὺς λυόμενός μοι τοῦ μύρου
Καὶ βακκάριδος·

O Jupiter venerande, ut oboluit,
Soluto confeſtim vaſculo, unguentum,
Et Baccaris.

Olfactoriolorum mentionem Iſidorus fecit Orig. lib. XIX. cap. 31. *Olfactoriola vaſcula ſunt muliebria, in quibus odoramenta geſtantur.* Apud veteres Latinos vaſculum unguentarium *onyx* appellatur. Martialis lib. VII. 94, 1.

Unguentum fuerat, quod onyx modo parva gerebat.

Propert. lib. II. Eleg. 13.

Cui dabitur Syrio munere plenus onyx.

Idem lib. III. Eleg. 10.

Sit menſæ ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino nares myrrheus ungat onyx.

Falluntur, qui hic *gemmam onychem* ad vaſcula unguentaria cavatam intelligunt. Nam ubicunque *onyx* de unguenti vaſe accipitur, non de gemma, ſed lapide alabaſtrite, quo

quo de Plinius lib. XXXVI. cap. 8. intelligi debet. Unde & Dioſcorid. Ἀλαβαςρίτης, ὁ καλέμενος ὄνυξ.

X. Ne de figura olfactoriolorum nihil dicam, paucis obſervo, eam fuiſſe turbinatam, ex pleniore orbe in acumen exeuntem, ut illa juſtam quantitatem opobalſami, vel cujuſcunque unguenti aut aromatis, caperent, atque ad orificium nares odorem commode haurirent. Ita fere Plinius lib. IX. cap. 35. tradit, *alabaſtra fuiſſe faſtigata longitudine, in pleniorem orbem deſinente.* Oculis figura uſurpari poteſt apud Beger. Theſ. Brandenb. Tom. III. p. 395. Nec multo aliter Maimonid. ad Kelim cap. XXX. Sect. 4. ubi in Textu eſt צלוחית קטנה של פלייטון *vaſculum parvum unguenti*, annotavit: צלוחית כלי גבוה השפה ולו צואר צר *Vox* צלוחית *notat vaſculum altioris orificii, & tenuioris colli.*

Figura olfactoriolorum.

De cætero, quamvis olfactoriolorum aliquis poſſit eſſe uſus pro animo reficiendo, & languore odorum fragrantia pellendo; merito tamen a Propheta Jeſaja luxurioſo foeminarum ornatui accenſentur, quoniam pretioſiſſima ex materia confecta, fere ſoli oſtentationi inſerviebant. Recte Clemens Alex. Pædag. lib. II. Ἡ ἐπιτήδευσις τῆς εὐωδίας δέλεαρ ἐστι ῥαθυμίας, πόῤῥωθεν εἰς λίχνον ἐπιθυμίαν ἐπισπωμένης.

CAPVT XI.

Probatur לחשים eſſe *Amuleta*, in ſpecie *Anguiculos*, ad ornatum a foeminis geſtatos.

I.

Antiquæ Verſiones exhibentur.

Miræ ambiguitati & fluctuationi hoc vocabulum לחשים ſubjectum, non niſi unico hoc loco in Scriptura ſuperſtes, niſi forte illud pro numero multitudinis habeas vocis לחש, quæ aliquoties occurrit, ut Jeſ. III. 3. Jerem. VIII. 17. Eccl. X. 11. & *muſſitationem* vel *incantationem* notat, uti & ipſum Thema exponi ſolet per: *Muſſitavit, ſubmiſſa voce loquutus eſt, Incantavit.* Apud Antiquos Interpretes nihil apti deprehendas. Chaldæus חליטתא habet, quod Latinus Interpres minus bene per *olfactoria* exponit; nam *monilia* denotare inde colligitur, quia Hoſ. II. 15. Hebræo חליה reſpondet. Alexandrini τὰ περιδέξια vertiſſe videntur. Arabs: خواتمهن *annulos*, ſed id potius ad ſequens טבעות referendum. Syrus: ܐܥܠܝܢܝܣܐ *monilia*, forte Chaldæum ſequutus. Quibus expoſitionibus expendendis fruſtra aliquam operam impenderemus, tūm quod non ſatis certo conſtet, quænam Verſionum vocabula Hebraicis reſpondeant, tum quod omnes ab uſu & indole Thematis Hebræi adeo procul recedant, ut nemo ſit qui ſtatuat iis aliquid veri certive ſubeſſe.

II. He-

II. Hebræorum Magiſtri tantum non omnes per noſtrum לחשים *inaures* intelligi volunt, quos & Hieronymus ſequutus. Ajunt illi: *Radicem* לחש *in Sacris eſſe idem ac* muſſitare, *vel* incantare. Concedo. Sed adducunt: *Quia incantationes* auribus *percipiantur*, לחשים inaures *appellari*. Eſt hæc originatio admodum arceſſita & coacta. En tibi quorundam verba. Kimchi in Libro Radic. לחשים הם חלי האזן ונקראת כן שהאזן היא בעלת הלחש *Vox* לחשים *denotat* ornamenta aurium, *nomen inde ſortita*, *quod* auris *percipiat* incantationem. Idem in Commentar. in Jeſaj. ad h. l. הוא עדי שתולין אותו הנשים באזניהם נקראו כן לפי שהאזנים בעלות הלחש *Eſt ornamentum, quod mulieres auribus ſuis appendunt, ita dictum, quod aures admittant & percipiant incantationem.* Eadem habet R. Salomo ben Melech in Michlol Jophi ad h. l. Raſchi: הלחשים נזמי האזן מקום שלוחשין לה שם *ſignificat vox* לחשים inaures, *nam* auris *locus eſt*, *ad quem fit* incantatio. Abarbanel: הם נזמי האזן שהוא מקום השמעת הדבור בלחש *Intelliguntur* inaures, *quoniam* auris *eſt organum, quo audiuntur quæ proferunt incantatione.* Hinc & in Verſione Judæo-German. לחשים vertitur: דיא אור רינגין *die obr-ringen*, inaures.

Rabbinorum ſententia.

Rabbinorum ſententiam ex Noſtratibus quam plurimi adoptarunt. Ut Lutherus, qui habet: *die obren-ſpangen*, inaures. Nec aliter Munſterus, Verſio Tigurina, Genevenſis, Belgica, Pagninus, Montanus, aliique non pauci. Grotius quoque per *inaures* exponit, exiſtimans, ideo ab *incantando* dictas לחשים, quod inaures fictitio alicui numini dicarent. Quod plenius explicat ad Geneſ. XXXV. 4. Auguſtinum adducens, inter ſuperſtitioſa

inaures numerantem, & *execrantem ligaturarum ſuperſtitionem, in quibus etiam inaures virorum in ſummis ex una parte auriculis ſuſpenſæ deputentur, & non ad placendum hominibus, ſed ad ſerviendum dæmonibus, adhibeantur.* Sed præ aliis commemorandus Celeb. Vitringa, qui etiam Rabbinorum ſententiam ſuo calculo comprobavit. Cujus rei, præter Kimchii & Jarchii auctoritatem, duas affert rationes, (α) inaures (ἐνώτια) *hic vere indicari voce* לחשים, *quod nimirum illa ornamenta vel inſtrumenta, quæ incantationibus opponebantur, admoverent ad* aures, *ne* muſſitationis *vis per eas ad mentem perveniret.* (β) *probabile non eſſe, inaures, quæ alias in Mundo muliebri primum fere locum occupent, hic negligi. Nec tamen earum fieri mentionem, ſi ſub hoc nomine non intelligantur.* Nempe Vir Clariſſ. vocabulum נטיפות, per quod intelligendas eſſe *inaures* ſupra ex Lingua Arabica docuimus, per *monilia* expoſuerat. Unde, ne inaures ex tota pericopa exularent, eo lubentius nunc Rabbinorum expoſitionem vocis לחשים per *inaures* amplexus fuit. Sed paulo fortius videtur prius argumentum, dictas nempe inaures לחשים, quod *impedirent vim muſſitationis, quominus ea ad mentem perveniret.* Quodſi autem attentius id conſideres, apparebit, quod eorum potius ſententiam, a Viro Doctiſſ. quoque laudatam, confirmet, qui per לחשים *amuleta* intelligunt. Hæc enim proprie ſunt illa *ornamenta vel inſtrumenta*, quæ *incantationibus* opponi ſolent, earumque vires frangere & amoliri creduntur. Hæc autem ut ad ſolas *inaures* reſtringamus nulla nos ratio jubet; quin potius antiquorum conſuetudo vetat. Saltem hæc ratio non videtur ſufficere, quod *muſſitatio* vel *incantatio* magica *auribus* percipiatur, & hinc inſtrumentum, quod eam amoliatur, auribus ſit applicandum. Nuſpiam enim Thema לחש per ſe, & abſolute poſitum, *perceptionem incantationis per aures*, nedum *ejus*

amo-

amotionem, vel in Lingua Hebraica, vel in Dialectis, deſignat. Sunt itaque hæ ideæ, ex quibus unice deducitur *inaurium* notio, omnino pro peregrinis, & ad indolem Radicis non pertinentibus, agnoſcendæ.

Eandem fere viam ante Cl. Vitringam ingreſſus fuerat Doctiſſ. Forſterus in Dictionar. Hebr. ubi לחשים per *inaures* reddit, ſive *ornamenta aurium*, *quibus ſignificare voluerint*, *Oratoriam* (hoc enim ipſi notat לחש in Sing.) *ad aures permulcendas accommodandam eſſe*, *vel quod foeminæ illis contra imprecationum ac incantamentorum præſtigia aures non modo ornarint*, *ſed etiam præmunierint.* Iisdem pene verbis uſus Forerius in Annot. ad Jeſ. *Singulare bujus nominis*, *ſcilicet* לחש incantationem *ſeu* oratoriam *ſignificat*; *at hic in plurali* aurium ornamenta *notat*, *quo ſignificare voluerunt oratoriam ad aures permulcendas accommodatam eſſe*; *vel quod mulieres illis contra imprecationum ac incantationum præſtigia aures præmunierint*, *deinde etiam ornarint.* Aperte hæc ex Forſtero hauſit, & quidem, ut & Malvenda obſervavit, ejus nomine diſſimulato.

III. Peculiaris de vocabulo hoc לחשים ſententia Cl. Guſſetio ſedit, quam in Comment. Ling. Hebr. ad Rad. לחש ita proponit: Inaures *exponunt alii*, *ſed* ſuſurrum *proprie ſignificat. Poteſt itaque attingere ſuſurros amaſiorum & puellarum*, *& eos tandem cum ornamentis*, *ipſos ſæpe conciliantibus*, *deſituros minari.* Quantum intelligo, de clandeſtinis confabulationibus puellarum cum amaſiis noſtrum לחשים interpretatur. Sed num eæ ad muliebrem pertinent ornatum? Vidit ipſe Vir Doctus, adjecitque: *Vel ſi debet eſſe res quaedam ad ornatum effoeminatum conferens*, *potuit eſſe aliquid buccæ immitti ſolitum*, *ad reddendum pronuntiationem molliorem*, *blæſam*. *& quaſi infantilem.* Luculentum in his habes ſpecimen, quam liberis ſæpe conjecturis indulſerit Vir Clariſſ. & de literatura Hebræa præclare quidem

Cl. Guſſetii ſententia.

dem meritus, ſed ob repudiatam omnem Dialectorum opem in alieniſſima perſæpe delatus. Hic tenendum, quod neque Thematis uſus, ut mox apparebit, illam explicationem ſuadeat, minus requirat, neque ei faveat ullius gentis conſuetudo. Unde & ipſum Guſſetium ab *inaurium* notione amplectenda non adeo fuiſſe alienum, hæc ejus verba arguunt: *Denique ſi ſint inaures, oportebat eas non ſolidas eſſe, ſed conſtare diverſis partibus tenuibus, connexis parvis catenis & annulis exiguis, additis etiam unionibus, ac gemmis pendulis, quæ motu inceſſus quaſſata, ſuſurrum quendam auribus ingererent.* Hunc *ſuſurrum* omni modo & niſu ſtabilire conatur; quem quamvis hic retinendum & admittendum largiremur, ſexcentis tamen modis & formis ornamenta muliebria potuiſſent fabricari, *ſuſurrum* aliquem excitantia: Ut nullo pacto probabile ſit, inde certam quandam ornamenti ſpeciem nomen eſſe ſortitam.

Quinam per amuleta expoſuerint.

IV. Tandem, præeunte Aben-Eſra, Rabbinorum Doctiſſimo, hic habente: הלחשים כתבים כתובים בזהב ובכסף על דרך לחישה h. e. הלחשים *notat ſcripturam auro argentove, more incantantium, inſculptam*, de *amuletis* primi cogitarunt, quantum mihi conſtat, Junius & Tremellius, hæc annotantes: *Hebræa vox ab incantando & excantando dicitur; quod cum ea criminatione convenit, qua Propheta uſus eſt ſupra* II. 6. *quamobrem* amuleta *viſum eſt reddere.* Quos ſequutus Piſcator, quoque per *amuleta* exponit. *Hebr. incantationes*, inquit. *Metonymia ſubjecti. nam ad incantationes avertendas adhibentur amuleta.* Eadem expoſitio & Magno Coccejo arriſit. An vero huc & Schmidius referendus ſit, qui habet *incantationes*, addubito. Incertum, quo is reſpexerit.

Quorum quidem ſententia non improbatur.

V. Hæc ſententia aliquo argumento ſe poteſt commendare. Notum eſt, Hebræorum Thema לחש de *magicis incantationibus* & *muſſitationibus* frequentari. Notionis

ori-

originem deinceps tangemus. Sufficit nunc, quod inde prono alveo fluere potuerit ſignificatus *amuleti*, tum quod illi ipſi, qui magicis artibus & præſtigiis operam dant, talia amuleta, & ſuperſtitioſa ornamenta, fabricent & commendent, tum quod & alii ea ceu remedia adhibeant pro *faſcinis* amoliendis. Pari ratione Arabum Thema رقى non tantum notat: *Incantavit*, *faſcinavit*, ſed & inde adnata notio, *amuleto magico contra præſtigias ſeſe muniendi*; & ab eo derivatum nomen رقية eſt & *incantatio*, & *amuletum*. Conſimiliter apud Latinos *faſcinum* & pro *faſcinatione*, ſeu magicis præſtigiis, & pro *remedio*, ad illius vim & læſiones *amoliendas*, i. e. *amuleto*, frequentatur.

Horumque amuletorum frequentiſſima fit mentio in antiquis Orientalium ſcriptis. Vid. Miſchn. Tract. Schabbath cap. 6. Sect. 2. & 10. Kelim cap. 23. Sect. 1. Kiddufch. fol. 22, 2. 73, 2. &c. Arabum quædam teſtimonia mox producentur.

Forſan autem cum Cl. Guſſetio aliquis interrogaret: *Quid amuleta ad puellarum ornatum? Magica enim ſane vis non eſt conſpicua, ut ornet; nec ſi conſpiceretur, ornaret.* Sed ornare foeminas omnino *amuleta* in Oriente putantur. In Codice Schabbath l. c. amuleta ornamentis annumerantur, & hinc prohibetur, cum iis in publicum prodire. Ubi Bartenora: קמיע תכשיט הוא כאחר ממלבושים *amuletum æque eſt ornamentum ac alia quæcunque veſtis.* Addatur Poëta Arabs, amuletum non aliter ac ornamentum deſcribens:

لو لا عنست زبيدة قد لمحت نشرتها
عاطفة نائرة وملحاء *

Niſi rugas Zobeidæ frons contraxiſſet, amuletum ejus ſatis rutilaret,

 Ju-

Juvenes devinciens, gratiam diſpergens, & eleganter confectum.

Pertinet huc & ille Verſiculus:

لستن انا ما تتذكر الغضايل
ممن يضع المدح بالحمايل *

Non ſum, quando virtutes commemorantur,
Ex iis, qui ponunt ornatum in amuletis.

Neque mirum eſt, amuleta pro ornamentis haberi. Nam non tantum aureæ vel argenteæ laminæ aut bracteæ, quarum formam Teblebius deſcribit, allatus a Celeb. Schultens ad Harir. Conſ. V. p. 69. ſed & pretioſiſſimæ gemmæ, pro amuletis ſumebantur. Plinius lib. 37. cap. 9. *Totus Oriens pro Amuletis traditur geſtare eam jaſpidem, quæ ex iis ſmaragdo ſimilis eſt.* —— *Libet obiter vanitatem magicam hic quoque coarguere, quoniam hanc concionantibus utilem eſſe prodiderunt.* Et de amethyſto: *Magorum vanitas*, inquit, *reſiſtere ebrietati eas promittit, & inde appellatas. Præterea ſi lunæ nomen ac ſolis ſcribatur in iis, atque ita ſuſpendantur e collo capillis cynocephali vel plumis hirundinis, reſiſtere veneficiis.* Abou-Iſhaac *ſapphirum* gemmam *amuleti* loco poſuit:

اينغر اليانوت الباساه

Num fugabit ſapphirus calamitates?

Quemadmodum Fariani *Smaragdum*:

تا كه پندارند زبرجد ابلكان
كه نرود زنده تن را جان *

Donec

Donec de ſmaragdo vecordes credant,
Ejus virtute animam ex vivo corpore non exituram.

VI. Apparet hinc, notionem *amuletorum* ex proprietate Thematis לחש ſatis commode & liquido emanare potuiſſe. Unicum hoc deeſt, quod non expreſſa vel Linguæ Hebrææ vel Dialectorum auctoritate confirmetur. Quare & quæ de amuletorum antiquitate, forma, & uſu, diſſeri hic poſſent, ſepono, & ſatius exiſtimo, aliam communicare obſervationem, ex profundiori Arabicæ Linguæ ſinu depromptam, quam etiam atque etiam Viri Docti expendant velim. Nempe Arabibus Thema לחש لحس ſignificat *lingere*, videturque verbum eſſe ονοματοπεποιημενον. Gjeuhar. اللحس باللسان يقال לחש لحس القصعة *eſt* lambere; *ut* לחש הקציעה *lambere ſcutellam.* Abulfar. in H. D. p. 198. مثل لحس الكلاب *ſicut lambunt canes.* Zamachſchar. in Lex. exhibet Proverb. اسرع من لحس الكلب انفه *celerius quam canis lambit naſum ſuum.* Annal. Bagd. وكان يقعرها ويلحسها *eam paropſidem evacuatam lingebat.* Frequens etiam hujus Thematis uſus eſt in Verſione Bibliorum Arabica, ut 1 Reg. XVIII. 38. حتى لحست الماء الذي في الحفرة *donec lambuit aquam, quæ erat in foſſa.* Pſalm. LXXI. 8. وجميع اعدايه يلحسون التراب *omnes hoſtes ejus lingent pulverem.* Jeſ. XLIX. 23. يلحسون تراب قدميك *lingent pulverem pedum tuorum.* Numer. XXII. 4. سيلحس هذا الجوق كل ما حوالينا كلحس الثور خضر الصحرا *Lambet hic populus quicquid eſt circa nos, quemadmodum bos* lam-

Sed tamen ſpecialius quid offertur, nempe לחשים *eſſe* Anguiculos.

lambit viredinem campi. Similis fere phraſis a Gjeuhar annotatur: وقولهم تركت فلانا بملاحس البقر اي بالمكان القفر *Ajunt, reliqui eum in loco ubi lambit bos, i. e. in loco deſerto.* Ob ſimilitudinem quoque de *tineis* uſurpatur hoc thema lanam *rodentibus.* Plenam phraſin reperio in Hiſt. Val. ولحست عثث رصايغه عهنة كرامته *amuli ejus, tinearum inſtar, purpuream lanam generoſi animi ejus rodebant.* Teritur etiam idem Verbum de *locuſtis* herbam *abſumentibus.* Poëta Arabs apud Omarum Alvard.

بها الخندع والحرجلة تمشين خلفه
والجراد يلحس في كل خضر *

Apparuit bruchus, & achetarum agmen ſequutum;
Atque locuſta omne olus abſumit.

Hic autem *lingendi* ſignificatus imprimis ſub Arabum hoc Themate لحس de *ſerpentibus* frequentatur, *lingentium* inſtar *linguam* quam celerrime *moventibus* & *exerentibus.* Namque, ut Iſidorus Orig. lib. XII. cap 4. de ſerpente ait, *nullum animal tanta celeritate linguam movet.* Demus quædam exempla. Poëta vetus apud Alvard.

لحستني بالافغار حيات خرجن
قبيل من عند الشقوب *

Linxerunt me in campis ſerpentes, egreſſi
Paulo ante ex fiſſuris petrarum.

Hiſtor. Val. in prælii deſcriptione: وتصاروا الاسود وتلاحسوا الابوم *leonum inſtar dentibus contra ſe invicem frendebant, & tanquam ſerpentes ſe mutuo lingebant.* Eo-

Eodem modo Thema لمظ eſt *lambere*, & obſervante Gjeuhario, يقال تلمظت الحية اذا اخرجت لسانها, *in* V. *Conj.* تلمظ *notat*, *Exeruit ſerpens linguam ſuam.* Conſimiliter & Latini ſuum *lambere* de *ſerpentibus* linguam exerentibus, eaque micantibus, frequentant. Omnium inſtar ſit Poëta Aen. II. 210.

> *Ardentesque oculos ſuffecti ſanguine & igne,*
> *Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.*

Addatur Silius, VI. 222.

> — — *trifido vibrata per auras*
> *Lingua micat motu, atque adſultans æthera lambit.*

& mox vſ. 263.

> — — *jam jamque extrema triſulca*
> *Lambebat lingua.* — —

Adjiciamus & Græca nonnulla. Heſiod. in Scut. Herc. vſ. 233.

> — — ἐπὶ δὲ ζώνῃσι δράκοντε
> Δοιὼ ἀπῃωρεῦντ', ἐπικυρτώοντε κάρηνα,
> Λίχμαζον δ' ἄρα τώγε, μένει δ' ἐχάρασσον ὀδόντας.

> — — *in zonis autem dracones*
> *Duo dependebant, capita attollentes;*
> *Lambebant autem illi, iraque acuebant dentes.*

Quem imitatus videtur Cointus Calaber Paral. VI. 200. de eodem Herculis ſcuto:

> Ἐν μὲν ἔσαν βλοσυρῇσι γενειάσι λιχμώωντες
> Δοιὼ, κινυμένοισιν ἐοικότες εἶμα δρακόντων.

Ibi

Ibi erant noxiis lambentes maxillis
Duo dracones, ferocia ſimiles illis qui vivi moventur.

Notabis & hæc Aeliani de manſuetis aſpidibus: τὴν μὲν λοιπὴν σπεῖραν ἐῶσι κατὰ τοῦ δαπέδου, ἀείρασαι δὲ τὴν κεφαλὴν περιειλιγμῶνται. *Reliquam ſpiram humi relinquunt, capite autem ſublato circumlingunt.* Sed redeamus ad noſtrum Thema لحس, & ulterius obſervemus, ex illa *lambendi* ſignificatione, de *ſerpentibus* in ſpecie enuntiata, pro genio & conſuetudine Orientalium Linguarum, ſponte emanaſſe Nomen لاحس, & in Foemin. لاحسة, abſolute & ſubſtantive de ipſo *ſerpente* acceptum, quaſi *Lambentem* dicas, eodem prorſus modo, ut Latini Anguem a *ſerpendo* forma participiali *ſerpentem* appellavere. Pluralis لواحس occurrit eo ſenſu in hoc Poëtæ:

ويبتسم ثغري لممزوج المنايا
انا ودت السيوف الشواكس *
وان ضربت جوقي بسموم السلاط
كما بثت الارون اللواجس *

Subridet os meum, quum mortes miſcentur,
Atrocibus viris gladios optantibus;
Quumque agmen meum hoſtes aggreditur venenato verutorum nimbo,
Eodem modo, ut venena ſpargunt lambentes angues.

Apparet nomen لاحس tanquam ſubſtantivum ſumi. Unde non dubitandum & veteribus Hebræis לָחֵשׁ, (hæc enim Forma Arabicæ illi quam ſæpiſſime reſpondere ſolet) & in Plurali לְחָשִׁים, *Serpentem*, proprie *Lambentem*, ſignificaſſe,

ficaſſe, eodem prorſus modo, ut נָחָשׁ, & Pluraliter נְחָשִׁים, quoque *ſerpentem*, ſed proprie *pungentem*, & שָׂרָף, unde iterum שְׂרָפִים, ad verbum *ardentem*, vel *urentem*, notant. Hinc itaque noſtrum לחשים *ſerpentes*, hoc in loco deſignabit *ſerpentum* imagunculas, a foeminis & amuleti, & ornamenti, loco geſtatas.

VII. Quæ ſententia ut novo robore firmetur, facilioremque aſſenſum impetret, obſervari velim, antiquiſſimis ſeculis *ſerpentum* ſimulachra, tam ornatus, quam ſcævi ominis, ut putabant, averruncandi, gratia, Orientales ſibi appendiſſe. De Arabiæ antiquis gentibus, quæ eam diu ante Mohammedem tenuerunt, id refert graviſſimus Scriptor Joſephus Carabukides Saivaſienſis in Hiſtoria Arabum tempore Paganiſmi, Cap. XVI. وايضا كانت نساوهم تعلقن صورة الحية من نهب بين الثديين مكان التميمة وحرم رسول الله صلعم تعليقها لان الحية صورة الشيطان *Arabum Paganorum foeminæ aureas ſerpentum imagines, amuletorum loco, inter ubera dependebant, ſed Mohammed earum uſum interdixit, ideo quod ſerpens Satanæ referat imaginem.* *Quales portaſſe veteres oſtenditur.*

Ejusmodi anguiculos Agamemnonem in collo portaſſe Homerus memorat Iliad. Λ. vſ. 26.

> Κυάνεοι δὲ δράκοντες ὀρωρέχατο προτὶ δειρὴν
> Τρεῖς, ἑκάτερθ᾽ ἴρισσιν ἐοικότες. — —
>
> *Cærulei dracones ſurgebant ad collum*
> *Tres, ab utraque parte iridibus ſimiles.*

Sed Nicoſtratus Comicus apud Clementem Alexandr. Pædag. Lib. II. ὄφεις *anguiculos* mundo muliebri accenſet:

Ἀλύ-

Ἀλύσεις, καθετῆρας, δακτυλίους,
Ἐκβάλια, ὄφεις. — —

Catenas, monilia, annulos,
Armillas, ſerpentes.

Digna quæ addantur & Alexandrini verba, non ſine bile hoc foeminarum ornamentum reprehendentis, ex quibus probabile eſt, ipſa ejus ætate morem foeminarum anguiculos geſtandi nondum exoleviſſe: Ὡς τὴν Εὔαν ὁ ὄφις ἠπάτησεν, οὕτω δὲ καὶ τὰς ἄλλας γυναῖκας ὁ κόσμος ὁ χρυσοῦς, δελέατι προσχρώμενος, τῷ ὄφεως τῷ σχήματι, ἐξέμηνεν εἰς ὕβρεις· σμυραίνας τινὰς, καὶ ὄφεις ἀποπλαττομένας εἰς εὐπρέπειαν. *Quemadmodum Evam ſerpens decepit, ita quoque alias mulieres aureus mundus, eſca utens, ſerpentis figura, in probra furioſe impellit, quæ murenulas quaſdam aureas, & ſerpentes ad ornatum effingunt.* Denique non omittendus torques ille aureus, quem figura dracunculi ex marmore exſculpta exornatum deſcribit Laur. Pignorius Symb. epiſt. XXXVII. Huc & referri poteſt, quod ſerpentis figura Gentiles plurium deorum imagines exornarint. Uti Horapollo lib. I. Hierogl. c. 1. ſcribit, Aegyptios baſiliſcum ſerpentem appellare οὐραῖον, eumque χρυσοῦν ποιοῦντες θεοῖς περιτιθέναι *aureum facientes diis apponere.* Quod & ex antiquis marmoribus & nummis complures obſervarunt. Unde eo minus horruerunt ſerpentum figuras ſuiſmet appendere corporibus. Quod & inde colligi poteſt, quod eo dementiæ proceſſerint ut ſerpentes adorarent. Cujus nefandæ idololatriæ clariſſimum æque ac antiquiſſimum teſtimonium proſtat 2 Reg. XVIII. 4. ubi narratur, Hiskiam Regem deſtruxiſſe ſerpentem æneum, olim a Moſe confectum, ideo quod eo foede abuterentur Iſraëlitæ, ei thymiamata, ceu cuidam numini, offerentes, & honorem divinum exhibentes. Etiam Babylonios ſerpentem coluiſſe ex hiſtoria Belis & Draconis conſtat. Et Apoſtolus per *reptilia*, quæ ait

ait eſſe culta a Gentilibus, Rom. I. 23. potiſſimum intelligit ſerpentes. Apud Aegyptios eandem viguiſſe ſuperſtitionem, Herodotus & Aelianus, aliique plures, teſtantur. Apud Perſas ſerpentes Soli erant conſecrati, & in Mithræ ſacris præcipuam faciebant religionem; unde in omnibus conſpiciuntur gemmis & marmoribus, quibus illa repræſentantur. Vid. præ aliis Cl. Hyde de Rel. Vet. Perſ. p. 113. ſ. Phoenices quoque ſerpentium naturæ quandam tribuiſſe divinitatem, ex antiquis monumentis refert Euſebius de Præparat. Evang. lib. I. c. 10. Et apud Philonem ὀφιωνεὺς θεὸς, *ſerpentinus Deus*, ab iisdem Phoenicibus cultus, memoratur. Omitto alia teſtimonia, quæ pleno modio accumulare in proclivi foret. Hæc autem ideo attuli, ne quis miretur, quod veteres ſerpentium imagines geſtarint. Solemne enim iis fuit, corporibus ſuis deorum ſuorum imagines vel ſimulachra applicare, ut jam ſupra obſervatum, ubi de שביסים. Illos autem anguiculos tum in honorem falſi ſui numinis, tum ornatus gratia, (quem in finem ex auro, vel forte & ex quavis alia pretioſiori materia, conficiebantur) denique &, uti expreſſe Carabukides ſupra adductus obſervat, amuletorum loco, veteres Idololatræ & ſuperſtitioſi homines, maxime autem, ut ex eodem conſtat Auctore, foeminæ, geſtarunt. Gentem vero Hebræam Jeſajæ noſtri ætate idolorum cultui foedum in modum addictam fuiſſe, ex non uno loco ejus Vaticinii ſatis ſuperque conſtat. Vide præcipue Cap. II. 8. XL. 18. ſ. XLVI. 1. 6. 7. LVII. 5. LXV. 3. &c. &c. Et quam proclivis ad adoptanda peregrina ſacra & ritus antiquioribus ſeculis populus Judaicus fuerit, omnes loquuntur hiſtoriæ, & omnes fere Prophetæ conqueruntur. Quemadmodum vero poſt tempora Babylonici exilii imagines, maxime idola, deteſtati ſunt Judæi, ita & ſerpentum ſimulachra, ethnicæ ſuperſtitioni ortum debentia, deinceps geſtaſſe non leguntur.

Obſervatio de themate לחש.

VIII. Nihil nunc ſupereſt, quam ut moneam, ne quis putet, illam *lingendi* notionem Thematis Arabici, ex qua ſignificationem vocis noſtræ לחשים deduximus, ab uſu, quem Hebræorum לחש in Scriptura obtinet, alienam eſſe, & cum eo nihil habere commune. Veteres enim Hebræi, florente Lingua, illam ignorare non potuerunt, maxime quia Verbum, ut jam diximus, eſt ὀνοματοπεποιημένον, & ideo *lingendi* ille ſignificatus pro primaria origine & propria Radicis indole, reliqui autem uſus *muſſitandi*, *incantandi*, &c. omnino pro ſecundariis, agnoſcendi. Unde igitur ortum hi duxerunt? Non aliunde quam ex illa notione quam Arabes conſervarunt. Nempe *lingere* vel *lambere* dicebantur *muſſitantes*, quorum ex ſermone nullus fere ſonus, ſed *continuus* & *celerior linguæ motus* percipiebatur. Hinc ſuborta & *incantandi* notio, cum ſuperſtitioſi præſtigiatores in magicis ſuis incantationibus *ſubmiſſa* admodum *voce* uterentur. Videtur etiam Thema apud Hebræos uſurpatum fuiſſe pro *leni*, *ſubmiſſo* & *blando ſermone* aliquem *permulcere*; unde derivatum Nomen לחש pro *facundia linguæ* & *ſuavi alloquio* poſitum Jeſaj. III. 3.

C A-

Digitized by Google

CAPVT XII.

Probatur טבעות eſſe *Annulos.*

I.

Vox טבעת *Annulum notat.*

Parum in hoc vocabulo eſt difficultatis, in Scriptura admodum frequenti. *Annulos* id ſignificare apud omnes in confeſſo eſt. Nec puto aliquem eſſe, qui liquidiſſimam hanc notionem in dubium revocet. Unde & LXX. δακτυλίους hic habent, uti alibi fere conſtanter. Sic & Chaldæus עזקתא *annulos.* Nec aliter Hebræorum Magiſtri.

De ejus origine.

II. Circa originem tamen vocis non nihil variatur. Superſtes equidem eſt in Lingua Biblica Radix טבע, & ſignificat *infixus*, *immerſus fuit*, *ſubſidit.* Hinc aliqui volunt טבעת *annulum* nomen eſſe ſortitum ab *indendo* vel *infigendo*, quod *digitus*, vel aliud quidpiam, ei *indatur* & *infigatur.* Alii appellationis cauſam inde arceſſunt, quod *gemmæ* annulorum palis *infigantur.* Quæ tamen non ſatisfaciunt, neque cum Thematis indole ſatis convenire videntur. Ejus enim nativa proprietas ſita eſt in *impreſſione in materiam mollem.* Quam & Kimchius attigiſſe videtur, qui in Libro Rad. ait: ענין הכל צלילה ושקיעה *formalis totius thematis poteſtas eſt in depreſſione & immerſione.* Ut Jerem. XXXVIII. 6. ויטבע *& immerſus eſt Jeremias in lutum.* Exod. XV. 4. טבעו *immerſi ſunt in mare algoſum.* 1 Sam. XVII. 49. ותטבע האבן במצחו *& infixus, vel immerſus, fuit lapis in frontem ejus.* Conſpirant hic Arabes, quorum طبع eandem primariam poteſtatem conſervavit. Unde, ut fieri ſolet, aliæ emanarunt ſecunda-

dariæ notiones, v. g. *cudendi* ferrum, nempe quum vi ignis *emollitum eſt*, item *fingendi ex luto* hydriam; & in VII. Conj. انطبع ſignificat: *manſuetus & obſequens fuit*, ſimilitudine a molli materia, cui quid imprimi poſſit, deſumta. Omitto reliqua. Ex illo autem fonte notio profluxit *obſignandi*, *muniendi impreſſo ſigillo*, a pangendo ſigillo in molli cera, Arabibus hinc طبعان, Græce *σφραγὶς*, appellata. Inde, Forma Participii, طابع deſcendit, proprie *obſignans*, &, quoniam veteres *ſigillum* in *annulo* gerere ſolebant, *annulus ſignatorius*. Vid. 1 Reg. XXI. 8. Eſth. III. 12. VIII. 8. 10. Dan. VI. 18. Eodem modo a Themate חתם *obſignavit*, derivatum eſt חותם *annulus ſignatorius* Gen. XXXVIII. 18. 25. Job. XXXVIII. 14. Latiori tamen uſu & טבעת & חותם non tantum annulos ſignatorios, ſed & ſigillo carentes, ſignificant, imo quicquid fere figura præditum circulari. Ita Exod. XXV. XXVIII. XXXIX: illud de annulis uſurpatur arcæ foederis, menſaeque ſacræ, quibus immittebantur vectes, ut poſſent portari, uti & de annulis Ephodi & Pectoralis, quibus funiculi vel catenulæ immittebantur, ut corpori adſtringerentur.

Annuli ad ornatum geſtati.

III. Quando autem hic ab Eſaja טבעות inter muliebria ornamenta recenſentur, dubitari nequit, annulos intelligi, a foeminis ad ornatum in digitis geſtatos. Sic jam Exod. XXXV. 22. טבעת inter mulierum ornamenta numeratur. Et annulus a Pharaone Joſepho, Gen. XLI. 42. & ab Ahaſvero Hamani, Eſth. III. 10. dein Mordechæo, VIII. 1. traditus, non tantum dignitatis erat inſigne, ſed & ſimul ad ornatum portabatur. In Tractatu Miſchnico Sota Cap. I. Sect. 6. טבעות quoque mulierum ornamentis accenſentur. Vid. & Tract. Kelim cap. XII. Sect. I. Idem mos & aliis gentibus fuit. Nicoſtratus Comicus:

'Αλύ-

Digitized by Google

Ἀλύσεις, καθετῆρας, δακτυλίους.

Catenas, monilia, annulos.

Alia quædam mox afferentur.

IV. Horum vero annulorum, qui ad ornatum geſtati, duo genera veteribus commemorantur, nempe vel cum, vel ſine, ſigillo. Hinc Pollux lib. VII. cap. 2.. a δακτυλίοις diſtinguit σφραγίδας & σφραγίδια, quæ lib. V. cap. 16. ἐπισήμους δακτυλίους appellat. Conſimiliter Tract. Kelim cap. XI. Sect. 8. Doctores Miſchnici ajunt: טבעת בין שיש לה חותם בין שאין לה חותם *Dantur annuli in quibus eſt ſigillum, & in quibus non eſt ſigillum.* Et Tract. Schabbath Cap. VI. Sect. 1. *Non exibit mulier* בטבעת שאין עליה חותם *cum annulo, in quo non eſt ſigillum*; & mox Sect. 3. ולא בטבעת שיש עליה חותם *neque cum annulo in quo eſt ſigillum.* Eandem diſtinctionem & Kimchi habet in Libro Rad. ad Thema טבע Qui vero ſigillo inſignes erant annuli, id vel ex eadem habebant materia, ex qua ipſi annuli conſtabant, quæ aurea eſſe ſolebat, ut apud Euripidem in Hippol. IV. 87.

Duplex annulorum genus.

Καὶ μὴν τύποι γε σφενδόνης χρυσηλάτου·

Vid. & Clementem in Conſtit. Apoſtol. lib. I. cap. 3. ubi eadem phraſis occurrit. Nec non Codicem Kelim Cap. XIII. Sect. 6. Sic Plinius in Hiſt. Nat. lib. XXXIII. c. 6. *Multi nullas admittunt gemmas, auroque ipſo ſignant.* Vel etiam annuli pretioſis ſimul gemmis conſpicui erant, quibus figuræ, non caelo prominentes, ut aliqui putarunt, ſed depreſſæ, & excavatæ, ſcalpro incidebantur, ut ceræ impreſſae protuberarent. Quod clare ſatis ex Exod. XXVIII. 11. tralucet, ubi Deus binis lapidibus onychinis, utrique humero Pontificis M. imponendis, nomina duodecim filiorum Iſraelis his verbis inſculpi jubet:

 מעשה

מעשה חרש אבן פתוחי חותם תפתח את שתי האבנים *Opere artificis lapidarii, ad inſtar ſculpturarum annuli ſignatorii, inſculpes duobus lapidibus.* Ubi LXX. appoſite admodum γλύμμα σφραγίδος. Ipſis itaque gemmis figura ſigilli & inſculpta, & per eas in cera expreſſa. Unde recte Auctor Etymologici M. ait τὴν σφραγίδα eſſe τὸν ἐν τῷ δακτυλίῳ λίθον. Quam ob cauſam Sabinus *gemmam* pro ipſo ſigillo poſuit:

Agnovi caramque manum, gemmamque fidelem.

Et hoc annulorum genus foeminæ circa ornatum moroſiores annulis gemma carentibus, quod pretioſius eſſet & ſplendidius, paſſim leguntur prætuliſſe. Herodotus in Thalia cap. 41. Ἦν οἱ σφρηγὶς τὴν ἐφόρεε χρυσόδετος, σμαράγδου μὲν λίθου ἐοῦσα. *Gemma ei erat ſignatoria ſmaragdus, quam geſtabat auro incluſam.* Plinius lib. XXXIII. cap. 1. *Multis his modis, ut cætera, luxuria variavit, gemmasque addendo exquiſiti fulgoris, cenſuque opimo digitos onerando; mox & effigies varias colendo, ut alibi ars, alibi materia, eſſet in pretio.* Ovid. Her. XXI. 89.

Ipſa dedit gemmas digitis. —

Et alibi:

Nec premit articulos lucida gemma meos.

Seneca de Hercule muliebrem ornatum admittente:

Paſſus aptari digitis ſmaragdos.

Addamus & Arabica quædam. Poëta apud Elmacinum p. 211.

فانا

Digitized by Google

فاذا تتوج كنت درة تاجه
واذا تختم كنت فص الخاتم *

Quando diadema imponit, es gemma diadematis ejus,
Et quando obſignat, es gemma ſigilli ejus.

Ita omnino legendum. Cl. Erpenius pro تتوج legit تنوح quod vertit *quieſcit*, nullo ſenſu, quantum video. Ann. Bagd. واعطي لها خاتما فيه زبرجد ثمين *dedit ei annulum ſignatorium, in quo erat ſmaragdus magni pretii.* Fariani Poëta:

انكشت خوبروي وبناكواش دلغريب
بي كوشوار وخاتم فيروزه شاهدست *

Formoſæ puellæ digitus, & amicæ auricula
Abſque inaure, & annulo ſignatorio ex jaſpide, pulchra videtur.

Aureos vero annulos, & gemma carentes, portare, potius virorum erat. Ut Athenion Sophiſta, narrante Athenæo lib. V. in publicum prodiit χλαμύδα λαμπρὰν ἐκσύρων, καὶ περικείμενος δακτύλιον χρυσίου. Ex quo loco, obſervante & Cl. Zornio in Biblioth. Antiq. Exeget. p. 351. illuſtrari poteſt Jacob. II. 2. *Si ingreſſus fuerit in coetum veſtrum* ἀνὴρ χρυσοδακτύλιος, ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ, *vir aureum geſtans annulum, veſte ſplendida indutus.* Ubi minus recte aliqui, præeunte Baronio, *auream fibulam* intelligi putant.

V. Annulos, de quibus hic nobis ſermo, in digitis portatos eſſe nemo ambigit. Memorantur quidem Veteribus & *annuli pedum*, ac *annuli brachiorum*, ubi periſcelides & armillæ intelliguntur; ſed quoties annuli ad ornatum geſtati abſolute ponuntur, ſumendi ſunt de annulis digitorum. *De loco annulorum.*

No-

Notior ea res, quam ut indigeat probatione. Gerebantur vero annuli apud Hebræos in manu dextra, quod clare ſatis colligi poteſt ex Jerem. XXII. 24. *Etiamſi Conia filius Jojakimi Regis Judæ eſſet annulus ſignatorius in manu dextra mea, tamen inde evellerem eum.* Similis fere phraſis habetur Sirac. XLIX. 13. *Quomodo laudabimus Zorobabelem, qui eſt ut annulus ſignatorius in manu dextra.* Apud alias tamen gentes in manu ſiniſtra portari ſolebant. Cujus conſuetudinis rationem redditurus Attejus Capito apud Macrobium Saturn. Lib. VII. *Factum eſt*, inquit, *ut uſus annulorum exemtus dextræ, quæ multum negotiorum gerit, in lævam relegaretur, quæ otioſior eſt: nec crebro motu, & officio manus dextræ pretioſi lapides frangerentur.* Quæ magis arridet, quam Plinii ſententia, lib. XXXIII. cap. 1. ſtatuentis, eum, qui *primus* annulos geſtare *inſtituerit*, *cunctanter id feciſſe, lævisque manibus, ac latentibus, induiſſe.* Sumti enim procul dubio annuli, uti & plurima alia ornamenta, ad oſtentationem. Aliam rationem, & forte non ineptam, adfert Scheich Sadi in Roſar. p. 522.
چرا همه زينت وارايش بچپ داري وفضيلت راست راست كفت راسترا زينت راستي تمامست interprete Gentio: *Quare omnem ornatum atque decus ſiniſtræ contuliſti, cum dextræ manus dignitas illud ſibi jure vindicare videatur? Reſpondit ille: Dextræ manui ſummum decus ipſa dexteritas eſt.*

In ſpecie annulus in digito, qui minimo proximus, hinc & *annulari* dicto, plerumque gerebatur. Gellius X. 10. *Veteres Græcos annulum habuiſſe in digito accepimus ſiniſtræ manus, qui minimo eſt proximus. Romanos quoque homines ajunt ſic plerumque annulis uſitatos.* Eadem fere Macrobius Sat. VII. 13. qui & varias ejus moris rationes affert. Juxta Pollucem tamen etiam in minimo portati annuli, lib. V. cap. 16. Segm. 100. Περὶ δὲ τῷ σμικρῷ δακτύλῳ ἐφόρουν, ὃ ἀχαρὲς ἐκάλουν διὰ σμικρότητα. Apud Roma-

manas autem, creſcente in dies luxu, in his modus non ſervatus, dum non tantum in uno digito plures annulos, ſed & in omnibus ſimul, geſtaverunt. Martial. V. 63. 5.

Per cujus digitos currit levis annulus omnes.

Idem V. 11. 1.

Sardonychas, ſmaragdos, adamantas, jaſpidas uno
Portat in articulo.

Seneca Nat. Quæſt. VII. 13. *Exornamus annulis digitos, & in omni articulo gemma diſponitur.* Dubito tamen an hæc luxuria antiquis Hebræis innotuerit. Nam, obſervante Iſidor. XIX. 32. *Apud veteres ultra unum annulum uti infame.*

VI. Annulorum quidem uſum Iliacis temporibus Plinius *De annu-*
ſtatuit recentiorem, Hiſt. Nat. lib. XXXIII. cap. 2. *Nec* *lorum anti-*
Iliacis, inquit, *temporibus ullos fuiſſe annulos video. Nuſ-* *quitate.*
quam certe Homerus dicit, cum & codicillos miſſitatos epiſtolarum gratia indicet: & conditas arcis veſtes, ac vaſa aurea, argenteaque, & ea colligata nodi, non annuli, nota. Sortiri quoque contra provocationem duces non annulis tradit. Fabricam etiam Deûm fibulas, & alia muliebris cultus, ſicut inaures, in primordio factitaſſe, ſine mentione annulorum. Nos autem ipſa S. Scriptura de cana conſuetudinis annulos gerendi antiquitate dubitare non ſinit. Jam ſupra produximus aliquot loca, nempe Geneſ. XXXVIII. 18. & XLI. 42. quæ evincunt, illos jam Joſephi Patriarchæ ætate uſus fuiſſe vulgaris. Et ex Exod. XXXV. 22. patet, ſaltem Moſis temporibus annulos inter mulierum fuiſſe ornamenta. In eo tamen Plinio fides haberi poteſt, quod ad Romanos annulorum uſus ſerius pervenerit. Citius tamen ad Græcos, ſaltem ante tempora Solonis, qui, teſte Laërtio Lib. I. Segm. 57. ſtatuit publica lege: Δακτυλιογλύφῳ μὴ ἐξεῖναι

σφραγῖδα φυλάττειν τοῦ πραθέντος δακτυλίου. *Annulorum ſculptori non licere ſigillum ſervare vendito annulo.* Ad quem locum & Cl. Caſaubonus annotat, hinc patere, *quam ſit antiquus annuli uſus.* Quis autem annulorum inventor fuerit, quisque eos primus ad ornatum geſtarit, nemo facile dixerit. Plinius ait: *Peſſimum vitæ ſcelus fecit, qui id* (aurum) *primus induit digitis. Nec hoc quis fecerit traditur.* Et ſubjungit: *nam de Prometheo omnia fabuloſa arbitror, quanquam illi quoque ferreum annulum dedit antiquitas.* Perſis peculiaris hac de re eſt traditio, quam & Scheich Sadi habet in Roſar. pag 22. اول كسي كه علم بر جامه وانكشتري در دست نهاد جمشيد بود *primus, qui veſtes plumatas geſtavit, & annulum manui appoſuit, Gjimſchidus fuit.* Gjimſchidus hic, exponente prolixius Gentio in notis ad h. l. narratur quartus fuiſſe Rex Perſarum, & Diluvii temporibus proximus, per ſeptingentos admodum annos regnaſſe. Sed, ut cum Plinio loquar, & hæc omnia fabuloſa arbitror. Vel, ſi quid veri ſubſit, is intelligendus, qui primus annulorum uſum in Perſiam introduxit. Plura de annulis addere non lubet, ne Soli faculam accendere velle videar, poſtquam de iis tot magna Ingenia Erudito orbi integra Volumina exhibuerunt.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

Probatur נזמי האף eſſe *Lineas margaritarum naſo impendentes.*

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

I.

Quamvis vocabulum נזם uſus ſit in Scriptura non infrequentis, de ejus origine tamen, & proprio ſignificatu, quod veteris Linguæ reliquiæ ipſum Thema נזם ne unico quidem in loco aſſervarint, maximi nominis Interpretes admodum diſſentiunt & fluctuant. Accedit, quod illud נזם vario ſenſu accipi, & non de uno ornamenti genere intelligendum eſſe, videatur. Nam *primo*, נזם interdum ponitur abſolute, ita ut ex Contextu colligi non poſſit, quodnam fuerit ornamentum, vel cuinam membro fuerit applicatum. Ut Geneſ. XXIV. 22. *Et ſumſit vir ille* נזם *aureum.* Et Judic. VIII. 25. *Date mihi quisque* נזם, *quem prædatus eſt.* Sic Geneſ. XXIV. 30. Exod. XXXV. 22. Job. XLII. 11. Prov. XXV. 12. Hoſ. II. 15. Vel *ſecundo* נזם dicitur fuiſſe *aurium ornamentum*; ut Geneſ. XXXV. 4. *Dederunt Jacobo omnes Deos alienos, qui erant in manibus eorum, &* נזמים *qui erant in auribus eorum.* Idem Exod. XXXII. 2. *Dixit illis Aaron, abrumpite* נזמי הזהב *qui ſunt in auribus uxorum veſtrarum, filiorum veſtrorum, & filiarum veſtrarum.* Vel denique *tertio* נזם dicitur portatus על האף *ſuper naſum*, ut Geneſ. XXIV. 47. ואשם הנזם על אפה *poſui* נזם *ſuper naſum ejus.* Et Ezech. XVI. 12. ואתן נזם על אפך

Uſus vocis נזם.

 poſui

poſui נזם *ſuper naſum tuum.* Semel eſt pro על האף ſcriptum באף *in naſo*, Prov. XI. 22. נזם *aureus* באף *in naſo*, vel, *ad naſum*, *porci.* Varius hic vocis uſus & antiquos & recentiores Interpretes turbavit, atque impedimento fuit, quo minus nativa illius proprietas definiretur, ſuisque limitibus redderetur. Quæ & ratio eſt, quod Cl. Guſſetio in mentem venerit, vocabulum נזם non certam & determinatam alicujus ornamenti ſpeciem, ſed generalius quodcunque ornamentum, quod *appendendo applicetur* alicui membro, denotare. Habet id in Commentar. Ling. Hebr. ad vocem חלי p. 257. 258. Unde putat aliquo modo rationem reddi poſſe, cur נזם mox *auribus*, mox *naſo*, dicatur applicatus. Saltem diverſos vocis uſus ope generalioris hujus notionis poſſe conciliari. Non tamen invenio, hanc Viri Doctiſſ. ſententiam aliis arriſiſſe. Et revera hoc ei obſtat, quod illa dictio, ut jam obſervavimus, ſæpe ponatur abſolute, nec addatur, cuinam membro corporis נזם fuerit appoſitus. In iis itaque locis, ne ſignificatus maneret vagus & incertus, omnino requiritur, ut determinatam quandam ornamenti ſpeciem deſignarit.

Quinam per inaures ἐνώτια *expoſuerint.*

II. Alexandrini Interpretes hanc vocem conſtanter per *inaures* reddiderunt, ſi ab unico loco diſceſſeris, nempe Job. XLII. 11. ubi pro Hebraeo נזם dant τετράδραχμον, quam ob cauſam, incertum. Aquila tamen & Theodot. etiam hic habent ἐνώτιον. Quamvis autem hæc Græcorum expoſitio in iis locis admitti poſſet, ubi נזמים in *auribus* geſtati expreſſe dicuntur, & forte etiam, ubi id nomen adhibetur ſine ulteriori reſtrictione, incommodum tamen imo ineptum eſt, quod exiſtimarint, illam *inaurium* notionem propriam eſſe ac originalem, & hinc eam & in iis locis retinuerint, ubi in Hebræo נזם dicitur poſitus על האף *ſuper naſum*; atque ideo vel hæc verba *ſuper naſum* in ſua Verſione prorſus omiſerint, quoniam ἐνώ-

ἐνώτιον *inaurem* naſo non applicari facile advertebant, uti fecerunt tum in hoc noſtro Jeſajæ loco, tum Geneſ. XXIV. 47. vel etiam, ubi iſta verba expreſſerunt, tamen ſuum ἐνώτιον ſervaverint; ut Ezech. XVI. 12. Καὶ ἔδωκα ἐνώτιον περὶ τὸν μυκτῆρά σου. Itemque Prov. XI. 22. Ὥσπερ ἐνώτιον ἐν ῥινὶ ὑός. Ubi Græcos ſequutus Arabs: مثل القرط في انف خنزيرة *inſtar inauris in naſo porci.* Conſimiliter idem Geneſ. XXIV. 47. נזם על אפה vertit: الشنف على انفها poſui *inaurem ſuper naſum ejus.* Imitatus & Vulgat. Lat. ut Geneſ. XXIV. 47. *Suſpendi inaures ad ornandam faciem ejus*; ubi Montanus ſimiliter: *Poſui inaurem ſuper faciem ejus.* Item Ezech. XVI. 12. *Dedi inaurem ſuper os tuum.* Quæ loquutio admodum incommoda eſt, ne dicam abſurda. Niſi quis forte putet, Græcorum ἐνώτιον, & Latinorum *inaurem*, accipi poſſe καταχρηστικῶς de circulo vel annulo quocunque, quod inaures ſæpe haberent figuram annulorum, & hinc Græcos, &, qui eos ſequutus, Vulgatum, de *annulo naſi* eſſe intelligendos. Sed illud nunquam probari poterit, maxime cum & obſtet vocum origo. Senſit incommodum hoc ipſe Hieronymus, & in Comment. in Ezech. l. c. opus habuit monere: *Verbum Hebraicum* נזם *omnes inaurem tranſtulerunt, non quo inaures ponantur in naribus, ſed quo circulus in ſimilitudinem factus inaurium eodem vocabulo nuncupetur.* Supponit itaque, notionem *inauris* primariam eſſe, & loquutione impropria ad ſignificandum naſi ornamentum translatam. Sed id non placet, & contrarium mox patebit. Simulque oſtendam, unde ſignificatus *inauris* ſubnatus. Hoc ſaltem certum, quod נזמי האף *inaures*, auribus appenſa ornamenta, nullo modo ſignificare poſſit. Nam נזמים ob additum אף ad *naſum* pertinere, nemo non videt.

III. Proſtat & alia apud veteres quoſdam de hoc נזם ſententia, paulo majori ſpecie ſe commendans, vel majori *Quinam per* annulos

ſal-

vel circulos.

ſaltem applauſu excepta. Nempe נזמי האף *circulos*, vel *annulos*, *narium* denotare. Sic Vulgat. Prov. XI. 22. *Circulus aureus in nare ſuis.* Interpres Arabs Ezech. XVI. 12. وضعت زردة في انفكي *poſui annulum in naſum tuum.* Sic & Theodoretus aliquoties, ubi in Hebræo נזם eſt, *circulum* exhibet, *perforatis foeminarum naribus transfixum*, *qualis bubalis aut juvencis inſeritur*, *quo*, *non aliter quam equi frenis*, *gubernantur*; & *qualis injiciendus dicitur Senacheribo Eſaj.* XXXVII. 2. *ponam ego circulum in naribus tuis.* At ibi in Hebræo Textu eſt חח *fibula*, non autem נזם. Huc & referendus videtur Theodotion, qui, obſervante Hieronymo, vertit ἐπιῤῥίνιον. Sed quoniam hac voce nemo veterum Græcorum uſus, Gaſpar Sanctius in Commentar. in Ezech. p. 336. de ea merito ait, *quodnam ſit ornamentum illud*, *ſibi eſſe incompertum.* Nec defuere Viri Doctiſſimi, qui iſtam ſententiam calculis ſuis comprobarunt. Ita Pagninus & Grotius noſtrum נזמי האף exponunt per *circulos narium.* Vatablus per *ornamenta narium*, & addit: *ut ab auribus mulierum Orientalium ornamenta quædam dependebant*, *aurea & argentea aut gemmea*, *ita etiam e naribus.* Addatur Fortunatus Licetus de annulis antiquis cap. XXXV. p. 162. Martin. Geierus ad Prov. XI. 22. Theodor. Daſſovius de inaur. Hebr. ad tit. Kelim, Joh. Buxtorf. in literis ad Joh. Rhodium. Huc & Magnus Bochartus inclinat Hieroz. P. I. lib. II. cap. 57. p. 704. *Annulus*, inquit, *Hebraice* נזם, *proprie eſt circulus*, *qui ornatus gratia vel auribus vel naſo appenditur.* Eandem ſententiam quoque tuetur Clericus, in Geneſ. XXIV. 47. ubi ait: *Solebant Orientales mulieres*, *non aures modo perforare*, *e quibus annuli aut gemmæ penderent*, *ſed etiam nares*, & *narium quidem ornamentum* נזם *vocabant.* Denique huc etiam Celeb. Vitringa inclinat, in Comment. in Jeſaj. *Si* ῥῆσιν *ipſam reſpicias*, inquit, *nemo aliud colligat*, *quam eſſe* circulos aureos, *in na-*

Digitized by Google

narium extrema immiſſos, & inde per modum inaurium *pendentes.* Itaque juxta hanc ſententiam נזם primaria notione *circulum* vel *annulum* ſignificaret, æque lobo auriculæ, ac cartilagini mediæ narium, applicandum. Id profecto ſpecie non caret. Opponi tamen poteſt, quod, ſi ab unico loco Prov. XI. 22. diſceſſeris, נזם non *in naſo*, ſed על האף *ſuper naſum*, poſitus dicatur; vid. Geneſ. XXIV. 47. Ezech. XVI. 12. Quare & Hieronymus in Comment. in Ezech. putat, *fuiſſe* potius *aureos circulos in os ex fronte pendentes, & imminentes naribus.* Præterea non probabile eſt, Hebræas foeminas barbaro illo uſas fuiſſe ornamento. Optime Cl. Zornius in Biblioth. Antiq. Exeget. p. 343. *ſcio*, inquit, *in quibusdam regionibus, nuper ab Hiſpanis ultra Oceanum apertis, lautum atque elegans exiſtimari, ſi ex narium media cartilagine gemmeum aliquid ad os usquè dependeat, & labiis ac dentibus alludat; ſed nunquam eo adduci potui, ut crederem, hunc cultum plane barbarum uſitatum eſſe Hebræorum genti, neque barbaræ, neque ineleganti.*

IV. Tertio loco illorum collocanda ſententia, qui נזמי האף per *monilia naſi*, ſ. *naſo impendentia*, vel *ornamenta frontis*, exponunt. Sic Aben-Eſras in Geneſ. XXIV. 22. יש נזם שהוא על האף גם באזן ושעל האף ירד מעל פתיל קשור במצח h. e. נזם *eſt tum naſi tum aurium ornamentum; illud in naſum de filo dependet, ad frontem alligato.* Hunc Munſterus & Clarius ſequuti. Addatur Abarbanel in Jeſaj. נזמי האף הם הנזמים שהיו כבאות על אפיהן או היו תלוין במגבעות הראש בחבלי וורדים משם על האף h. e. נזמי האף *erant monilia in vultu geſtata, vel funiculo tiaris capitis appendebantur, & inde ſuper naſum deſluebant.* Sic Junius & Trem. ubique: *Monilia naſo impendentia*; eosque ſequutus Piſcator: *monilia naſi, id eſt, impendentia naſo, ſuſpenſa ſcilicet de fronte;* &

Quinam per monilia naſi.

& putat hæc ornamenta *frontalia* appellari poſſe. Huc & Doctiſſ. Belgæ referendi, qui conſtanter vertunt *voorhooft-cierſel*; & ad Jeſaj. III. 21. hæc annotant: *dit waren eenighe vercierſelen, die op het voorhooft tot op den neuſe hinghen.*

Rectius quidam per gemmas naſo impendentes.

V. Nihil eſt in hac expoſitione, quod diſpliceat. Eam itaque totam admitto. Hoc tantum deſidero, quod non ſatis definiverint, quale illud fuerit ornamentum in naſum dependens. A quibusdam tamen etiam hoc tentatum, mihi nunc præcipue nominandis. Admodum feliciter, ex mea ſententia, Vulgatus hoc loco per *gemmas in fronte pendentes* expreſſit. An huc & pertineat Chaldæi טלטוליא, quod per *gemmas* exponere ſolent, mihi incertum. Potius huc revoco Syrum Interpretem, qui Ezech. XVI. 12. נזם על אפך, quamvis paulo liberius, reddidit: ܩܕܫܐ ܒܝܬ ܥܝܢܝܟܝ *Beryllos inter oculos tuos.* Inter recentiores Verſiones nullam reperio, quae ſpecialius iſtud ornamentum determinaverit, niſi ſolam Anglicanam, hic habentem: *the noſe-jewels*, gemmas naſi; & Ezech. XVI. 12. *I put a jewel on thy forehead*, poſui gemmam in fronte ejus. Vid. & Prov. XI. 22. nec non Annotat. upon all the Books of the Old and New Teſt. (quæ prodierunt Londini 1651.) Tom. II. in Jeſaj. III. 21. ubi eo expoſitio multis aliis Scripturæ locis, etiam iis, quæ dicunt, נזמים in auribus fuiſſe geſtatos, erudite applicatur.

Fuerunt lineæ margaritarum, impendentes naſo.

VI. Ego nunc probare in me ſuſcipio, נזמי האף *lineas* fuiſſe *margaritarum*, vel etiam *gemmarum*, in fronte *ſuper naſum ſuſpenſas*, eamque notionem ex Arabica Dialecto confirmare, ſimulque Thema vocis, hactenus latens, protrahere ac reſtituere, tentabo. De eo enim, licet nemo non fateatur inde propriam vocum ſignificationem pendere & cognoſci, hactenus oppido paucos, imo vix unum vel alterum, ſolicitos deprehendi: Forſterum nempe, & Cl. Simonis, Virum inſignis eruditionis, cui literatura He-

Hebraica non parum debet. Ille in Diƈtion. Hebr. p. 231. nomen נזם ad Thema זנה *ſcortatus fuit*, referre non dubitavit. En tibi ejus verba: *Nomen a* זנה *deduƈtum, faƈta priorum duarum literarum transpoſitione, & adjeƈta litera Mem, & ſignificat generaliter ornamentum quod publice vel in fronte vel in naribus, vel auribus proſtituitur, cauſa merendi gratiam. Et monile vertere licebit.* Sed hæc derivatio tam ab analogia Linguæ, quam ipſius vocis uſu, prorſus aliena, arridere nemini potuit niſi ſoli Forerio in Comm. in Jeſaj. Hic autem, nempe Doƈtiſſ. Simonis, in Arcano Formar. p. 245. putat נזם derivandum vel illuſtrandum eſſe ex Syrorum ܥܛܫܐ *annulus*, qui ad ornatum appenditur naribus, & Aethiop. ac Arab. زمام זמאם *circulus* vel *funiculus* naribus alligatus, a rad. Arab. زم זמם *ligavit*, Chald. *capiſtravit*, *frenavit*; additque, hanc derivationem etiam placuiſſe Buxtorfio Fil. apud Bartholinum de Morbis Bibl. Miſcell. **XIX.** Liceat tamen hic a Viro Doƈtiſſ. modeſte diſſentire. Nam (α) Arabicum زمام notat *funiculum* annexum annulo, qui per cameli naſum trajicitur. Sed nunquam de aliquo ornamento uſurpatur. Idem & de Chaldæorum & Syrorum זמם tenendum. (β) Nemo non videt, literam (נ) in נזם eſſe radicalem; hæc autem in vocabulo זמאם non comparet. (γ) Si נזם eſſet a זמם, litera ultima Mem in *pluralis* formatione, uti & in *affixione*, per *Dages forte*, ad *compenſationem literæ eliſæ*, pro genio Linguæ Hebrææ, debuiſſet *duplicari*. Sed neque hoc uſpiam faƈtum.

Potius itaque nos *primo* conferimus Arabicum نزم נזם, pro quo etiam ob affinitatem literarum (ن) & (ب) efferunt بزم. Has enim radices intima conſanguinitate conjunƈtas eſſe, evidenter inde patet, quod plures notiones ẽ نزم in Themate altero بزم aſſerventur. V. g.

نزم notat *morſum vehementem*; unde & منزم eſt *dens*, a *mordendo*. Similiter & بزم eſt apud Gjeuhar. عض عليه بمقدم اسنانه h. e. *momordit anterioribus dentibus*, *eosque* in rem *defixit*. Hic convenientia eſt manifeſta. Iterum نزيم exponitur per *faſciculum oleris*. Eodem autem modo etiam بزيم per باقة البقل *faſciculum oleris*, quantum digitis teneri poteſt, declaratur. Quamobrem, cum بزيم Arabibus quoque notet خيط القلادة *lineam*, ſ. *funiculum*, *margaritarum*, (vid. Lex. Arab. Cl. Golii p. 270.) dubitare nos non poſſumus, eandem ſignificationem etiam ſub altero nomine نزيم fuiſſe uſurpatam. Unde jam apparet, Hebræorum נזם nihil aliud quam *lineam*, vel *ſeriem*, aut *funiculum*, *margaritarum* deſignare.

Verum *ſecundo* obſervandum, plenum Thema Arabibus eſſe non نزم, neque بزم, ſed نظم *nazama*, quod frequentant pro *ordinare*, *certaque ſerie conjungere margaritas*, eas *trajiciendo* per *filum*, quod سلك appellatur. Gallice *enfiler des perles*. Ubi ſimul notanda eſt ſuaviſſima inter بزيم, quod mox tetigimus, & hoc نظم, harmonia. Gjeuhar. نظمت اللولؤ اي جمعته في سلك *Radix* נזם *eſt in filum conſerere margaritas*. Demus quædam exempla. Exod. XXVIII. 17. وانظم فيها اربعة سطور من الجوهر *conſere in eo* pectorali *quatuor ſeries gemmarum*. Et XXXIX. 10. ونظموا فيها اربعة اسطر حجارة *conſeruerunt*, vel *ordine diſpoſuerunt*, *in eo quatuor ſeries lapidum*

Digitized by Google

dum pretioſorum. Hiſtor. Valid. grandi cothurno : ولما استقل في ملكه ودارت دولته في قطب امره ونفيه وانتظمت لالي احواله في سلك بلاده *Poſtquam in regno confirmatus eſſet , & imperium ejus circa Polos mandatorum ejus gyraretur , atque potentia ejus regno ſe inſinuaret , quemadmodum margaritæ per filum trajiciuntur.* In Appendice Arabsjadis ad Hiſtor. Tamerl. الكلام كالدر المنتظم والدر المنسجر *Sermocinatio comparanda eſt margaritis in filum conſertis , & in ſeriem conjunctis.* Hinc ſecundaria notione verbum نظم quoque ſignificat *ordinare* , & *eleganter diſponere* , margaritis in ſeriem apte conſertis *ordinem* quemcunque , quo res pulchre *diſponuntur* , eleganter figurantibus. Sic Elmac. p. 237. ثم راي ان الامور لا تنتظم الا به *vidit , illas res non niſi per ipſum in ordinem redigi poſſe.* Et hic uſus longe frequentiſſimus in Arabum ſcriptis.

Ab eo Themate deductum nomen نَظْمٌ (quæ forma *gemino* Hebræorum *Segol* , quod & in נזם eſt , reſpondere ſolet) declaratur per *junctam ſeriem margaritarum* ; & نظام *nizam* , quod frequentiori uſu teritur , notat , teſte Gjeuhario , الخيط الذي تنظم به اللولوء *lineam* , *ſeu funiculum margaritarum* , *quo nempe trajectæ continentur ſua ſerie margaritæ* , *ſphærulæve.* Poëta vetus:

ونظمت نظامها من در وزمرد
لم تغرط من طرفيه *

Eleganter in filum conſeruit margaritas & ſmaragdos,
Quæ e duabus extremitatibus non ejiciuntur.

Hiſtor. Tamerl. p. 24. فما يرجع تيمور الا وقد انفرط نظامه وتخبطت اموره وتشوش مقامه *Non prius revertit Timurus, quam rupta linea margaritarum, imperio ruinam minante, totoque ſtatu turbato.* Et p. 233. فنثر الزمان نظامهم *tempus margaritas lineæ eorum diſperſit.* Adde p. 408. وتضطرب تلك الاطواد وتختبط وتنفرط عقود نظامهم *montes* copiarum *concuſſi*, & *diſſipati*, *atque nodi linearum margaritarum ſoluti.* Dicunt quoque *reparare ſeriem unionum turbatam.* Arabsj. p. 390. ويسابق بعتاقه عتاق الطير فيتدارك ما انفرط من النظام *Quam celerrime advolavit, turbatam margaritarum lineam reparaturus.* Vid. & quæ Celeb. Schultens annotavit ad Harir. Conſ. III. p. 122. Nonnunquam pro نظام etiam dicunt انتظام vel منتظوم. Abdalla Motaſſides apud Elmac. p. 187.

معتقة اضاعت راحة راسه در
اكليله حتي ما لمنظومه السلك *

Vinum vetus turbavit quietem capitis ejus, nempe uniones
Coronæ ejus, adeo ut ex conſertis margaritis exciderit filum.

Sic verſus videtur reſtituendus. Editionem Erpenianam non una hic menda maculavit. In omnibus illis exemplis linea

linea margaritarum ſoluta vel diſrupta confuſionem & perturbationem ſtatus tantam ut reſtitui non facile poſſit, eleganter depingit.

Ex linea non uni membro applicatæ. VII. Concludamus itaque hinc, Hebræam vocem נזם, ſi ſola conſideretur, nihil aliud quam *funiculum* vel *lineam* deſignare *margaritarum*. Quemadmodum autem eae non uni membro corporis a foeminis ad ornatum apponebantur, ita nunc demum vera perſpicitur ratio, cur illud ipſum Nomen varias induere videatur ſignificationes. Sic ſupra jam vidimus, e margaritis conſertas olim fuiſſe periſcelides, uti etiam armillas, & forte plura alia ornamenta. Quæ omnia eo reſpectu נזמים appellari potuiſſent. Potiſſimum vero monilia, colli ornamenta, ex margaritis in filum conſertis, more apud noſtrates foeminas hodieque tritiſſimo, fuere parata. Cujus conſuetudinis antiquiſſimæ veſtigium ſuperſtes eſt Cant. I. 10. ubi *collum* ſponſæ dicitur conſpicuum eſſe בחרוזים. Quam vocem per *monilia* ex *conſertis* in *lineam unionibus* confecta exponendam eſſe Viri Docti jam ope Chaldaicæ Dialecti cognoverunt, in qua חרז ſignificat *perforare* & perforatas in *ordinem componere* margaritas. Vid. Buxt. Lex. Chald. p. 825. Optime itaque Kimchi in Lib. Rad. חרוזים ענקים והם חרוזים אבנים טובות ומרגליות נקובות מחוברות כחוט h. e. *ſignificat monilia conſtantia ex lapidibus pretioſis, & margaritis perforatis, atque in filum conſertis.* Neque abludit Arabum خرز *perforavit* margaritas, unde خرزات الملك, notante Gjeuhario, ſunt *gemmæ* & *margaritæ* diadema regium cingentes. Adi quoque Celeb. Schultens notas ad Iſpahan. Hiſtor. Salad. p. 15.

Noſtra vero נזמים etiam על האף *ſuper naſum* geſtata leguntur. Et Jeſajas hic נזמי האף dixit. Nempe linea margaritarum fibula quadam capitis faſciæ, vel alii cuicunque tegumento, annexa, de fronte in naſum dependebat. Sunt itaque נזמי האף proprie *lineæ margaritarum naſo im-*

pendentes. Sic enim vertenda eſſe hæc verba, clariſſime ex iis locis apparet, ubi נזם dicitur poni *ſuper naſum.* Ut Geneſ. XXIV. 47. ואשם הנזם על אפה *poſui lineam margaritarum ſuper naſum ejus.* Et Ezech. XVI. 12. ואתן נזם על אפך *Poſui margaritarum ſeriem ſuper naſum tuum.* Neque alio ſenſu ſumendum puto Prov. XI. 22. נזם זהב באף חזיר *Linea margaritarum aurea ad naſum porci* eſt mulier pulchra, ſed averſans rationem. Uti & Junius & Tremell. fere reddiderunt: *monile aureum ad roſtrum porci.* Notum enim eſt, particulam (ב) ſæpiſſime idem eſſe ac Latinorum *ad* vel *ſupra.* Vid. Exod. V. 9. Judic. VI. 35. 1 Sam. XVI. 3. 1 Reg. XI. 2. Num. XIV. 10. Deut. XXXI. 15. &c.

Quem morem lineas geſtandi margaritarum etiam apud Arabes vetuſtiſſimis jamjam temporibus fuiſſe receptum ipſa Scriptura teſtatur Judic. VIII. 24. ubi ſinguli Midianitæ נזם geſtaſſe narrantur, כי ישמעאלים הם *quoniam Iſmaëlitæ*, h. e. *Arabes*, *erant.* Cum enim נזמים jamjam in Abrahami familia geſtarentur, ut patet ex Geneſ. XXIV. 22. 47. probabile eſt, Iſmaëlem, Abrahami filium, ſecum illum morem in Arabiam intuliſſe. Apud recentiores Arabes margaritarum lineæ uſus ſunt longe frequentiſſimi. Interdum etiam, maxime a foeminis, eodem modo ut a Veteribus Hebræis, applicatæ & ſuper naſum ſuſpenſæ leguntur. Safcirius Poëta:

ولو لا ما بسلكك من لولوء
لقلنا اظهرت بلد الجزوع *

Niſi eſſent, quæ filo tuo inſunt margaritæ,
Diceremus, te nobis conſpiciendum præbuiſſe interſtitium oculorum ad naſum.

Idem

Idem alibi:

وكل بنريمة في صلت خود
عشقت ان تكون لها قيادا *

Omnis funiculus margaritarum in fronte puellæ,
Optaret ei eſſe loco habenæ.

Et hunc ornatum ad hodiernum usque diem in Oriente receptum eſſe ex Noſtratium Itinerariis conſtat. Dapperus in Perſiæ Deſcript. p. 80. Sie tragen eine ſchnur von perlen / nicht am hals / ſondern heſſten ſie hier und dar an die ſtirn an / daß ſie vier finger / oder etwas drüber / ins geſicht herab hangen / und ſich hin und wieder / nachdem ſie das haupt kehren / bewegen. h. e. *Geſtant lineam margaritarum, non in collo, ſed hic vel illic ad frontem adfigunt, ita ut quatuor digitos, vel paulo amplius, in faciem dependeat, &, prout caput verterint, huc vel illuc ſe moveat.* Addatur Auctor libri recentiſſimi, vernaculo idiomate editi, de vita & rebus geſtis fortiſſimi & hodieque florentis Perſarum Regis Khuli-chanis, p. 225. Ihre Kleidung betreffende / ſo war ſie nur ſchlecht / in Türkiſchen Atlas gekleidet / und hatte keine andere Kleinodien / als eine lange Perlenſchnur / ſo ihr / nach Perſianiſchem gebrauch / vom haupt bis ins Geſicht herab hienge. h. e. *Veſtitus* foeminæ nobilis, Zeineb-Begum dictæ, *non admodum erat pretioſus. Induta erat bombycino raſo denſiore*, (Galli *Satin* appellant) *Turcico, nullo alio conſpicua ornatu, niſi longiore linea margaritarum, quæ, pro more Perſarum, de capite in faciem defluebat.*

Nullam nunc nobis difficultatem creabit, quod נזמים *funiculi margaritarum* etiam *aurium* fuiſſe ornamentum perhibeantur. Nempe nonnunquam foeminæ non contentæ unam alteramve margaritam auribus appendere, pluribus unionibus, per tenue filum trajectis, auriculas onerare non erubuerunt. Hinc igitur explicabis Geneſ. XXXV. 4.

את

Digitized by Google

את הנזמים אשר באזניהם *Lineolas margaritarum, quæ erant in auribus ipſorum.* Et Exod. XXXII. 2. *Abrumpite* נזמים *uniones in filum conſertos, qui ſunt in auribus uxorum veſtrarum, filiorum veſtrorum, & filiarum veſtrarum.* Longiores enim, & ex pluribus unionibus compoſitæ, inaures ſemper in deliciis habitæ. Aelianus Var. Hiſt. lib. I. cap. 18. de priſcis Græcorum mulieribus: Ἐκ τῶν ὤτων αὐταῖς ἐνώτια μακρὰ ἀπεκρέματο. *Ex auribus longiores inaures habebant dependentes.* Eas Latini peculiari voce *elenchos* vocabant. Juvenal. Sat. VI. 457.

> *Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil,*
> *Quum virides gemmas collo circumdedit, & quum*
> *Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.*

Addatur Plinius lib. IX. cap. 34. *Et procerioribus* (margaritis) *ſua gratia eſt, elenchos appellant. — Hos ſuſpendere binos ac ternos auribus, foeminarum gloria eſt.* Et præ aliis huc referendus Seneca de Benef. VII. 9. *Video uniones, non ſingulos ſingulis auribus comparatos; jam enim exercitatæ aures ſunt oneri ferendo: junguntur inter ſe, & inſuper alii binis ſuperponuntur. Non ſatis muliebris inſania viros ſubjecerat, niſi bina ac terna patrimonia auribus pependiſſent.* Probabile tamen eſt, ſeries unionum auribus appenſas minores illis fuiſſe, quæ ſuper naſum ſuſpendebantur. Ipſi etiam uniones potuerunt eſſe exiliores. Alias enim auriculæ ferendo non fuiſſent. Et elenchi nimis graves lobum perrupiſſent.

De נזמים *aureis.*

VIII. Nondum omnis difficultas ſublata. Probavimus quidem hactenus, per noſtrum נזמים *lineas* eſſe intelligendas *margaritarum.* Poſſet autem quis, nec immerito, nobis opponere, frequentiſſime נזמים dici *ex auro* fuiſſe; ergo non ex *margaritis.* V. g. Geneſ. XXIV. 22. *Sumſit vir ille* נזם *aureum.* Judic. VIII. 24. נזמי זהב להם *erant ipſis* נזמים *aurei.* Job. XLII. 11. *Singuli donarunt ipſi*

ipſi נזם *ex auro*. &c. Fateor has lineas non ex margaritis conſertas fuiſſe proprie dictis, ſed globulis ex auro ſolido, rotunditate autem margaritarum figuram referentibus, eodemque modo, ut margaritæ, pertuſis, & per filum trajectis. Quamobrem, cum hæ lineæ aureæ, non aliter ac conſertæ margaritae, & ſuper naſum ſuſpenderentur, & inaurium loco in auribus geſtarentur, quis negaret, & illas commodiſſime נזמים fuiſſe appellatas? Maxime ſi conſideremus, nativam poteſtatem Thematis نظم נזם non proprie in eo ſitam eſſe, ut ſint præciſe *margaritæ*, quæ in filum conſerantur, ſed & de cujuscunque generis baccis vel ſphærulis in ſeriem conjunctis æque poſſe enuntiari. Et revera Cl. Golius non tantum بريم exponit per *funiculum trajectum per margaritas*, *AVT ALIA*, *ex quibus componitur ornamentum colli*; ſed & ipſum noſtrum نظام per *lineam*, ſeu *funiculum*, *quo trajectæ* vel *margaritæ* vel aliæ *ſphærulæ* (cujuscunque generis aut pretii) in ſua ſerie continentur. Quod autem hoc نظام nunc communiter de conſertis margaritis accipi ſoleat, inde eſt, quod margaritæ in maxima & cultiori Orientis parte uſus nunc ſint vulgaris & pervagati, & hinc, cum facillime pertundantur, pro conſerenda linea ordinarie adhibeantur. Sed aliter ſe res apud antiquos Hebræos habebat, margaritis nondum magna in copia proſtantibus, & maximo in pretio habitis. Sero quidem eas innotuiſſe putandum non eſt, cum in Jobi libro antiquiſſimo cap. XXVIII. 18. פנינים memorentur, per quos intelligendas eſſe *margaritas* fuſe & erudite Celeb. Bochartus demonſtravit, Hieroz. Part. II. lib. V. cap. 5. qui & putat בדלח Geneſ. II. 12. & Num. XI. 7. eundem gerere ſignificatum. Certum tamen eſt, apud priſcos Hebræos margaritas maximi fuiſſe pretii. Unde Prov. III.

15. *Sapientia* יקרה היא מפנינים *pretioſior eſt margaritis.* Vid. & Prov. VIII. 11. & XXXI. 10. ubi de muliere ſtrenua dicitur, *ejus comparationem remotiorem eſſe margaritis.* Nusquam enim propinquior Hebræis fuit unionum expiſcatio quam in Perſico & Sachalite ſinu, uti monet Bochartus l. c. p. 686. Eum itaque defectum margaritarum ut reſarcirent Hebrææ foeminæ, lineas adornarunt ex globulis ſphærulisve aureis, & margaritarum figuram referentibus, conſertas, quæ hinc non potuerunt non נזמי זהב appellari. Eæque tum ſuper naſum ſuſpenſæ fuerunt, ut patet ex Geneſ. XXIV. 47. coll. vſ. 22. tum etiam auribus applicatæ, Exod. XXXII. 2. Quo ex loco apparet, talium aurearum linearum tantam fuiſſe inter Iſraëlitas multitudinem, ut ex iis ſolis vitulus ille aureus fabricaretur.

Quamvis autem hodie margaritæ in Oriente abunde habeantur, non tamen ideo lineæ aureæ, vel forte & argenteæ, plane ſunt ignotæ. Mos autem eſt, ut non adeo baccas aureas ſingulatim conſerant, quam potius totam lineam ex auro ſolido parent, ita ut videantur quidem globuli eſſe, ſed tamen ii a ſe invicem revera non ſint ſoluti & ſeparati. Unde & dicuntur ſolvi ac diſturbari non poſſe, ut margaritæ, rupto filo. Quo reſpicitur in Annal. Bagd. Cap. XVI. وجيوشنا كسموط الذهب لم تنفرط عقودها *phalanges noſtræ ſunt inſtar linearum aurearum, quarum nodi non poſſunt diſſolvi.* Ubi præcipue notandum, quod vocabulum سمط, alias *margaritas* ſignificans conſertas in filum, hic de *linea* ex auro, eodem modo ut נזם noſtrum, adhibeatur. Et hunc ornatum in Perſia frequentem eſſe refert Auctor libri mox citati de rebus geſtis Khuli-chanis p. 228. Verba ſemel tantum adſcribam: *Omnes foeminæ, vel vitta, vel peplo, caput opertæ, præter criſpatam comam, margarita-*

rum

rum loco geminum gerebant funiculum , ſatis longum & ſpiſſum, ex auro textili & ſolido, de capite in faciem deſiuentem. Qui ornatus non valde pretioſus, ſed in aula regia receptus, hodie apud Perſarum foeminas admodum eſt vulgaris, eique niger capillorum color gratiam addit inſignem. Singulare eſt; quod hic loquatur de gemino funiculo, in faciem dependente, quod alibi me legere non memini.

Huc & pertinet, quod vox Arabica جمان *margarita*, etiam accipiatur de *re rotunda, margaritæ ſimili, ex argento.* Et Maimonides ad Cod. Schabbath cap. VI. Sect. I. vocem קטלא exponit per חוטין שעורכין בה גרגרי זהב וקושרין אותה על הצואר *fila, in quibus diſponere ſolebant baccas aureas, & quæ collo alligabant.* Unde iterum apparet, nihil inſoliti apud Hebræos fuiſſe, margaritarum loco aureis uti globulis, eosque conſerere in filum.

IX. In Miſchna aliquoties τῶν נְזָמִים fit mentio. Ut in Cod. Schabbath l. c. *Non egredietur mulier* בנזמים, *neque cum annulo.* Item in Tractatu Kelim Cap. XI. Sect. 8. קטליות נזמים וטבעות *torques aurei, lineæ margaritarum & annuli.* Et mox: ונזמי האף & *lineæ margaritarum impendentes naſo.* Quem ad locum Bartenora, digniſſimus qui hic audiatur: נזמים יש מהן נזמי האף ויש מהן נזמי האזן בחוט של פשתן שהיו החוליות נקובות ומלאו מהן החוט h. e. נְזָמִים *erant tum naſi, tum aurium, ornamenta, habebantque filum lineum, per quod margaritæ pertuſæ trajiciebantur, donec repleretur.* Præiverat Maimonides exponens נזמים per חוטין שעשו מספיר או כנכך ומה שדומה להן מן האבנים *fila conſerta ex ſapphiris, carbunculis, aliisve ſimilibus lapidibus pretioſis.* Omiſit plane *margaritas*, niſi eas ſub *lapidibus pretioſis* comprehendat. Nam margaritæ veteribus paſſim *lapides* appellantur. Etiam hoc certum, nonnunquam gemmas, maxime ſmaragdos,

Vox נזם *& in Miſchna occurrit.*

margaritis in ſeriem conſertis fuiſſe immixtas. Tarpha Poeta vetus:

مظاهر سمطي لولو وزبرجد

Mea linea margaritis conſerta & ſmaragdis.

Sic ſupra:

نظمت نظامها من در وزمرد

In filum conſeruit margaritas & ſmaragdos.

Similiter in Scharho 'rrewaja extat نظم من جوهر وزمرد *nexæ ſeries margaritarum & ſmaragdorum.* Conjunxit quoque Tertullianus de Cultu Foem. p. m. 416. *Timeo cervicem, ne margaritarum & ſmaragdorum laqueis occupata, locum ſpathæ non det.*

Mos conſerendi margaritas & aliis populis uſitatus.

X. Latinis non quidem ignotæ fuerunt contextæ ex margaritis lineæ. Martialis VIII. 7.

Omnis habet ſua dona dies, nec linea dives
Ceſſat.

De quo loco vide, ſi placet, Salmaſ. in Solin. p. 921. Plinius lib. IX. cap. 35. de margaritis: *Subeunt luxuriae ejus nomina, & tædia, exquiſita perdito nepotatu; ſiquidem, cum id fecere, crotalia appellant, ceu ſono quoque gaudeant, & colliſu ipſo margaritarum.* Huc pertinet Tertull. de Hab. Mul. *Uno lino decies ſeſtertium inſeritur.* Unde *dilinum*, *trilinum*, *tetralinum*, notat duplex, triplex, aut quadruplex, filum margaritarum. Hieronym. in vita Pauli Erem. *Uno filo villarum inſunt pretia.* Et apud Juriſconſultos: *Si linea margaritarum ſurrepta ſit.* Item: *Si maritus uxori margaritas extricatas dediſſet in uſu, easque uxor inſcio viro perforaſſet, ut pertuſis in linea uteretur.*

Digitized by Google

tur. Item apud Scævolam: *Lineam margaritorum triginta quinque legavit, quæ linea apud legatarium fuerit mortis tempore.*

Non tamen Romanæ mulieres ſuper frontem vel naſum, ut Orientales, ſuſpendebant has lineas, ſed vel collo, vel alii cuidam membro, alligabant. Plinius lib. XXXIII. cap. 3. *Habeant foeminæ in armillis, digitiſque totis, collo, auribus, ſpiris: diſcurrant catenæ circa latera, & inſerta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendeant.* Notabilis in eandem rem quoque locus extat apud Cyprianum de Hab. Virg. p. 99. *Nec diſtinctis auro lapillis, & margaritis, contexta ſerie, & numeroſa compage, digeſtis, monilia inſtituit.* Addatur & Claudian. in Rufin.

—— —— cuicunque monile
Contextum gemmis, aut prædia culta fuiſſent.

Sæpe tamen Romanæ mulieres & ex auro contexta monilia geſtarunt, forte ob ingens margaritarum pretium, quod apud Latinos tantum fuit, ut Plinius dicat, lib. IX. cap. 35. *principium culmenque omnium rerum pretii margaritas tenere.*

De aliis populis quoque paſſim legitur, quod monilium loco uſi fuerint margaritis in filum conſertis. Chares Mitylenæus, Scriptor rerum Alexandri, apud Athenæum: Κατασκευάζουσι δὲ ἐξ αὐτῶν ὁρμίσκους τι, καὶ ψέλλια περὶ τὰς χεῖρας, καὶ τοὺς πόδας, περὶ ἃ σπουδάζουσιν οἱ Πέρσαι καὶ Μῆδοι, καὶ πάντες Ἀσιανοὶ, πολὺ μᾶλλον τῶν ἐκ χρυσίου γεγενημένων. *Comparant ex illis margaritis & monilia & armillas circa manus & pedes, quas Perſæ, Medi, omneſque Aſiani longe pluris faciunt iis, quæ ex auro parantur.* De iisdem Ammianus Marcell. lib. XXIII. *Armillis uti, monilibusque aureis, & gemmis, præcipue margaritis, quibus abundant, adſuefacti.* Et de Indis atque maris rubri accolis Theophraſtus: Ποιοῦσι δὲ ἐξ αὐτοῦ τοὺς πολυτελεῖς ὅρμους, *faciunt*

 ex

ex ea (margarita) *monilia pretioſa*. Noſtratibus foeminis nihil fere vulgarius hodie eſt, quam ut collum ornent vel una vel pluribus ſeriebus margaritarum. Etiam in auribus plures gerunt connexos uniones. Fronti autem tales apponere lineas, Orienti privum videtur & peculiare. Poſſet tamen forte aliquo modo huc referri illud Ovid. Met. X. 114.

Bulla ſuper frontem parvis argentea loris
Vincta movebatur.

Loquitur de ornatu cervi manſueti, qui vero totus, ut ex reliquo Textu apparet, a muliebri deſumtus.

CAPVT XIV.

Probatur מחלצות eſſe *Chlamydas plumatas.*

I.

Veteres Verſiones exhibentur. Cum hactenus ea foeminarum ornamenta recenſuiſſet Propheta, quae minora erant, & certo alicui corporis membro applicabantur, nunc, ordine aptiſſimo, & quaſi naturali, pergit ad commemorandas veſtes majores, & corpus vel totum, vel majori ſaltem ex parte, operientes. Quarum prima eſt, quae nunc nobis ſe offert, מחלצה. Nomen id præter hunc locum occurrit quoque Zach. III. 4. ubi de Joſua Sacerdote maximo. Et opponitur ibi בגדים צואים *veſtibus ſordidis*. vſ. 3. *Joſua indutus erat veſtibus ſordidis, & ſtabat coram Angelo.* Unde

vſ. 4.

vſ. 4. ſubjungitur: *Reſpondens Angelus, alloquutus eſt eos qui ipſi adſtabant, dicendo: amovete veſtes ſordidas ab eo, & dixit ei: vide, tranſtuli a te iniquitatem tuam, ut induam te* מחלצות. Deſcendit vocabulum a Themate חלץ *exuit, extraxit.* Qua tamen ratione inde deductum fuerit, & quodnam præciſe veſtimenti genus deſignetur, de eo non omnium eadem eſt ſententia. In hoc tamen convenire videntur doctiores Interpretes, quod per מחלצות *veſtes* intelligendæ ſint *pretioſiores*. LXX. hic habent τὰ μεσοπόρφυρα, *prætextas purpureas*. Chaldæus כתוניא *tunicas*. Arabs مرقبهن *ornamenta colli*. Syrus [illegible] *veſtes ſericas*. Sed Zach. III. 4. Græci exhibent: ἐνδύσατε αὐτὸν ποδήρη, *induite eum veſte talari*. Arabs: ألبسوه ملحفة *induite eum toga*. Syrus ܡܐܢܐ ܓܒܝܐ *veſtibus optimis*. Solus ſibi conſtans eſt Vulgatus Interpres, utroque in loco exhibens *mutatoria*.

II. Judæi quoque non conſentiunt in hujus vocis expoſitione. Kimchi in Jeſ. habet: הם לבושים נאים *ſunt veſtes elegantiores*. Generaliter nimis. Sed in Libro Rad. eam de *veſtibus mutatoriis* intelligit: כן נקראו חליפות הבגדים לפי שלובש אלו בהסרת אלו *Sic vocantur mutatoriæ veſtes, nam qui eas induit, alias exuit & deponit*. Eadem habet R. Salomo b. Melech, niſi quod addat: מענין חלץ מהם *eas nómen eſſe ſortitas a notione* extrahendi, *Hoſ.* V. 6. Alii potius ſequuntur Chaldæum Paraphraſten, qui, ut notavimus, per *tunicas* exponit. Sic Raſchi המחלצות כיתוניא כמו וקח לך את חליצתם שהגוף מלובש בהם ושפושטין אותה חולצין אותה מן הגוף *Intelliguntur* tunicæ, *ut* 2 *Sam.* II. 21. ſume tibi את חליצתו (ſic legendum pro חליצתם) tunicam ejus. *Eſt veſtis corpus* proxime *tegens*, *no-*

Judæorum ſententiæ.

nomen adepta a notione detrahendi, *nam quando exuitur*, detrahunt *eam de corpore*. Hinc in Verſione Judæo-Germanica habent: דיא העמדיר *die hembder* induſia. Utramque ſententiam exprimere voluiſſe videtur Abarbanel: הם כתנות והוא שם כולל לכל בגדי חמודות כמו והלביש אותך מחלצות *Denotantur* tunicæ; *& nomen hoc ſub ſe comprehendit cujuscunque generis veſtes pulchras, & deſiderabiles, ut Zach*. III. 4. ſed eo ipſo, quod veſtimenti genus non niſi dubitanter definire audeat, ſatis oſtendit, ſe nihil habere certi, & proprium vocis ſignificatum ignorare.

Variaeque noſtrorum Interpretum expoſitiones.

III. Eorum ſententiam, qui per מחלצות *veſtes* intelligi putant *mutatorias*, ex noſtris Interpretibus quam plurimi adoptarunt. Vatablus: *Veſtes mutatorias ſignificat. Ita dicuntur veſtes pretioſiores, quod illis non ſemper utamur*, vel, ut habet Buxtorfius, *quorum diebus ſacris ac feſtis uſus eſt*. Sic etiam Lutherus: *die feyerkleider*, veſtimenta feſtiva. Belgæ: *De Wiſſel-kleederen*. Et ſic plures alii. Videntur reſpexiſſe ad Radicem חלף *mutavit*, unde חליפות שמלות *mutatoriæ veſtes*, Geneſ. XLV. 22. 2 Reg. V. 22. 23. &c. Sed חלף illud cum חלץ *extraxit*, nullam habet adfinitatem. Neque, ut quidam putarunt, illa explicatio confirmari poteſt ex Judic. XIV. 19. ideo quod ibi veſtimenta, חליצות dicta, mox חליפות *mutatoriæ veſtes*, appellentur. Nam abſonum foret dicere, Simſonem occiſis Philiſthæis abſtuliſſe *veſtes mutatorias*. Sed חליצות ibi notat *Exuvias*, ſ. veſtes hoſti *detractas*, ut 2 Sam. II. 21. eæ autem a Simſone convivis traditæ tum demum fiebant חליפות *mutatoriæ veſtes*; nam, ut mutari queant, plures vel geminas ſaltem eſſe oportet.

Alii noſtrum מחלצות exponunt per *ſyntheſes veſtium*. Sic Junius & Tremell. hic annotantes: *id eſt, multiplicem mun-*

mundum muliebrem veſtimentorum, ad varietatem & mutationem frequentem. Ipſos ſequuntur Piſcator, & Verſio Anglica, quæ habet: *the changeable ſuits of apparel.* Sed nullum plane argumentum video, quo hæc ſententia ſe tueatur. Imo ſi una hac voce מחלצות totus apparatus & complexus muliebrium veſtimentorum denotaretur, non opus Prophetæ fuiſſet, quasvis ornamentorum ſpecies ſigillatim recenſere.

Paulo diverſam a vulgari & recepta vocis originationem Forſterus exhibet, ſtatuens, in Dict. L. H. מחלצות proprie ſonare *Extracta*, id eſt, veſtes extractas & pretioſas, ſeu feſtivas, & delectas a communi & vulgari uſu, ut ſunt Latinis dicta *paludamenta.* Cui, ut ſolet, Forerius ſubſcripſit. Non ſpernenda hæc conjectura, in qua fere nihil aliud deſidero, quam quod Vir Doctiſſimus veſtimenti, quod intelligit, genus non preſſius definiverit, vel, ulteriori luce deſtitutus, definire non potuerit.

Nec defuere, qui a Nomine חלצים *Lumbi*, deducere tentarunt noſtri מחלצות ſignificatum. Huc Caſtalio videtur inclinare, habens *ſupparos.* Præ aliis autem hanc derivationem urſit Cl. Guſſetius in Comm. Ling. Hebr. *Non erant veſtes*, inquit, *neceſſariæ aut vulgares, ſed ad faſtum factæ. Attamen cum lumbi & a parte poſteriore, & procul a capite colloque jaceant, ideoque non ſint locus ornamentis pretioſis oſtentandis idoneus, ſed iis tantum, quæ minus propinquum conſpectum requirunt, ideo puto fuiſſe aliquod indumenti genus, quo* חלצים *ſeu lumbi proxime ſubſtringerentur, eo fine, ut corporis forma ſubſtricta agilis decoraque magis appareret.* Et addit: *De mutatoriis vero cur exponatur, non video.* Verum, ut alia taceam, nullo modo hæc expoſitio quadrare poteſt Zach. III. 4. ubi, ut jam vidimus, מחלצות opponuntur בגדים צואים *veſtibus ſordidis & inquinatis.* Quemadmodum vero hæ intel-

Digitized by Google

ligantur totum corpus texiſſe Joſuæ Sacerdotis, ita &, quæ, illis amotis, ipſi appoſitæ ſunt מחלצות non potuerunt non eſſe tales, quæ totum corpus amicirent. Quodſi enim non niſi *ſuppari* fuiſſent, ſeu *indumenta*, quibus *lumbi ſubſtringerentur*, reliqua corporis parte manſiſſet nudus, quod non eſt putandum.

Singularis etiam eſt Celeb. Vitringæ de hac voce מחלצות ſententia. Qui, rejecta communiori expoſitione per *veſtes mutatorias*, illam interpretatur per *veſtes laxiores*, *remiſſiores*, *quales ſunt mollium ac delicatorum hominum*, *imprimis mulierum*, *ſplendide ornatarum*. Addit: *hanc genuinam eſſe notationem vocis* חלץ; *unde* חלוצים expedite cincti, *&* *inſtructi*. Et hinc colligit, intelligendas eſſe *ſtolas Matronarum*. Sed, quod pace Viri ſummi dixerim, non invenio primariam Radicis חלץ poteſtatem in *laxando* eſſe collocandam. Eam in *extrahendo* ponendam potius eſſe omnia ſuadent. Quæ & non uno in loco Scripturæ ſuperſtes. Ut Deut. XXV. 9. וחלצה נעלו *extrahet calceum ejus*. Ubi Kimchi חלץ per שלף exponit, quod & illius loco adhibetur Ruth. IV. 7. 8. & indubia pollet *extrahendi* notione. Sic & Levit. XIV. 43. חלץ את האבנים *Extraxit lapides* ex muro. Quam ad nativam poteſtatem & omnes reliqui uſus ſecundarii facile poſſunt reduci. Ut ab *extrahendo* ſubnata notio *liberandi*, quoniam, qui liberat, *extrahit* ex miſeriis, ærumnis, & periculis. Nullum autem invenio locum, qui ſignificationem *laxandi* manifeſte requirat. Provocat quidem Vir Celeberr. ad nomen חלוץ, quod vertit per *expedite cinctum*. Verum, præterea quod ab hoc uſu haud adeo proclivis & facilis videatur ad *veſtes*, quas vult, *laxiores* conſequentia, ſane nullum mihi dubium eſt, & ipſum ſignificatum

ex-

Digitized by Google

expediti, in ſpecie ad *militiam*, primigeniæ Thematis poteſtati, quam in *extrahendo* poſuimus, ſuam debere originem. Eſt enim חלוץ proprie miles, ad certam quandam expeditionem ex promiſcuo coetu *extractus* & delectus, (Gallice, *un detachement*, vel *un Corps detaché.*) Unde & plena phraſis eſt חלוצי לצבא *extracti ad militiam*. Vid. Numer. XXXI. 5. Joſ. IV. 13. 1 Chron. XII. 23. 2 Chron. XVII. 18.

IV. Itaque retinebimus quidem omnino primariam *extrahendi* poteſtatem, qua Thema חלץ gaudet. Inde tamen ob librorum & exemplorum penuriam non ſtatim liquet, quodnam veſtimenti genus per vocem מחלצה ſit intelligendum. Quod ut definiamus, noſtra nunc erit cura; eumque in finem locupletes ad Theſauros Arabiæ nos conferemus. Ubi geminum ſe offert Thema خلص חלץ & خلع חלע, τῶ (ץ), ut ſæpiſſime tum apud Arabes, tum Chaldæos, imo in ipſa Hebræorum Dialecto, fieri aſſolet, in (ע) transmigrante. Utrumque Thema cum Hebræo חלץ quam amiciſſime conſpirat. Quod ad خلص attinet, id primigeniam illam notionem Radicis Hebrææ fideliſſime aſſervavit. Nam *extrahendi* ille ſignificatus frequenti uſu teritur. Ut in Hiſt. Tam. p. 16. ليستخلص من يده بلاده *ut provinciam ex ejus manu extraheret*. Et p. 320. *Confertur Arabum חלץ.*

واستخلصوا الاموال من ايدي البرايا بالفجور

Opes ex manibus hominum violenter extraxerunt.

Porro quemadmodum Hebræi חלץ in Conj. III. dicunt pro *ſalvare* & *liberare*, ut 2 Sam. XXII. 20. Pſalm. CXVI. 8, ita & eadem proprietas in خلص ſub Conj. II. reſidet,

ſidet, quæ Tertiæ Hebræorum reſpondere ſolet. Ut Hoſ. I. 7. اخلصهم بالرب الههم *ſalvabo eos per Dominum Deum eorum.* Et mox: ولست اخلصهم بقوس *non ſalvabo eos per arcum.* Diverſa paululum metaphora اخلص ſignificat *purificare,* ab *extrahendo* Chemicorum; unde proprie de *metallis* uſurpatur. Abdalla Mutazzides Poëta apud Elmac. p. 187.

فذابت كذوب التبر اخلصه السبك

Liqueſcit inſtar auri, quod fuſio extraxit, & purificavit.

Quæ poteſtas plures ad figuras transfertur. Unde in Lexicis hæ notiones enatæ: *Bonus & exquiſitus fuit. Pura, impermiſta, mera & ſincera fuit res.* Sed pluribus hæc perſequi nunc non lubet.

Et eorundem חלץ. V. Reliquæ Thematis Hebræi notiones ab Arabibus Themati خلع reſervatæ. Cujus ante omnia oſtendenda eſt cum Hebræo חלץ convenientia, & intima affinitas. A Cl. Golio id primo loco ſic exponitur: *Extraxit, detraxit,* ſc. lenius quam نزع, *exuit veſtem, calceos.* Sic Gjeuhar. خلع ثوبه ونعله. Notum eſt, & Hebræorum חלץ eosdem uſus admittere. Id *extrahere* calceos notat Deut. XXV. 9. וחלצה נעלו, ubi Saadjas Arabicus Interpres totidem literis: وخلعت نعله וחלעת נעלה *extrahet calceum ejus.* Et Ruth. IV. 7. 8. ubi in Textu Hebræo pro חלץ adhibitum verbum cognati ſignificatus שלף, Arabs reddidit: ان يخلع خفيه *ut extraheret* (יחלע) *calceos ſuos.* Occurrit eadem phraſis & in Alcorano Sur. XX. 12. فاخلع نعليك *ex-*

extrahe calceos tuos. Et in Harir. Conſ. I ريث ما خلع نعليه *usque dum calceos exuiſſet.* Alter uſus *exuendi* vel *detrahendi veſtes* non minus apud Arabes frequens. Hiſtor. Tamerl. p. 413. امر بثياب محمد قاوجين فنزعت وبخلقان هراملك فخلعت *Jubet indumenta Mohammedis Caugjinis exui, & detrahi veſtes laceras Haramelecis.* In ſpecie verbum de *veſte* uſurpatur, quæ violenter *detrahitur.* Ut in Hiſt. Val. واسروه وخلعوا عنه ثيابه *In vincula compactum veſte ſpoliarunt.* Vid. & Abulfar. Hiſtor. Dyn. p. 88. Et Hiſtor. Tamerl. p. 25. Eſt itaque ipſiſſimus ille uſus, quem & Hebræorum חלץ admiſiſſe vel ex ſolo derivato חליצה conſtat, quod ſumitur de *veſte* hoſti detracta, Judic. XIV. 19. 2 Sam. II. 21. Inſigne & indubitatum jam habes documentum intimæ conſanguinitatis, quam Arabicum خلع cum Hebræa Radice חלץ colit. Neque prætereunda notio *luxandi*, *locove movendi* lapides, qua idem חלץ pollet Levit. XIV. 40. 43. ubi de ædificio lepra infecto: חלצו את האבנים *luxabunt & loco movebunt lapides*, in quibus eſt plaga. Hic notatu dignum eſt, Arabicum Interpretem in vertendo hoc loco iterum خلع ſuum adhibuiſſe. Habet enim: فليامر بان تخلع الحجارة التي فيهن البلاء *Jubeat* Sacerdos, *ut luxentur*, vel *evellantur lapides, in quibus eſt plaga.* Et vſ. 43 بعد ما خلعت الحجارة *poſtquam luxati fuerint lapides.* Adde Ezech. XXV. 9. ubi Arabs habet: انا اخلع كتف مواب *ego luxabo humerum Moabi.* Conſimiliter Eutychius Annal. T. I. p. 401. خلع كتفه *luxavit ſcapulam ejus.* Et Abulfar.

in Hiſt. Dyn. p. 279. فعذب وخلعت عظامه *cruciatu affectus eſt, luxatis oſſibus*; ut Cl. Pocock. vertit. Et ad hujus Thematis Conj. VII. Cl. Golius obſervat hunc ſignificatum: *E loco ſuo exiit exciditve* membrum vel os. Exemplum habes 2 Reg. VI. 5. فانخلع الفاس *Luxata excidit ſecuris.* Vid. & Abi-Gjafar ibn Tophail Epiſt. p. 162. Denique Celeb. Schultens, quem pleniſſime hic mecum conſentire non ſine quadam voluptate reperio, in Clav. Dial. p. 290. pro adſtruenda Arabici خلع cum Hebræo חלץ affinitate, argumentum quoque ex hujus peculiari uſu Hoſ. V. 6. deſumit, ubi eſt חלץ מהם *ſubtraxit*, vel, *ſubduxit ſe ab illis.* „ Plena, inquit Vir „ ſummus, loquutio eſt خلع يده *extraxit, exuitque* „ *manum ſuam* ab illis; in *Hiſt. Tamerl. p.* 90. Et ad- „ dit: „ Niſi malis fortiore adhuc ſenſu apud *Hoſeam*, „ *Luxatus eſt ab illis*, pro, *non ſine dolore ſocietatem cum* „ *iis penitus abrumpere coactus eſt* „. Quemcunque præferas ſenſum, harmonia Radicis خلع cum Hebræo חלץ inde confirmari poteſt.

Cujus uſus ſpecialior eruitur.

VI. Ex hiſce ſtricturis intima affinitas, & perpetuus conſenſus, Thematis Arabici خلع, quod nunc præ manibus habemus, cum Hebræa Radice חלץ tam clare elucet, ut neminem ea de re amplius dubitaturum putem. Itaque pleniori nunc jure aliam adhuc notionem, qua illud خلع gaudet, protrahere, & Hebraiſmo, unde diu exulavit, reſtituere ac vindicare licebit. Nempe Arabibus خلع ſignificat quoque: *Induere aliquem veſte ſplendida & pretioſiori.* Potuitque hic uſus inde emanare, quod viliora veſtimenta, antequam pretioſiora induantur, *exuenda* ſint, & *detrahenda*, maxime cum eo potiſſimum ſenſu, ut jam monuimus, ipſum Thema uſurpetur. Ut ex ipſo hoc ſigni-

Google

gnificatu ſimul intelligatur, ei, qui antea minus pretioſas gerebat veſtes, ſplendidiores & ornatiores eſſe appoſitus. Exhibeamus quaedam exempla. Hiſt. Tamerl. p. 25. ويخلع عليهم افخر اللباس *induit eos ſplendidiſſima veſte.* Et p. 301. ويسقيهم الكاسات بيده ويحل كلا منهم محل اخيه وولده ويخلع عليهم الخلع السنية ويجزل لهم المواهب والعطية *Pocula ipſis propria manu porrexit, fratrum & filiorum loco eos habens, atque pretioſiſſimis chlamydibus indutos ampliſſimis muneribus ornavit.* Et in Annal. Bagd. وخلع عليها ثوبا مرصعا بالذهب *induit eam veſte auro plumata.* Nonnunquam & breviter dicunt: خلع عليه *veſte pretioſa aliquem donavit & induit.* Vid. Hiſtor. Sarac. Elmacini p. 178. 190. 235. 240. &c. Quibus in locis, aliisque quam plurimis, noſtrum خلع de ornatioribus & ſumtuoſis adhibetur chlamydibus, quas, pro more Orientis perquam antiquo, ipſaque ex Scriptura, plurimisque profanis Scriptoribus, notiſſimo, Reges, Principes & Magnates, Miniſtris, Legatis, Amicis, tanquam benevolentiæ & amoris pignus, condonare & induere ſolent.

VII. Hinc autem derivatum خلعة *veſtem* quidem in genere denotat *pretioſiorem*, uti & Cl. Golio خِلْعَةٌ eſt *ornare regia veſte*, & خُلْعَةٌ *chlamys*, pec. *quæ donatur honoris ergo*; uti & ex Hiſt. Tamerl. jam habuimus الخلع السنية *chlamydas pretioſas.* Unde & Arabs Interpres aliquoties hac voce uſus eſt pro exponendo חליפות *veſtes mutatoriæ.* Ut Geneſ. XLV. 22. *Unde* חלעה *chlamys plumata.*

22. ubi in Hebræo eſt: לכלם נתן לאיש חלפות שמלות *ſingulis dedit mutatorias veſtes*, ille habet: واعطى لكل رجل منهم خلعة *Dedit cuilibet viro ex ipſis chlamydem pretioſam.* Et ſtatim vſ. eod. *Sed Benjamini dedit trecentos argenteos*, וחמש חלפות שמלות *& quinque mutatorias veſtes.* hic iterum Arabs: وخمس خلعات *& quinque chlamydas pretioſas.* Sic & 2 Reg. V. 5. *Sumſit in manum ſuam* —— עשר חליפות בגדים *decem mutatoria veſtimenta.* Hic Arabs: عشرة خلع من اللباس *decem pretioſas chlamydas veſtimentorum.* Item ibid. vſ. 22. *Da quæſo illis talentum argenti*, ושתי חליפות בגדים *& duas mutatorias veſtes*; hic ille iterum: وخلعتين من الثياب *& duas pretioſas chlamydas e veſtibus.* Unde tamen non concludendum, hoc خلعة vel per ſe, vel ob affinitatem quandam cum voce חליפות, per *veſtem mutatoriam* proprie poſſe exponi. Nam cum ea nihil habet commune, nec ob aliam cauſam ei ſubſtituitur, quam quod mutatoriæ veſtes ſoleant eſſe *pretioſiores*, quales ab Arabibus خلعات, vel, alia forma, خلع, appellantur.

In ſpecie autem, quod hic nobis maxime attendendum, per eandem vocem خلعة *chlamydes* deſignantur, auro, variisque ſignis, *plumatæ*, quas Latini una voce *Attalicas* dixerunt. Sic illa in Gloſſario Arabico-Perſico declaratur per جامه طراز *veſtem Thiraz.* Eſt autem طراز *Thiraz*, exponente Cl. Golio, non tantum *margo veſtis diverſi coloris*, pec. *intexto auro inſignis*, ſed & *ipſa veſtis pretioſa*, *qualis Regi texitur*, pec. *Phrygii operis.* Unde & طرز in II. Conj. eſt *acupingere* veſtem, *& auro plumare.* Ut 2 Chron. II. 14. legitur: والثياب المطرزة *veſtes*

veſtes acu pictæ. Et illam expoſitionem vocis خلعة per *veſtem Thiraz* valde confirmat, quod legitur in Hiſt. Tamerl. p. 401. وطرزت بسيرك خلع دهرهم *Attalicas chlamydas hujus ſeculi tuis rebus geſtis plumavi.* Et p. 416. وطرزت خلع اعلامها باعلام *Attalici panni vexillorum elegantibus ſignis plumati erant & variegati.* Denique in ejusdem Auctoris Appendice MS. ad Hiſt. Tam. p. 5. وطرزت خلع ذلك كله باعلام الايات الشريفة *Hæc omnia ceu chlamydem plumavi notis ſignorum illuſtriorum.* Nec alienum eſt, quod in Hiſtor. Valid. habetur: ويخلع عليه طرازا *Ipſum induit* (חלע) *veſte auro plumata.* In quibus omnibus locis hoc maxime notandum, quod طراز, & inde factum Verbum طرز *auro plumare* & *acu pingere* opere Phrygionico, cum nomine خلعة, ipſoque Verbo خلع, quam proxime conjungantur; quod manifeſto eſt indicio, veſtem, quæ per illud vocabulum denotatur, præ quacunque alia, auro plumari, & Phrygionico opere acu pingi, ſolere. Proinde non mirum, ipſas quoque *chlamydas Imperatorias*, quæ, ut notum eſt, pretioſiſſimæ eſſe ſolent, خلعة appellari. Ut apud Elmac. Hiſt. Sar. p. 235. خلع عليه الخليفة. الخلعة السلطانية *induit ipſi Chalifa chlamydem Imperatoriam.* Et p. 240. وسير اليه ومعه. الخلعة السلطانية *miſit ad eum Imperatoriam chlamydem.* Unde cum inveſtitura per talem chlamydem fieri ſoleat in Oriente, in ipſum Thema recepta notio *inaugurandi*, vel *impertiendi inveſtituram.* Vid. eundem Elmac. p. 217. 240. Et alibi ſæpe, etiam apud Abulfar. Porro notionem *chlamydis plumatæ* lubentiſſime quoque admittit,

imo ſubinde requirit, illud خلعة, quando, ex uſu quem paulo ante ad ipſum Thema obſervavimus, de veſte accipitur, quam Reges dono dant, honoris ergo. Ut in Hiſt. Tamerl. p. 199. فالبس كلا منهم من هولاء الاعيان خلعة *Induit ſingulos Proceres chlamyde plumata.* Hiſtor. Valid. ولم يطلقه الا وقد خلع عليه خلعة *Nec eum dimiſit, niſi chlamyde plumata donatum.* Et veſtis, quæ hic appellatur خلعة, mox dicitur fuiſſe ثوب منسوج بالذهب *veſtis cui intextum aurum.*

Sed foeminas quoque ditiores ſuperbius hoc veſtimenti genus portare, liquet ex Annal. Bagd. de foemina nobili: حتي اشترت خلعة مرصعة وديباجة مرقشة بخمسين الف دينار *Emit chlamydem plumatam, gemmisque diſtinctam, una cum veſte ſerica, variis coloribus tincta, quinquagies mille nummis aureis.* Addatur Safcirius:

فانك لو رايت الخود
تتخذن الخلعة دثارا *

Quum videris foeminas molles,
Quæ ſumunt chlamydas plumatas loco veſtis exterioris.

Eſt enim revera خلعة non minus ac دثار veſtis exterior, quæ tunicæ pallii loco ſuperinduitur, & ad talos usque deſcendit. Unde non incommode per *chlamydem* exponi poteſt, quam vocem & Cl. Golius adhibuit. Maxime cum a Latinis Scriptoribus veſtimenta auro inſignia, acu picta, variisve coloribus diſtincta, fere conſtanter *chlamydes* appellari ſoleant. Virgil. Aen. III. 484. V. 249. Silius

lius IV. 680. Sic Pollux lib. IV. cap. 18. χλαμὺς διάχρυσος, χρυσόπαστος, φοινικίς. &c. &c.

VIII. Concludamus nunc ex iis, quæ hactenus tum de intima & perpetua convenientia Thematis خلع cum Hebræo חלץ, tum de vocabuli خلعة uſu & ſignificatione, dicta ſunt, per Jeſajæ מחלצות nihil aliud intelligendum eſſe, quam *chlamydas plumatas*, variisque figuris, coloribusque, maxime auro, inſignes. Talibusque veſtimentis ſplendidioribus admodum delectatas eſſe, ab antiquiſſimis temporibus, Orientalium, ipſorumque Hebræorum, foeminas, fere notius eſt, quam ut indigeat probatione. Ut Pſalm. XLV. 10. נִצְּבָה שֵׁגַל לִימִינְךָ בְּכֶתֶם אוֹפִיר *ſtat Conjux ad dextram tuam in auro Ophirino*; h. e. in veſte ornata auro Ophirino. Et ibid. vſ. 14. *Filia Regis* מִמִּשְׁבְּצוֹת זָהָב לְבוּשָׁהּ *veſte teſſellata auro induta.* Adde 2 Sam. I. 24. *Filiae Iſraëlis, Saulem deflete, qui induit vos coccino, cum deliciis,* הַמַּעֲלֶה עֲדִי זָהָב עַל לְבוּשְׁכֶן *qui induxit ornatum auri ſuper veſtimenta veſtra.* Et Joſephus Antiq. Lib. V. cap. 1. אדרת שנער *pallium Sinhar*, Joſ. VII. 21. exponit per χλαμύδα βασίλειον ἐκ χρυσοῦ μὲν πᾶσαν ὑφασμένην, *paludamentum regium ex auro totum intextum.* Malunt quidem Viri Docti Græcorum Interpretum ſequi explicationem, qui habent στολὴν ποικίλην, *ſtolam pictam*, ſ. variegatam, variisque coloribus aut figuris diſtinctam, & intextam, ideo quod ejus texturæ artificioſæ inventio Babyloniis debeatur. Martialis lib. VIII.

Quales ab antiquiſſimis temporibus habuere foeminae Hebraeae.

Non ego prætulerim Babylonica picta ſuperbe
Texta Semiramia quæ variatur acu.

Plinius lib. VIII. cap. 48. *Colores diverſos picturæ intexere Babylon maxime celebravit, & nomen impoſuit.* Adiſis Cl.

Bo-

Digitized by Google

Bochartum in Phal. lib. I. cap. 6. Conciliari tamen LXX. Interpretes cum Joſepho poſſunt, ſi obſervemus, veſtem ποικίλην non tantum eſſe, quæ diverſis coloribus, aut elegantibus figuris & ſignis, vel intextis, vel acu adpictis, ornata eſt, ſed & quæ auro plumata, aureisve notis diſtincta. Sic apud Herodianum legas lib. V. Ἐσθῆτα χρυσῷ καὶ πορφύρᾳ πεποικιλμένην. *Veſtem auro & purpura variegatam.* Diodorus Siculus lib. XVIII. multas veſtes pretioſas a Macedonibus militibus in Perſepolitana præda direptas enarrans, inter alias habet τὰς μὲν θαλασσίαις πορφύραις, τὰς δὲ χρυσοῖς ἐνυφάσμασι, πεποικιλμένας. *veſtes alias marina purpura, alias intexto auro, variegatas.* Nec alienum, quod στολὴ ποικίλη καὶ χρυσόσημος *ſtola picta & auro inſignis* legatur apud Dionyſ. Halicarn. Ant. Rom. lib. V. p. 314. Sic & combinavit Virg. Aen. I. 652.

> — *pallam ſignis auroque rigentem.*

Ubi optime Servius: *ſignis auroque h. e. ſignis aureis.* Et Aen. III. 484.

> *Fert picturatas auri ſubtemine veſtes.*

Ut & Valer. Argon. III. 340. dixit *veſtes pictas auro*, & Silius lib. IV. *veſtes auro virgatas.* Unde & *aurum Babylonicum* vocatur, quod veſti more & artificio Babyloniorum intextum, vel acu adpictum; ut a Publio Syro in Petronii Satyrico:

> *Plumato amictus auro Babylonico.*

Poteſt itaque veſtis ποικίλη Græcorum eadem eſſe, quæ *aurea*, vel *auro intexta* Joſephi. Quare & nihil prohibet, quo minus in iis Scripturae locis, ubi רקם vel רקמה foeminarum dicitur fuiſſe ornamentum, veſtes intelligamus, quibus *aurum acu adpictum*, opere Phrygionico. Ut Ezech. XVI.

Digitized by Google

XVI. 10. אלבישך רקמה *indui te veſte picta* vel *plumata* auro. Vid. & ibidem vſ. 13. 18. Item Ezech. XXVII. 24. *In palliis hyacinthinis* ורקמה *& pictis* auro. Sic & Pſalm. XLV. 15. *Sponſa* dicitur לרקמות *in veſtibus plumatis acu ducenda ad Regem.* Ubi per משבצות זהב, paulo ante vſ. 14. memoratas, videntur intelligi veſtes, quibus aureæ, variæ, & elegantes notæ ac figurae ipſa textura impreſſæ, per רקמות autem, quibus eæ adpictæ ſunt acu. Alexandrini certe Interpretes ubique habent ἔργον ποικιλτόν; quod vocabulum ad exprimendum ornatum aureum proclive eſſe, ex iis quæ jam diximus, apparet. Uti & Vulgatus in Exodo aliquoties, *opere plumarii*, vel *arte plumaria.* Saltem hoc certiſſimum, רקם non de una materia, quæ acu adpingitur, ſemper intelligendum eſſe, ſed vocem eſſe generalem, & idem notare ac Latinorum *plumare*, vel *acu pingere*, aut *variare*, ideoque tam de auro, quam alia quacunque materia, quæ veſti ope acus inducitur, uſurpari poſſe. Quodſi vero nec hoc eſſet, non tamen ideo iſta Scripturae loca, in quibus רקם & רקמה foeminarum cultus dicitur, fruſtra adduxiſſemus; cum nemo ſit qui dubitet, רקם idem eſſe ac *pingere acu opere Phrygionico*; hoc autem pro noſtro argumento ſufficiat, qui ſupra adſtruximus, per خلعة, & hinc, quod inde illuſtravimus, מחלצה, in genere *veſtem opere Phrygionico ornatam* deſignari.

Antiquiſſimam vero artem eſſe, aurum, aliave pretioſa, (non tamen argentum, quod deducere in fila ſerius didicerunt) veſtibus intexendi, vel & acu inducendi, ita ut variae & elegantes exprimerentur figuræ, dubitari nequit. Nam Moſis jam ætate illam repertam & notam fuiſſe, conſtat ex ejus deſcriptione veſtium ſacerdotalium, quas inter erant, quibus aurum intextum, ut &, quibus varia ornamenta acu (מעשה רקם) adpicta. Merito itaque

ſuſpecta fides Plinii, tradentis lib. VIII. cap. 48. *aurum intexere in Aſia inveniſſe Attalum Regem, unde nomen Attalicis.* Foret itaque ars recentioris inventi. Si veri aliquid ſubſit, forte Attalus artem, diu ante ipſum repertam, novo quodam invento perfecit, vel in regione, eam ignorante, docuit, uſumve plumatarum auro veſtium introduxit. Unde fieri potuit, ut artis inventor haberetur. Sic videntur & ſumenda, quæ de origine veſtium acu pictarum aſſerit, nempe *acu pingere veſtes Phryges inveniſſe, ideo Phrygiones appellatas.* Non enim vero ſimile, Iſraëlitas Moſis jam ætate occaſionem habuiſſe, artem hanc a Phrygibus addiſcendi.

Aliæque Orientales. IX. Interim hoc certum, ſplendidum hunc ornatum in Oriente & inventum, & primo geſtatum fuiſſe, inde autem ad Græcos, & ab his demum ad Romanos, emanaſſe. Frequentem in Aſia uſum & Orientales & extranei Scriptores paſſim obſervarunt. Quosdam jam adduximus, quibus nunc paucos alios adjungemus. Apud Elmacinum in Hiſt. Saracen. p. 233. legitur: ثوب منسوج بالذهب وبدايره من الجوهر كثير *veſtis intexta auro, in cujus limbo quamplurimi erant lapides pretioſi*, quæ geſtata ab uxore Achſchidis cujusdam. Abulfeda in Vit. Moh. p. 126. واخذ منه قباء ديباج مخوصا بالذهب *Detraxit ei tunicam boloſericam, auro virgatam.* Hiſt. Tamerl. p. 206. ونسج الحريريون له قباء بالحرير والذهب *Texuerunt ipſi ſericarii tunicam boloſericam, auro plumatam.*

Omitto alia, quæ magno numero huc poſſent convehi. Addam potius, ſplendido hoc ornatu Orientales populos olim adeo fuiſſe celebres, ut eo nomine & a Græcis fuerint notati. Dionyſ. Perieget. in Orbis Deſcript. vſ. 953. de Arabiæ matronis:

Χϛυ-

Χρυσείοις πέπλοισιν ἀγαλλόμενοι μαλακοῖσι.

Aureis veſtibus gloriantes mollibus.

Diodor. Sic. lib. V. docet, Perſas quoque χρώμασι πεποικιλμένας veſtes geſtaſſe. Maxime tamen hi delectabantur iis, quæ auro erant ornatæ. Sic *palla auro diſtincta*, apud Curtium, lib. III. quæ non diverſa ab ea quæ libro VI. vocatur *veſtis Perſica*, ut conſtat ex Juſtin. lib. XII. Unde & ornatus hic *barbarus*, h. e. Perſicus, appellatur. Eurip. Iphig. in Aul. Act. I.

— ἀνθηρὸς μὲν εἱμάτων στολῇ,
Χρυσῷ τε λαμπρὸς, βαρβάρῳ χλιδήματι.

— *florens ornatu veſtium*,
Et auro ſplendens, *barbarico luxu.*

Et Herodianus lib. V. memorat χιτῶνας χρυσοῦφεῖς σχήματι βαρβάρῳ. Sic Plutarchus non ſemel, στολὴ βαρβαρικὴ, pro *veſte aurata*.

IX. Apud Græcos antiquiſſimis quidem a temporibus in uſu fuerunt veſtes πεποικιλμένω. Unde & Plinius obſervat, *Pictas veſtes jam apud Homerum fuiſſe*. Lib. VIII. cap. 48. quæ nempe elegantes figuras vel intextas habebant, vel acu adpictas. Sane earum ſatis claram aliquoties fecit mentionem. Ut Odyſſ. O. 105. 107. Et clariorem Iliad. Γ. 125. *Et Græcæ ac Romanæ.*

— — Ἡ δὲ μέγαν ἱστὸν ὕφαινε,
Δίπλακα, μαρμαρέην· πολέας δ' ἐνέπασσεν ἀέθλους,
Τρώων θ' ἱπποδάμων, καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων.

— — *Illa vero magnam telam texebat*,
Duplicem, *ſplendidam*; *multaque intexebat certamina*,
Trojanorum equis pollentium, *& Achivorum ære loricatorum.*

Ubi

Ubi optime Scholiaſtes Ἐνέπασσεν per ἐνεποίκιλλεν exponit. Alias & animalium vel florum figuras intexebant. Unde Heſychius ποικιλτὸν ἱμάτιον explicat per ζωγραφητὸν, & Polluci lib. VII. cap. 13. καταστικτὸς eſt χιτὼν ὁ ἔχων ζῶα ἢ ἄνθη ἐνυφασμένα, *tunica habens animalia & flores intextos.* Nuſpiam vero, quantum recordor, auratæ veſtis expreſſa apud Homerum facta mentio, quamvis Iliacis temporibus non ignotam ipſis Græcis fuiſſe, Virgilius tradat Aen. lib. I. & IV. Saltem, ut mihi videtur, ea veſtis in Græcia antiquioribus ſeculis publice recepta non fuit. Alias enim eam non *barbaram* dixiſſent, ut paulo ante vidimus. Nec mirati eſſent & riſiſſent Athenienſes peregrinum quendam cum ποικίλῃ ἐσθῆτι καὶ χρυσῷ, *veſte picta & auro diſtincta*, in publicum prodeuntem, ut habet Lucianus in Nigrin. p. 27. Creſcens tamen in dies luxus in Græcia, temporis ſucceſſu, nihil non fecit licitum & receptum, quod prolixe exequitur Athenæus lib. XII. Clemens Alexandrin. refert, apud Lacedæmonios ſolas meretrices floridas auroque ornatas veſtes geſtaſſe; Athenienſium vero foeminas ſine diſcrimine *crobulo aureo* ſe amiciviſſe. Pædag. lib. II. cap. 10. Idem & Suidas teſtatur. Et Crotonienſium matronæ *auratas veſtes* habebant, docente Juſtino lib. XX. cap. 4.

Romanas foeminas eidem immoderato luxui quam maxime deditas fuiſſe, notius, quam ut egeat probatione. Habebant eae veſtes plumatas, acu pictas, auro diſtinctas, easque rurſum pro vario ornatu clavorum, virgarum, ſignorum, figurarum, diverſis nominibus inſigniebant. Agmen exemplorum ad manus eſt, ſed unus ſufficiat Ovid. de Rem. Am.

Auferimur cultu, gemmis auroque teguntur
Omnia, pars minima eſt ipſa puella ſibi.

Unde & puella eidem *aurata* dicitur, de arte lib. II.

Aurata eſt, ipſo tibi ſit pretioſior auro.

X. Hæc

Digitized by Google

X. Hæc de מחלצות *Chlamydibus plumatis* foeminarum *Quid*
ornamentis. Sed vidimus ſupra, etiam Sacerdotem maxi- *מחלצות notet Zach.*
mum Joſuam Zach. III. 4. veſtibus מחלצות induendum III. 4.
dici. Intelliguntur autem procul dubio veſtes ſacerdotales. Aliæ enim Pontificem, munere ſuo functurum, ut ex ſequentibus, maxime vſ. 7. apparet, non decebant. Unde & nomen illud in multitudinis numero poſitum, quia totum complectitur habitum Pontificalem, pluribus veſtibus, ceu partibus, conſtantem. Inde autem, quod τοῖς בגדים צואים *veſtibus ſordidis* & vilioribus opponatur, merito colligitur, veſtimenta pura & pretioſa denotari. Nihil itaque magis appoſitum, & vero vocis ſignificatui convenientius, quam ut *veſtes aureas*, Judæis בגדי זהב appellatas, hic intelligamus; ita dictas, quod vel auro eſſent intextæ & plumatæ, ut Amiculum, Pectorale, &c. vel aurum ſolidum iis exterius ornamenti loco appenderetur, aut adnecteretur, ut aurea tintinnabula, annuli, catenulæ, &c. & præterea multis aliis pretioſis, uti filamentis hyacinthinis, purpureis, coccineis, eſſent πεποικιλμένα. Vid. Exod XXVIII. XXXIX. &c. & Celeb. Braunii abſolutiſſimum opus de Veſt. Sacerd. Hebr. præcipue Lib. I. cap. X. Sed hoc maxime annotandum, veſtes haſce ſacerdotales, & pretioſiſſimas, in hoc Zachariæ loco מחלצות potius, quam quocunque alio nomine, appellari, ex uſu & ſignificatione Thematis Arabici خلع, ſuperius a nobis obſervata, & olim haud dubie Hebræis notiſſima, *induendi aliquem*, *vilioribus veſtibus indutum*, *ſplendidioribus & pretioſis*. Quo & totus Contextus clariſſime nos ducit, enarrans, Pontifici ſordida & viliora veſtimenta exuta eſſe, ut מחלצות, pretioſiora, & ornatiora, ipſi apponerentur.

Digitized by Google

C A P V T X V.

Probatur מִעְטָפוֹת denotare *Stolas* vel *Tunicas*.

I.

Antiquæ Verſiones quid habeant.

Quamvis certiſſimus, & extra dubium poſitus, ſit *tegendi* & *operiendi* ſignificatus Radicis עטף; attamen, tum ob primigeniae notionis abſentiam, tum rariſſimum vocis מעטפה uſum, quae non niſi ſemel in Scriptura locum occupavit, quale veſtimenti muliebris genus intelligendum ſit, non ſatis liquet. Alexandrini illam exponunt per *μεσοπόρφυρα*, *purpuras clavatas*. Chaldæus, שׁוּשִׁיפַיָּא *linteamina*. Arabs ومشقهن *pepla*, Syrus ܟܘܬܝܢܝܬܐ *tunicas*, Vulgatus *palliola*, uti & Symmachus *ἀναβόλαια*, quod Hieronymus exponit per ornamenta veſtium muliebrium, quibus humeri proteguntur.

Judæorum ſententiae.

II. Hebræorum Magiſtros ſi interroges, quid מעטפה olim denotarit, nihil aliud a plerisque reſponſi feres, quam fuiſſe aliquod כסות שמתכסים בו *tegumentum, quo ſeſe tegebant.* Ut ait ipſe Kimchius in Lib. Rad. quibus addit R. Salomo ben Melech: ומתעטפים בו *quoque ſe operiebant.* Aliqui auſi quidem ſunt, veſtimenti, quod ſignificatur, genus preſſius definire; inter ſe tamen minime conſentientes. Aben-Eſras in Comment. in Jeſaj. יש אומרים בלבוש תתעטף בו האשה ויש אומרים מחלצות חלוק ומעטפות מכנסים *Aliqui exponunt de* veſtimento, *quo ſe operit mulier; alii vero præcedens* מחלצות indusium, *hoc autem* מעטפות femoralia, *ſignificare volunt.* Aliter Abarbanel in Jeſaj. ad h. l. המעטפות תרגם יונתן ושושיפיא ואנקלוס תרגם ופתילך ושושיפך ומזה יראה שהוא בגד של פשתן דק שמביאים לקנח בו את הפנים

Vo-

Vocem מעטפות *Jonathan interpretatur per* שושיפיא, *qua dictione utitur Onkelos Paraphraſta ad Hebræum* פתילים (quod Judæorum plerique de *ſudario* accipiunt) *exprimendum. Geneſ.* XXXVIII. 18. *Unde apparet, per illam intelligendum eſſe linteamen tenue, quod pro abſtergenda facie geſtabant.* Ad aliam, ſed minori adhuc veri ſpecie ſe commendantem, ſententiam, idem Targumiſta Raſchin deduxit, qui ait ad h. l. המעטפות מצעות הכטה שושיפיא *Denotantur ſtragulæ lecti; nam Chaldæus* מעטפות *per* שושיפיא *interpretatur.* Nempe שושיפא *ſtragulum lecti* ſignificat apud Chaldæum Paraphraſtam Deut. XXII. 17. Sed quomodo illæ ad muliebrem ornatum referri poſſunt? Valde itaque miror, ineptam hanc R. Salomonis expoſitionem Magno Grotio arriſiſſe, qui, *Vox Hebræa*, inquit, *operimenta ſignificat. Videntur intelligi periſtromata lectorum;* περιπόρφυρες *&* μεσοπόρφυρες *ea fuiſſe, i. e. purpura circumtexi, aut intertexi ſolita, colligimus ex Græca hic interpretatione.* Quaſi ex unico exemplo, ad quod Raſchi hic reſpicit, de vero uſu & ſignificatione alicujus vocis judicium ferri poſſet. Nam שושיפא & de veſtibus uſurpari, & frequenter Hebræo אדרת reſpondere, ex pluribus conſtat locis, quorum nonnulla adduxit Cl. Buxtorfius in Lex. Chald. p. 2539. Profecto & Hebræorum בגד, nec non שמלה, Græcorumque ἱμάτιον, & Latinorum *Pallium*, (ut oſtendit Doctiſſ. Ferrarius de Re Veſtiar. P. II. Lib. IV. cap. 2. & 3.) interdum de *ſtragulis lectorum* accipiuntur: nemo tamen, opinor, inde colliget, hanc eſſe propriam & perpetuam earum vocum ſignificationem.

III. Noſtrates inter Interpretes non adeo magna eſt ſententiarum diverſitas. Pagninus exponit per *vela* ſ. *velamina.* Vatablus: *Operimenta, aut velamina, quibus ſcilicet ſe mulieres operiebant: palliola, amictus.* Junius & Trem. *Amicula*, quos ſequutus, ut ſolet, Piſcator. Forſte-

Et noſtrorum denique Interpretum.

ſterus dat *palliola*. Nec aliter fere Lutherus, Belgæ Angli. Sic & Cl. Guſſetius. Qui omnes veſtem videntur intelligere exteriorem, quæ tunicæ ſuperinduitur. Cl. Coccejus tamen per *calyptrum*, operimentum capitis muliebre, interpretatur. Similiter Bucherus de velat. foem. p. 91. 92. ait denotari *tegmen faciei*, *ſeu peplum*, *de tota vultus obvelatione exponendum*. Addit quidem: *Kimchium Eſ.* III. *annotare*, מעטפות pepla *eſſe*, *quæ totam*, *ſi oculum excipias*, *faciem foemineam obvelarint*. Sed vehementer fallitur; non enim hoc Kimchius de מַעֲטָפוֹת, ſed de רעלות tradidit; ut ſupra vidimus ſuo loco. Celeb. Vitringa noſtram Vocem declarat per *pallas*; & in Comm. hæc annotat: *Vox proprie valet* operimentum, *quod vel ad* caput, *vel ad* corpus, *referri poteſt*. *Si prius*: *eſt* calyptrum, *quod hic placuit Coccejo*. *Eſt enim* κάλυπτρον tegmen Capitis; flammea ſponſæ. *Si ad* corpus: *eſt* palla, amiculum, *veſti exteriori ſuperadjectum pallium muliebre*. *Hoc mihi maxime arridet*. Sed quodſi Thema עטף generalem *tegendi*, & *operiendi*, gerat ſignificatum, eamque ob cauſam ex illius uſu & proprietate dijudicari non poſſit, quodnam præciſe veſtimenti genus per מעטפות deſignatum olim fuerit, nihil ſupereſt, quam ut id vel veterum monumentorum, vel, ſi & hæc deſint, Dialectorum Linguæ Hebrææ, auctoritate definiamus.

Radix עטף *primo notat* inflectere.

IV. Mihi vocabulum מעטפות per *Tunicas* vertendum eſſe videtur; non tamen *interiores*, (quas per סרינים denotari inferius ſuo loco oſtendam) ſed *exteriores*, & hinc laxiores, & longiores, manicatas tamen & zona cingendas, ac ſub pallio induendas. Unde ſatis convenit cum *Stola* Matronarum Romanarum, quæ *tunica* erat amplior, longior, & *palla* circumdabatur, ſecundum illud Horatii:

Ad talos ſtola demiſſa & circumdata palla.

Hanc vero ſententiam ut amplectar, non antiquarum Verſio-

ſionum, quæ in omnia alia abeunt, ſi a ſola Syriaca diſceſſeris, hic habente, ut jam vidimus ܒܟܘܬܝܢܝܗܝܢ *tunicas earum*, ſed Dialecti Arabicæ, auctoritas me inducit. Quæ ut in lucem protrahatur, & in illuſtri collocetur, lubet paulo altius aſcendere, & antiquiſſimam Thematis עטף originem, unde omnes ſecundariæ notiones emanarunt, ex Arabum fontibus aperire; Quibus Thema עטף عطف, Hebræo intima affinitate connexum, multo uſu protritum eſt & percelebratum. Ejus vero primariam poteſtatem in *flectendo* ſitam eſſe, ex ipſis Arabum Lexicographis jam ſatis conſtat. Gjeuhar. عطفت اي ملت وعطفت العود. Unde Cl. Golius ad I. Conj. *Inclinavit*, *flexit*, lignum. *Duplicavit*, *in ſe flectendo accommodavit*. Et ad II. Conj. *Flexit* ligna. Item ad VII. *Inflexus*, & *in ſe reflexus fuit*. Unde معطف *incurvatus arcus*, & منعطف *flexus* vallis. Adjiciemus unum alterumve exemplum. Hiſtor. Val. اثقفت ما عطفت من عوده العفاريت *rectum & æquale reddidi lignum ejus*, *quod vafri homines inflexerant*. Abou-Iſhaac Zabiæus:

عطفت قناته السوابغ

Cujus haſtam profuſæ loricæ inflectunt.

Sic & Gjeuharius in declarando Themate حفض *inflexit*, utitur verbo عطف. Et poteſt princeps hæc *flectendi* notio ulterius confirmari ex ſecundario uſu, quo eadem Radix عطف quoque ſignificat *inclinata* eſſe & *propenſa* in aliquem voluntate. Hinc Golius in Lex. *Bene affectus*, *propenſus*, *propitius fuit*, erga eum. Pervagati uſus eſt hæc ſignificatio. Ut Eſr. VII. 28. الذي عطف

 قلبه

قلبه *qui propitium reddidit cor ejus*; vel, quod magis proprium, *qui inflexit cor ejus.* Et in V. Conj. Pſalm. VI. 5. تعطف بيّ *propitius eſto mihi.* Nec non in Conj. VII. 1 Reg. XII. 27. فتنعطف قلوب هذا الشعب نحو سيدهم *inclinabuntur corda hujus populi erga ſuum Dominum.* Frequentiſſimus vero eſt hic ſignificatus in Conj. X. quæ Golio eſt: *Conciliavit* alium alii, *fecit ut propitius faveret.* Hiſt. Tam. p. 255. استعطف خواطرهم *animos eorum ſibi conciliavit.* Eadem phraſis recurrit p. 344. Hinc & *reconciliare* notat. Ezech. XVI. 63. عند ما تستعطفيني لكِ *quum reconciliationem abs me petieris tibi.* Vid. & Abulfar. H. D. p. 56. Et عاطفة eſt *reconciliatio* apud Hafedh Poëtam:

دارم اميد عاطفتي از جناب دوست
كردم جنايتي واميدم بعفو اوست ❊

Spem foveo obtinendæ reconciliationis ab amico,
Quem offendi, & ſpes mea in condonatione ejus poſita eſt.

Eodem modo ab حنا *flexit*, *incurvavit*, ducta eſt notio: *Amoris affectione propenſus fuit.* Ut Job. XXIX. 4. حين كان يحنو الله فوق مسكني *quando propitius erat Deus domui meæ.* Similiter etiam ab حفض *inflecti, inclinari*, emanavit notio ſecundaria, in Hebræo חפץ ſuperſtes, *benevolum eſſe*, *delectari*, *appetere* aliquid; quaſi *propenſo* & *inclinato* eſſe in aliquid *affectu.* Qualis loquutio nec Latinis in ſuo *flectere*, *inflectere*, inſueta. Eandem translationem & Græci in ſuo γνάμπτειν admiſere. Homer. Il. A. 569.

— ἐπι-

— ἐπιγνάμψασα φίλον κῆρ.

Item Ω. 40.

— — οὔτε νόημα
Γναμπτὸν ἐνὶ στήθεσσι·

Et alibi ſæpe.

V. Hæc prolixius exſequuti ſumus, ut Vocis, a Themate عطف derivatæ, & ad noſtrum maxime ſcopum facientis, عطاف עטאף, pro qua tamen & معطف מיעטף, ut Hebræi olim מיעטפה, efferunt, Originem, propriamque ſignificationem, protraheremus, & ſtabiliremus. Declarari ea ſolet per *Amiculum*, *veſtemve exteriorem*. Unde in Themate ad Conj. II. & V. ubi عطّف & تعطّف dicunt, adſumta notio, *talem veſtem ſibi accommodandi* vel *applicandi*. Proprie eſt عطاف & معطف *veſtimentum, quod per diverſos flexus corpori applicatur, & circumflectitur, ita ut hoc totum cooperiatur*. Et عطّف eſt *obliquare veſtem, ſ. per varios flexus corpori accommodare*. Unde ſtatim apparet, quod מעטפה veſtimenti majoris, amplioris, & integrum corpus operientis, quoddam genus debuerit deſignare; eamque ob cauſam notio *calyptri*, vel *ſudarii*, quam nonnulli Interpretes voci Hebrææ adſcripſere, aliave ſimile aliquod minoris tegumenti aut ornamenti genus exprimens, locum habere non poſſit. Accedit, quod & ex uſu Thematis עטף in ipſa Scriptura appareat, pronius illud eſſe ad *veſtem* ſignificandam, qua *univerſum* operitur *corpus*. Facit huc figurata illa loquutio Pſalm. LXV. 14. ועמקים יעטפו בר *& valles frumento ceu aliqua veſte operientur*. Adde Pſalm. LXXIII. 6. יעטף שית חמס למו *violentia veſtimenti inſtar totos eos operit*. Eadem vis elucet etiam

Unde ſtolæ notionem emanaſſe oſtenditur.

etiam ex alio uſu, quo hoc עטף, quando ad animum transfertur, notat *deficere*, *animive deliquium* aut *ſyncopen pati*. Sumta ab eo metaphora, qui *totus* veſtimentis *obtectus*, *involutus*, & *obrutus*, decumbit ſine ullo motu. Ut Pſalm. CVII. 5. *Famelici & ſitibundi*, נפשם בהם תתעטף *quorum anima in ipſis tota operitur*. Et Thren. II. 19. העטופים ברעב *operti*, i.e. *deficientes*, *fame*. Vid. & Pſalm. LXXVII. 4. CII. 1. CXLII. 4. Jeſ. LVII. 16. Hunc quidem uſum Arabes in ſuo عطف non aſſervarunt; prout id ſæpiſſime fieri aſſolet, ut in ſecundariis & metaphoricis notionibus non adeo conſpirent diverſæ Dialecti; ſimilem tamen admiſerunt in Themate غشي, quod notat, totum corpus ita *obtegere* & *veſtibus involvere*, ut quis nihil audiat & videat. Ut Alcor. XI. 6. يستغشون ثيابهم يعلم مـا يسرون *quamvis & totos ſe veſtibus involvant*, *tamen novit Deus id quod occultant*. Et Sur. LXXI. 6. *Ponunt digitos in aures ſuas*; واستغشوا ثيابهم *& veſtibus ſuis ſe totos cooperiunt*. Inde autem ducta notio, quæ in Conj. I. forma Paſſ. obtinet: *deliquium animi*, *ſyncopen*, *paſſus fuit*. Ut Judic. VIII. 4. حتي ضعفوا وغشي عليهم من الجوع *donec debilitarentur*, *& præ fame animi deliquium paterentur*. Qui locus perſimilis eſt ei, quem jam adduximus ex Thren. II. 19. Vid. & eandem phraſin Alcor. Sur. XXXIII. 19. Conf. etiam, quæ Celeb. Schultens in Animadv. Philol. ad Cant. I. 7. annotavit.

Cum itaque dubitari non poſſit, per מעטפות *veſtes* intelligendas eſſe majoris generis, & ampliores, atque totum corpus cooperientes, diſquiri porro meretur, utrum ad *Pallium*, an vero ad *Tunicam* ſignificandam vivus Linguæ uſus maxime inclinarit. Nam & muliebrem Tunicam, quam Latini *Stolam* vocavere, in cenſum majorum, laxiorum, & talarium, veſtium venire & poſſe & debere, ne-

nemo ambiget Antiquitatum vel mediocriter peritus. Quodſi jam Lexicographos Arabum conſulamus, omnes pro *Pallii* notione pronuntiare videbuntur. Gjeuhar. ait:
المعطف الرداء وكذلك العطاف
وقد تعطفت بالعطاف اي ارتديت
الرداء h. e. *Nomen* מִעְטַף, *itemque* עטאף, Pallium *notat*; *unde* תעטפת באלעטאף *idem eſt ac* amicivi me pallio. Hinc Cl. Golius: *Pallium*, *exterior veſtis*. Et Giggejus: *Pallium*, *Amictus*. Sed probe hic tenendum, hoſce Lexicographos omnem fere ampliorem & exteriorem veſtem *Pallium* appellare, nec ob oculos ſibi ponere illud diſcrimen, quod nos, præeuntibus Græcæ Romanæque Antiquitatis monumentis, *Pallium* proprie dictum inter & *Tunicæ majoris* & *laxioris* genus conſtituere ſolemus. Unde jam apparet, Vocem عطاف, quantumvis per رداء ſeu *Pallium* explicatam, non ſtatim de eo ſumendam eſſe Veſtimento, quod Romanorum *Pallio*, Græcorumque ἱματίῳ, reſpondeat, niſi forte expreſſa Librorum auctoritas acceſſerit, eam convenientiam certius evincens, veſtisque formam & uſum accuratius declarans. Illa autem Nominum confuſio, vel, ſi mavis, permutatio, difficilius evitatur, ubi de muliebri agitur Tunica, quæ, quod virili longe ſit laxior, & promiſſior, ſæpiſſime *Pallii* appellationem ſortitur. Ita factum, ut *Stola* Romanarum matronarum a Viris quibusdam Doctiſſimis pro *Pallio* proprie dicto habita fuerit. Similiter τῇ כתנת Hebræorum, ſi de *muliebri* accipiatur *tunica*, interdum vox מְעִיל *pallium* prorſus videtur æquipollere. Quid clarius, & in hanc rem illuſtrius, exemplo quod in ipſa proſtat Scriptura, 2 Sam. XIII. 18.? Ubi de Thamare Davidis filia: ועליה כתנת פסים כי כן תלבשנה בנות המלך הבתולות מעילים *Induta erat Tunica Paſſim*; (qua de mox) *talia enim pallia*

lia (pro: *tales tunicas*) *filiæ Regis virgines geſtabant.* Imo apud optimos haud raro Scriptores Romanos *Palla*, muliebre alias *Pallium*, pro *Tunica* uſurpatur. Sic Plautus

> *Non ego te indutum foras*
> *Exire vidi palla.* —

Clarius adhuc hoc Ovidii, Metam. Lib. XIV.

> — — *pallamque induta nitentem,*
> *Inſuper aurato circumvelatur amictu.*

Similiter Cornificius: *Ut citharoedus cum procedit optime veſtitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus variis intexta.* Sed accedamus nunc ad rem ipſam. Cum genuina notio & poteſtas, quam vivus Linguæ uſus ſingulis Vocabulis aſſignavit, non uberius & limpidius aliunde quam ex ipſis fontibus, probatis ſcilicet Auctoribus, hauriatur, ſtudioſe nunc inquiramus, ſub quonam proprie ſignificatu in ſuis Libris Arabes voces iſtas عطاف & معطف ſoleant frequentare. Quamvis autem non adeo multa mihi ad manum ſint exempla & teſtimonia Veterum, pauca tamen, quæ habeo, clare ſatis nos condocebunt, iſta vocabula ab Arabibus ita adhiberi, ut appareat, ea non tam *Pallio*, quam *Stolæ* potius, *Tunicæ*ve *ampliori* & *talari*, Romanorum reſpondere. Hoc *primo* inde conſtat, quia traditur tam عطاف quam معطف indui ſub *pallio*. Hiſtor. Valid. وعليه عطافان ورداء وكان قد اخذ منه البرد *Indutus erat gemina ampliori Tunica, & Pallio amictus; nam frigus ipſum penitus perceperat.* Ut fere de Auguſto Sueton. cap. LXXXII. *Hyeme quaternis cum pingui toga tunicis utebatur.* Conſimiliter vocem معطف uſurpavit Jaco-

cobus Torv. in Hiſtor. Prophetar. وادركه ونزع عنه ثوبه وهرب في معطعه *Cum aſſequutus eum eſſet, togam ipſi detraxit; ſed ille in tunica aufugit.* Utrobique igitur vox Arabica Romanorum exprimit *Tunicam*; nam *Pallium* ſemper veſtis eſt exterior. *Secundo* عطاف eſt χειριδωτός. Scherho rriwaja: قال ابو حنيفة رحمه الله عظموا اعمايكم ووسعوا اكمام عُطُفكم *Dixit Abou-Hanifa, cujus miſereatur Deus: Magnas facite cidares veſtras, & amplas reddite manicas tunicarum veſtrarum.* Quæ traditio & habetur in Borhaneddini Enchirid. At ſolæ tunicæ, non vero pallia, manicis inſtructæ. Accedit *tertio*, quod ipſum quoque Thema proprie de *induenda ſtola* vel *tunica* uſurpetur. Apud Giggejum eſt Tom. III. col. 430. متعطف بملحفة *ſyndone vel camiſia amictus*. In Annal. Bagd. legitur: فاتته وهي متعطفة بقباء ديباج *Foemina ad eum acceſſit induta ſtola ſerica.* Poëta apud Nezjm'ol-millam:

معطفة الزبارج ذات لصف

Induta verſicolore ſtola, prædita fulgore.

Probe tamen hic obſervandum, in omnibus hiſce exemplis *tunicas* intelligi non *interiores*, ſed *exteriores*, & *ampliores*, atque per complures *flexus*, *plicas* & *ſinus*, corpori *accommodandas*. Huc enim nativa Thematis poteſtas & primigenia notio, ut ſupra jam ſubmonui, manifeſto requirit. Huc etiam non obſcure alludit Auctor Hiſtor. Valid. وكان يطوي بساط النعمة وينشر من عطاف النكال ما فيه من الدوي

Periſtroma vindictæ convolvebat, & quicquid erat rugarum in ſtola poenæ explicabat. Nam & *ſtolæ* veterum Romanarum plenæ erant rugarum. Hinc lepide Martialis:

Rugoſiorem cum geras ſtola frontem.

Neque mirum, voces iſtas Arabicas interdum etiam, uti vidimus, pro *tunica virili* uſurpari. Nam & hæc in Oriente, ut ſatis notum, laxior, amplior, & fere talaris, eſſe ſolet. Accipe tamen adhuc geminum exemplum, ubi عطاف *ſtolam* ſignificat *muliebrem*. Ex Ann. Bagd. ſupra hunc adduximus verſiculum:

ترى عطافها يضحي سناء
وتبرق الخلاخل والوشاء *

Videbis ſtolam ejus radiatione coruſcam,
Et rutilant aureæ compedes, & veſtes acupictæ.

Et Poëta Arabs ſupra cap. X. jam productus:

وما لي مال غير عطاف ومقنع
وجونة حشتها الاعطار *

Non erant mihi opes, niſi ſtola & calantica,
Et olfactoriolum, aromatibus plenum.

Tunica alias כתנת. VI. Cum itaque voci Arabicæ عطاف, vel, ſi mavis, معطف, certiſſima & indubitata *Stolæ*, *Tunicæ*ve *amplioris*, notio competat, hanc ipſam & Hebraeo מעטפה adſcribendam eſſe, jure ambigi non poteſt. Quare in re liquidiſſima pluribus verbis non opus eſt; finiremque hic, niſi animus eſſet, hac occaſione de Hebræorum *Tunicis* aliquid attexere.

Alio, & frequentiori, nomine, *Tunica* Hebraice כתנת ap-

appellatur. Unde & Græcorum χιτὼν, & forte, per literarum tranſpoſitionem, Latinorum *Tunica*. Quod enim a *tuendo corpore*, ut Varro, vel a *tono*, ut Iſidorus, putavit, dicta fuerit, *quia*, ut hic ait, *in motu incedentis ſonum facit, tonus enim ſonus eſt*, nimis longe videtur petitum. Sed unde ipſa vox Hebræa originem traxerit, non ſatis liquet. Joſephus ait, eam deſcendere a *Chethon* linum. Antiq. Jud. lib. III. cap. 7. Χεθομενη (lege potius χεθόνη, ut Hebræo כתנת, ſive, ut mavult Cl. Bernardus in notis ad h. l. Chaldæo כתונא *Chettona*, reſpondeat) μὲν καλεῖται. Λίνεον τοῦτο σημαίνει. Χεθὼν γὰρ τὸ λίνον ἡμεῖς καλοῦμεν. Reſpicit ad Chaldæum כתן vel כתנא, quod *linum* notat. Et Arabicum كتن *catan* vel كتان *cattân*, eundem gerit ſignificatum. Obſtat tamen, quod non omnes veterum tunicæ lineæ fuerint. Nam ſtatim Gen. III. 21. ubi vocabulum כתנת prima vice occurrit, כתנות עור *tunicæ pelliceæ* memorantur. Alias rationes contra Joſephi originationem profert Cl. Braunius de V. S. H. Lib. II. cap. II. quem vide, ſi placet. Veſtigium quoddam antiquiſſimæ originis videtur in Arabico كتن כתן ſupereſſe, quod in VIII. Conj. ubi اكتتن dicitur, obſervante Firauzabadio, idem quod التصق notat, nempe *adhæſit* proxime cuti, ita ut nihil intercedat. Hoc التصق paſſim Hebræo דבק reſpondet. Ut Job. XIX. 20. *Cuti & carni meæ* דבקה *adhæret os meum.* Ubi Arabs: جلدي ولحمي لصقت بعظامي *Cutis & caro mea adhæret oſſibus meis.* Similis locus eſt Pſalm. CII. 6. דבקה עצמי לבשרי *adhæſit os meum carni meæ.* Hic iterum Arabs: عظمي التصق بلحمي *os meum adhæſit carni meæ.* Præcipue notari velim locum Jerem. XIII. 11. *Quemadmodum* ידבק *adhæret cingulum lumbis viri, ſic* הדבקתי *feci*

 ut

Digitized by Google

ut adhæreret mihi tota domus Iſraëlis. Hic ille: كما تلتصق المنطقة الي حقو الانسان هكذا التصق بي بيت اسرايل *quemadmodum firmiter adhæret cingulum lumbis hominis, ſic adhæſit mihi domus Iſraëlis.* Hinc itaque exiſtimo, כתנת proprie & vi originis *veſtem* denotare, quæ carni proxime *adhæret*, nimirum in oppoſitione ad *Pallium*, veſtem exteriorem; uti apud Plautum eſt in Trin. Act. V. Sc. II.

Tunica propior pallio eſt.

Sane hac notione *proxime* & *arctius adhærendi* nihil video commodius & aptius, quod *Tunicæ* nomini convenientem dare potuerit Originem.

Ea non tantum a viris, ſed & foeminis geſtata.

VII. Ex loco autem, quem mox allegavimus, Geneſ. III. 21. ſimul patet, tunicam omnium antiquiſſimam eſſe veſtem. Ibi enim narratur, Deum primis Parentibus mox poſt commiſſum peccatum כתנות עור *tunicas pelliceas* adornaſſe & induiſſe. Quarum forma licet non diſtincte exponatur, & ideo a nobis ignoretur, fruſtra tamen ſunt, qui a proprio vocis כתנת ſignificatu, & clariſſimo Textus ſenſu, recedunt. Quam frequenter viris *Tunica* tum in V. tum N. Teſtamento adſcribatur, notius eſt, quam ut debeat moneri. Sed & foeminarum veſtimentum *Tunica* fuit. Sponſa Regis Cant. V. 3. ait, ſe exuiſſe ſuam כתנת *tunicam.* Et 2 Sam. XIII. 18. de Thamare filia Davidis Regis: *Super ea erat tunica Paſſim; talia enim pallia geſtabant filiæ Regum Virgines.* Quod in hujus loci poſteriori membro *pallium* ſit poſitum pro *tunica* jam annotavimus. Flav. Joſephus Antiq. Jud. lib VII. cap. 8. eandem hiſtoriam enarrans, hæc habet: Ἡ δὲ περιαλγὴς ἐπὶ τῇ ὕβρει καὶ τῇ βίᾳ γενομένῃ, περιρρήξασα τὸν χιτωνίσκον· ἐφόρουν γὰρ αἱ τῶν ἀρχαίων παρθένοι χειροδέτους ἄχρι τῶν σφυρῶν πρὸς τὸ μηδὲ βλέπεσθαι χιτῶνας. *Illa ob vim & injuriam ſibi illatam graviter do-*

dolens, tunicam laceravit. Geſtabant enim veterum virgines manuleatas tunicas, ad talos usque demiſſas, ne facile conſpicerentur. Taceo Talmudicos Doctores, tunicas foeminis paſſim tribuentes.

Apud alias gentes, &, ut videtur, cultiores omnes, tunicarum uſus fuit. De Perſis id teſtatur Xenophon lib. I. Cyropæd. Οἱ πορφυροῖ χιτῶνες, καὶ οἱ κάνδυες. *Purpureæ tunicæ & candyes.* Dio de Tigrane ad Pompejum accedente: Τὸν μὲν γὰρ χιτῶνα τὸν μεσόλευκον, καὶ τὸν κάνδυν τὸν ὁλοπόρφυρον, ἐξέδυ. *Tunicam ſemialbam, & candym purpureum, exuerat.* Heſychius: Κάνδυς χιτὼν Περσικός. Ubi candym cum tunica confundit, a qua cum Xenophon & Dio, aliique, manifeſte diſtinguunt. Arabes & viros & foeminas geſtaſſe tunicas ex iis, quæ paulo ante diximus, ſatis conſtat. De Aegyptiis id inter alios Herodotus refert lib. II. cap. 81. Ἐνδεδύκασι δὲ κιθῶνας λινέους, περὶ τὰ σκέλεα θυσανωτοὺς, τοὺς καλασίρις καλέουσι· ἐπὶ τούτοισι δὲ εἰρίνεα εἵματα λευκὰ ἐπαναβληδὸν φορέουσι. *Induunt tunicas lineas, circa crura fimbriatas, quas Calaſiris appellant, quibus circumjecta lanea geſtant candida pallia.* De Græcis res notiſſima. Homerus quidem χιτῶνας viris frequenter, ſed foeminis, quantum recordor, nunquam aptat. Sed muliebres tunicas, quod conſtanter ex lino eſſent, peculiari voce ὀθόνας appellat. Id maxime apparet ex Iliad. Σ. vſ. 595. ubi adoleſcentibus tripudiantibus dat χιτῶνας ἐυννήτους, puellis autem λεπτὰς ὀθόνας. Quemadmodum & apud Lucian. in Navig. dicitur puer meritorius τὴν καθαρὰν ὀθόνην ἐνδεδυκὸς, *puram lineam tunicam indutus.* Forte & hæc ipſa vox ὀθόνη ab Hebræo כתנת originem traxit. Saltem derivationes, quas Etymol. M. affert, quod vel deſcenderit ab ὄθω *moveo*, quia ſit ἐυκίνητος διὰ τὸ λεπτότατον, vel παρὰ τὸ ὄθμα τὸ ὄμμα, quia ſit λεπτὸν καὶ διαφανὲς ἱμάτιον, admodum videntur arceſſitæ. Alii autem Græcorum Scriptores Homero recentiores etiam mulieribus χιτῶνας adſcribunt. Ut Theocritus Idyll. II. 73. de Simaetha:

— βύσ-

— βύσσοιο καλὸν σύρουσα χιτῶνα.

Ex byſſo pulchram trahens tunicam.

Ariſtoph. in Plut. 985.

Καὶ ταῖς ἀδελφαῖς ἀγοράσαι χιτώνιον
Ἐκέλευσεν ἄν, τῇ μητρί τε θοιματίδιον.

Et ſororibus emere tunicam
Juſſit, matri vero pallium.

Apud Romanos denique non tantum Viros, ſed & foeminas, geſtaſſe tunicas nemo dubitabit, qui vel unum legerit Ovidium. Ut Amor. Lib. I. Eleg. V.

Ecce Corinna venit tunica velata recincta.

Et lib. III. Eleg. I.

Delabique toro tunica velata ſoluta.

Ingenuarum matronarum tunica alias *Stola* vocabatur, cui *pallium* ſeu *pallam* injiciebant. Horatius:

Ad talos ſtola demiſſa & circumdata palla.

Et Tibullus Eleg. VI.

— — quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec ſtola longa pedes.

Plura apud eos vide, qui de Re Veſtiaria Romanorum ſcripſerunt.

Forma tunicarum muliebrium.

VIII. Ad formam tunicarum quod attinet, certum eſt, quod pallio fuerint anguſtiores; id enim apud omnes fere gentes tunicæ ſuperinjiciebatur. Ipſæ quidem tunicæ, pro populorum non tantum, ſed & ſexus, diſcrimine, quam maxi-

maxime erant diverſæ. In eo tamen plurium gentium conſuetudines conveniſſe videntur, quod, quemadmodum viriles tunicæ erant breviores, &, ut Quintilianus ait, infra genua paululum perveniebant, muliebres talares eſſent, imo ad plantas usque defluerent. Sic jam ex Joſepho vidimus, veterum Hebræorum virgines tunicas demiſiſſe ἄχρι τῶν σφυρῶν πρὸς τὸ μηδὲ βλέπεσθαι, *usque ad talos, ne conſpicerentur*; Additque, eas fuiſſe χειροδύτους *manuleatas*. Quo cum loco conferri meretur Gellius lib. VI. cap. 10. ubi ait: *Tunicis uti virum prolixis ultra brachia & usque in primores manus ac prope in digitos, Romæ atque omni Latio indecorum fuit: foeminisque ſolis veſtem longe lateque diffuſam decoram exiſtimaverunt, ad ulnas cruraque adverſus oculos protegenda.* Et mox: *Virgilius quoque tunicas hujusmodi (manus totas operientes) quaſi foemineas ac probroſas criminatur.*

Et tunicæ, *inquit*, manicas, & habent redimicula mitræ.

Similiter Juvenes effoeminati, Catilinæ partibus addicti, a Cicerone culpantur Orat. II. in Catil. quod induti fuerint *manicatis & talaribus tunicis.* Hinc *ſtola*, tunica muliebris, ab Horatio *ad talos demiſſa*, & a Tibullo *longa* dicitur. Et ad hoc Horatii:

Quarum ſubſuta talos tegat inſtita veſte.

Acron notat: *Matronæ ſtola utuntur demiſſa usque ad imos pedes.* Idem mos & apud Græcas obtinebat. Unde, narrante Pauſania lib. I. Theſeus Athenas veniens indutus χιτῶνα ποδήρη *tunica talari, per contumeliam interrogatus fuit, quid ita nubilis virgo ſola oberraret.* In Oriente tamen, uti hodie ita & olim, ipſi quoque viri tunicas geſtarunt longiores, licet muliebribus paulo breviores. Hinc Herodianus lib. V. cap. 5. Phoenicibus ſine diſcrimine χιτῶνας ποδήρεις καὶ χειριδωτούς, *tunicas talares & manuleatas* adſcribit. Porro & in eo cultiorum gentium mores con-

ſenſerunt, quod tunicæ *zona* conſtringerentur. Ejusque uſus ideo neceſſarius erat, quia alias tunicæ fuiſſent apertæ, & corpus facile nudaſſent. Accedit, quod talares tunicæ, quales foeminæ geſtabant, zona ſurſum retrahi poſſent, ne inceſſum impedirent. De Hebræis id non tantum conſtat ex כתנת *Tunica* ſacerdotali, quæ באבנט *balteo* cingebatur, ſed & clariſſime patet ex Jeſaj. XXII. 21. ubi de Eljakimo: והלבשתיו כתנתך ואבנטך אחזקנו *induam eum tunica tua, & balteo tuo accingam eum.* Ubi *tunica* & *balteus* proxime conjunguntur. Et Joh. XXI. 7. τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο. Sic & Apoc. I. 13. Angelus non tantum indutus dicitur ποδήρη, *tunica talari*, ſed & περιεζωσμένος πρὸς τοῖς μαστοῖς ζώνην χρυσῆν. Idem & colligi poteſt ex Act. XII. 8. ubi Angelus Petro ait: Περίζωσαι, & mox: Περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου. Cum enim ἱμάτιον *pallium* fuerit, ea veſtis, quam zona cingere jubetur, *tunica* procul dubio fuit. Nec non ex Luc. XVII. 8. Ἑτοίμασον τί δειπνήσω, καὶ περιζωσάμενος διακόνει μοι. Nam menſæ inſervientes in ſola erant tunica, ut eſſent expeditiores. Imo cum pallium nec ſoleret nec adeo poſſet zona cingi, ut nemo non largitur, fatendum eſt, quod, ubicunque zonæ vel baltei in Sacris mentio fiat, per veſtem, quæ ea conſtringitur, non niſi tunica ſit intelligenda. Quam ob rem, cum ſupra ad vocem קשרים oſtenderimus, etiam foeminas Hebræas zona uſas eſſe, non dubitandum, eas *tunicas* cinxiſſe. Græcis eadem fuit conſuetudo. Homer. Odyſſ. Ξ. 72.

Ὣς εἰπὼν, ζωστῆρι θοῶς συνέεργε χιτῶνα.

Sic loquutus, cingulo celeriter coërcuit tunicam.

Et apud Platonem in Hippia ζώνη χιτωνίσκου memoratur. De foeminis præclarus eſt locus apud Athenæum lib. V. Ἠκολούθουν δὲ τούτοις παιδίσκαι πεντακόσιαι κεκοσμημέναι χιτῶσι πορ-

πορφυρεῖς, χρυσῷ διεζωσμέναι. *Sequebantur ipſum puellæ quingentæ, ornatæ tunicis purpureis, & aureis zonis cinctæ.* Addatur Homer. Odyſſ. E. 230.

> Ἀυτὴ δ' ἀργύφεον φᾶρος μέγα ἕνυτο νύμφην,
> Λεπτὸν καὶ χαρίεν, περὶ δὲ ζώνην βάλετ' ἰξυῖ.
>
> *Ipſa quoque candidam ſtolam magnam induit Nympha,*
> *Tenuem & gratioſam, zonamque circumpoſuit lumbis.*

De Romanis id probare ſuperfluum. Conſtat ex iis quae jam paulo ante prolata.

IX. Hoc autem obſervari adhuc meretur, non defuiſſe veteribus tunicas ornatiores, imo pretioſiſſimas. Romanæ matronæ ſtolas habebant plerumque ex lana, ſed purpura tinctas, & ſegmentis ornatas auro intextis. Ovid. lib. III. de Arte: *Tunicæ pretioſiores.*

> *Quid de veſte loquar? non tam ſegmenta requiro,*
> *Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.*

Valer. Max. *Permiſit utique ejus purpurea veſte, & aureis uti ſegmentis.* Quales purpureas veſtes & Tyrias mulieres adamaſſe patet ex Ezech. XXVII. 7. תכלת וארגמן מאיי אלישה היה מכסך *Color hyacinthinus & purpureus ex inſulis Eliſchæ* (hoc eſt, ut Cl. Bochartus putat, in Phal. lib. III. cap. 4. ex *Peloponeſo*) *fuit indumentum tuum.* Sed purpureus color olim omnium fuit pretioſiſſimus. Vid. Cl. Braun. de V. S. H. lib. II. cap. 25. Poſſumus autem in iſto Ezechielis loco ſimul *byſſinas* intelligere veſtes, uti byſſus & purpura junguntur Prov. XXXI. 22. שש וארגמן לבושה *byſſus & purpura eſt indumentum ejus.* Nam, ut inferius probabitur, byſſus plerumque purpura tingebatur. Talem byſſinam tunicam memorat Theocritus, loco jam cit.

— — *βύσσοιο καλὸν σύροισα χιτῶνα.*

Et Ariſtoph. in Lyſiſtr.

Κἂν τοῖς χιτωνίοισι τοῖς ἀμοργίνοις Γυμνάς.

Iterum vero byſſinæ veſtes pretioſiſſimæ erant, &, ut Plinius ait, mulierum luxui deſtinatæ. Interdum & πεποικιλμέναι veterum erant tunicæ, quales ſunt quæ apud Xenophontem memorantur de Inſt. Cyr. lib. VII. eas ſimul πολυτελεῖς *pretioſas* vocantem. Plutarch. in Probl. Gr. Ἀνέλαβε στολὴν ἀνθίνην *induit ſtolam floribus ornatam*, ſive ii intexti fuerint, ſive acu adpicti. Artemidorus lib. II. cap. 3. Γυναικὶ δὲ ποικίλη καὶ ἀνθηρὰ ἐσθὴς συμφέρει, *mulieri varia, floribusque inſignis, veſtis conducit*. Pollux lib. VII. cap. 13. Ὁ δὲ καταστικτος, χιτών ἐστιν ὁ ἔχων ζῶα, ἢ ἄνθη ἐνυφασμένα· καὶ ζωωτὸς δὲ χιτὼν ἐκαλεῖτο καὶ ζωδιωτός. Denique & auro inſignes tunicæ interdum memorantur. Dio lib. IX. Caligulæ triumphanti dat χιτῶνα χρυσόπαστον. Idem de Commodo lib. 72. *Solebat, antequam veniret in Theatrum amictus eſſe tunica manuleata, ſerica alba, auro interſtincta; ingreſſurus autem Theatrum induebatur purpura auro inſperſa*. Ammian. Marc. *Stetit ſubtabidus nuſquam reperto paludamento, tunica auro diſtincta*. Lampridius in Alex. *Auratam veſtem miniſtrorum nullus vel in publico convivio habuit*. Ubi per *auratam veſtem* omnino *aurata tunica* intelligenda, nam in hac ſola erant, qui in convivio miniſtrabant. Frequentior autem hic ornatus in Oriente fuit. Curtius lib. III. cap. 3. *Illi aureos torques, illi veſtem auro diſtinctam habebant, manicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas*. Herodian. lib. V. cap. 3. de Baſſiano quodam, Solis in Phoenicia Sacerdote: Προῄει τε σχήματι βαρβάρῳ, χιτῶνας χρυσοϋφεῖς καὶ ἁλουργεῖς χειριδωτοὺς καὶ ποδήρεις ἀνεζωσμένος. *Inſcedebat barbarico cultu, tunicas indutus auro intextas, purpureas, manicatas, & talares*. Addamus Arabica quædam.

dam. Abulf. in vit. Mohamm. p. 126. فاخذه خالد وقتل اخاه واخذ منه خالد قباء ديباج مخوصا بالذهب *Cepit eum Chaled, ejusque fratrem occidit, a quo tunicam detraxit boloſericam, & auro virgatam.* Cui loco germanus eſt, qui habetur in Arabsjadis Hiſt. Tam. p. 206. ونسج الحريريون له قباء بالحرير والذهب ليس له درز فاذا هو شيء عجب *Sericarii Timuro tunicam obtulerunt boloſericam, & auro plumatam, absque ulla ſutura, miro artificio, contextam.* Qui locus ſi Cl. Braunio ad manum fuiſſet, egregie docere ipſum potuiſſet, artem tunicas ἀῤῥάφους, qualis Servatoris noſtri fuit, contexendi, Tamerlanis ſaltem ætate in Oriente nondum plane traditam fuiſſe oblivioni.

Denique in Scriptura certum quoddam ornatioris tunicæ genus memoratur, כתנת פסים appellatum. Binis in locis facta ejus mentio, ſcil. Geneſ. XXXVII. 3. *Iſraël amabat Joſephum præ omnibus filiis ſuis, ideo quod ipſi ſeni natus eſſet, & fecit ei* כתנת פסים. Et 2 Sam. XIII. 18. *Et induta erat* כתנת פסים, *talia enim pallia geſtabant filiæ Regum.* Quod ad vocem פסים attinet, certum eſt, eam eſſe a nomine פס, & hoc *partem* vel *fruſtum* denotare Chaldæis. Vid. Dan. V. 5. 24. Eamque notionem nec Hebræis olim fuiſſe ignotam, conſtat ex Pſalm. LXXII. 16. ubi eſt: פסת בר *particula frumenti.* Itaque כתנת פסים ad verbum ſonat *tunicam fruſtorum.* Sed cur ita fuerit denominata, non conſentiunt Interpretes. Communis eſt ſententia, eam ideo ita dictam fuiſſe, quod compoſita eſſet ex plurimis fruſtis aut particulis, vario colore tinctis, &, centonis inſtar, conſutis. Sed huic ſubſcribere nunquam potui, quia nullo modo probabile eſt, tales veſtes Davidis ætate fuiſſe geſtatas, hoc eſt, eo tempore, quo ars plumandi, varioſque colores & figuras intexendi, aut acu adpingendi, jam diu fuerat notiſſima. Saltem Filiæ

Digitized by Google

Regiæ, qualis Thamar fuit, tunica ex meris conſarcinatis panniculis conſtans, dedecus potius fuiſſet quam ornamentum. Porro alii exiſtimant, tunicam פַּסִים dici, ideo quod manicas haberet pertingentes ad *carpum manus*. Sic LXX. & Aquilas, habentes 2 Sam. XIII. 18. χιτῶνα καρπωτὸν, & Symmachus χειριδωτὸν, *manicatam* tunicam. Nec ab hac ſententia alienus fuiſſe videtur Joſephus, quem ſupra jam exhibuimus. Eidem & Rabbinorum plurimi, præeunte Bereſchit Rabba, inhærent. Verum non alio illa gaudet fundamento, niſi quod apud Danielem bis dicatur פַּסָּא דִי יְדָא *pars manus*. Ex hac ipſa autem loquutione ego potius elicuerim, expoſitionem illam vocis proprio ſignificatui minus convenire. Quia enim ad פַּסָּא adjiciuntur voculæ דִי יְדָא, ſequitur, illud per ſe & abſolute *manum* vel *carpum manus* non denotare; alias enim adjectione iſta opus non fuiſſet. Supereſt itaque, ut dicamus, tunicam vocari פַּסִים, ideo quod *limbos*, vel *ſegmenta* quædam, inferiori oræ, forte & aperturæ circa collum, ac extremitati manicarum, haberet adſuta. Sic propriam retinemus vocum ſignificationem, & כְּתֹנֶת פַּסִים eſt *tunica ſegmentorum*, i. e. *ſegmentis inſignis & exornata*. Huc videtur Syrus reſpexiſſe Interpres, habens in Gen. ܟܘܬܝܢܐ ܕܦܣܬܐ *tunica fimbriis ſ. limbis ornata*. Nec non Jonathan in Targ. vertens per פרגודא, quæ eſt ipſa vox Latinorum *Paragauda*. Græci χιτῶνα παραγαύδαν dicunt. Fl. Vopiſcus in Aureliano: *Paragaudas veſtes ipſe primus militibus dedit, quum ante non niſi rectas purpureas accepiſſent, & quidem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis, & usque ad pentelores, quales hodie lineæ ſunt.* Ad quem locum Cl. Salmaſius: *Paragoda veſtis dicebatur pannis & inſtitis verſicoloribus prætexta.* Et paulo poſt: *Lora igitur illa vel paragaudæ ſunt ſegmenta vel faſciæ vel vittæ veſtibus adſutæ.* Et quidem Romanas matronas habuiſſe ſtolas, ſegmentis vel inſtitis adornatas, ubique veteres teſtantur. Ovid.

Eſte

Digitized by Google

Eſſe procul vittæ tenues, inſigne pudoris,
Quæque tegis medios inſtita longa pedes.

Horat.

Quarum ſubſuta talos tegat inſtita veſte.

Ubi Porphyrio: *Matronas ſignificat. Hae enim ſtola utuntur ad imos pedes demiſſa, cujus imam partem ambit inſtita aſſuta.* Græci vocant χιτῶνα πεζοφόρον. vid. Pollucem lib. VII. cap. 13. & 14. Potueruntque ipſæ etiam inſtitæ eſſe pretioſiores. Valerius Max. *Permiſit utique ejus purpurea veſte, & aureis uti ſegmentis.* Et apud Lampridium in vita Alex. Severi memoratur *cyclas auro inſignis.* Verba hæc ſunt: *Dicens, matronas regias contentas eſſe debere uno reticulo, — — & cyclade, quæ ſex unciis auri plus non haberet.* Ubi Cl. Salmaſius: *Cycladem heic vocat tunicam muliebrem auro circumtextam. Nam cyclas inde dicta eſt, quod limbum in circuitu haberet ad oram extremam adſutum.* Et paulo poſt: *Auratæ vel auro intextæ erant illæ inſtitæ vel paragaudæ, extremis cycladum oris adſutæ.* Alia plura ſi cupias, adiſis Celeb. Braunium, de V. S. H. Lib. I. cap. VII. Sect. 278. ubi prolixe agit de *Tunica* כסים, & eandem nobiſcum ſententiam tuetur.

CAPUT XVI.

Probatur מטפחות fuiſſe *Pallas*.

I.

Pergimus ad vocem מטפחות, quæ cum præter hunc Jeſajæ locum non niſi ſemel, nimirum Ruth. III. 15. occurrat, miro ſubjecta eſt Interpretum, tam antiquorum, *De Themate* טפח.

quam

quam recentiorum, diſſenſui. Cujus rei indubia eſt ratio, quod tenuiſſimæ ſint Thematis טפח in S. Codice reliquiae; quas inter præcipuum eſt Nomen טפח, quod *palmam* denotat, vel *latam partem manus*, & hinc quoque *menſuram quatuor digitorum.* Unde in Verbo adſumta notio *geſtandi* vel *tractandi palmis*, ut Thren. II. 22. אשר טפחתי ורביתי *quos palmis geſtavi*, (ut geſtari infantes ſolent) *& educavi.* Uti & ibid. vſ. 20. memorantur עוללי טפחים *infantes, qui palma adhuc geſtantur.* Huc & referri ſolet Jeſaj. XLVIII. 13. ימיני טפחה שמים, quae Hieron. vertit: *dextra mea menſa eſt coelos*, ſcil. tanquam *palma*; uti & fere Trem. *Dexteræ meæ palmus expandit coelos*, a quo non multum abludit expoſitio Cl. Cocceji: *Ad palmos extendit coelos.* Sunt autem omnes hæ notiones ſecundariae, & primaria hactenus deliteſcit. Dici autem vix poteſt, quantam injecerit fruſtrationem abſentia primigeniae originis, & arcti limites, quibus hoc Thema טפח, latiſſimo olim ambitu patens, hodie eſt circumſcriptum. Quare & omnes fere Interpretes, Dialectos Linguæ Hebrææ non adhibentes, quæ ipſorum conſpectui ampliſſimas Radicis divitias exhibere potuiſſent, ſed ex ſola notione Nominis טפח *palma*, noſtri מטפחת ſignificatum deducturi & definituri, anguſte nimis habitarunt, & perpetuo ferme diſſenſu huc illuc ſunt jactati. Alii autem, quod obſervarent, minus commode ex nomine טֶפַח determinari poſſe, quodnam veſtimenti genus per vocem illam deſignetur, neglecta ejus origine, tantummodo de inveniendo aliquo per conjecturam ſignificatu ſoliciti fuerunt, qui non incommode utrique loco, ubi vocabulum מִטְפַּחַת ſeſe offert, poſſit adaptari.

Quid veteres ſtatuant Interpretes. II. Videamus itaque ante omnia aliorum cogitata. In hoc Jeſajæ loco LXX. habent τὰ ἐπιβλήματα τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν, *indumenta quæ domi* geſtantur: quamvis non ſatis certum ſit, quænam voces Græcæ Hebræis reſpondeant, ut jam aliquoties monuimus. Unde & Sanctius, Leo Caſtro,

ſtro, aliique plurimi, exiſtimant, Græcos potius per *βύσσινα veſtes byſſinas* vocem מטפחות expoſuiſſe. Chaldæus Targumiſta interpretatur per לבורנקיא, ſed quid barbara hæc dictio olim denotarit, hodie prorſus ignoratur; eam enim, quod ſciam, præter Jonathanem in uno hoc loco, nemo uſurpavit. Latinus ejus Interpres per *linteamenta* vertit, non ex alio, ut videtur, fundamento, quam quod ſequutus ſit Verſionem Vulgatam, quæ illa voce uſa eſt, pro noſtro מטפחות exprimendo. Arabs hic habet ستورهن *vela* vel *pepla*. Syrus: ܟܠܡܢܝܣܗܝܢ *carbaſa*. Sed ſinguli longe aliter Ruth. III. 15. Ibi Hebræa verba Boazi ad Rutham הבי המטפחת אשר עליך Alexandrini reddidere: φέρε τὸ περίζωμα τὸ ἐπάνω σου, *porrige ſubligaculum quod eſt ſuper te*. Chaldæus: הבי סודרא די עליך *da ſudarium quod eſt ſuper te*. Arabs: ابسطي كساءك *expande veſtimentum tuum*. Sic etiam Syrus: ܦܪܘܣܝ ܡܥܦܪܬܟܝ *expande veſtem tuam*. Vulgatus Lat. *Expande pallium tuum, quo operiris*. Quem præ aliis nunc notari velim.

III. Addamus & præcipuorum, inter recentiores Interpretes, ſententias. Et primo quidem loco eos pono, qui per vocem מטפחות intelligunt *Chirothecas*, quas hodie Judæi בתי ידים, quaſi *domus manuum* dicas, appellant. Kimchi in Lib. Rad. יש מפרשים המטפחות מהענין הראשן מטפחות והם בתי הידים גוא״נטי בלע״ז *Sunt qui vocem* מטפחות *ex priori notione* (nempe *palmæ*, quam, ut diximus, vocabulum טפח gerit) *per* Chirothecas, *quas vernacule vocamus* gevante, *exponunt*. Hodie dicunt Galli *des gands*, quo Kimchius reſpicere videtur. Eaque ſententia inter alios Vatablo arriſit. Eandem & non pauci alii, quia cum notione vocis טפח *palma*, proxime convenire, imo inde facillime profluxiſſe, primo adſpectu videbatur, adoptarunt. *Quid Recentiores.*

 Sed

Sed te:endum, quod ex locis Biblicis, ubi illud טפח occurrit, ſatis appareat, id voci יד *manus* non omnino aequipollere, ſed non niſi *latitudinem manus*, qua menſuratur, exprimere. Unde & noſtrum מטפחת *Chirothecas* ſignificare nequit, quia totius manus tegumenta ſunt, vel ornamenta. Quod autem maxime obſtat, hoc eſt, quod illa expoſitio nullum plane locum poſſit habere Ruth. III. 15. ubi narratur, Boazum Ruthæ donaſſe ſex menſuras hordei, excipiendas במטפחת, quod geſtabat. At ridiculum eſſet, dicere, id factum eſſe *Chirotheca*. Præterea non conſtat, a Veteribus Chirothecas ad ornatum fuiſſe geſtatas, quemadmodum hodie a foeminis fieri ſolet. Sane in Miſchnico Tractatu Kelim cap. XXIV. Sect. XIV. & cap. XXVI. Sect. III. variæ earum ſpecies recenſentur, ſed nulla comparet, quæ muliebri cultui inſervierit.

Alii per vocem מטפחות intellexere *pepla*, ſeu capitis tegumenta. Sic Kimchi in Lib. Rad. eam per צעיף *peplum* exponit. Quæ interpretatio noſtratium placuit quam plurimis; ut Luthero, qui in Jeſ. vertit: *die Schleyer*, pepla, & Doctiſſ. Belgis, qui habent *de hoedekens*, pileolos; & in Ruth. *Langht den Sluyer die op u is*. Neque aliter Montanus, Munſterus, Tigurina Verſio, &c. Forſterus ait, eſſe *Linteamen*, *ſeu velamen*, *velum explanatum & extenſum*, *quo mulieres caput velant & ornant*. Forerius in Jeſ. ſimul vocis originem aperire tentans: *A Nomine* טפח, i. e. palmus, inquit, *fit verbum* טפח, palmo planavit, explanavit, diſtendit, &c. *hinc nomen* מטפחת linteamen *ſeu* velamen, velum explanatum, & extenſum, *quo mulieres caput velant & ornant:* peplum *dicitur Latinis*. Praeter Cl. Clericum in Ruth. hanc ſententiam albo calculo notavit Celeb. Vitringa, qui in Comm. in Jeſ. *ſimpliciſſimum eſt*, ait, *id accipere de* peplo (צעיף) *ex loco Ruthæ cap.* III. 15. *ubi illius uſus præter hunc noſtrum tantum conſervatus eſt*. Sed doleo, Virum longe Doctiſſ. hujus ſuæ ſen-

Digitized by Google

ſententiae argumenta nobiſcum non communicaſſe. Varenius quidem in Comm. in Jeſ. ſimiliter intelligit *velamentum linteum*, *ad operiendum caput*, *quod quidem* pileoli *figuram habere potuerit*; ſed in eo habet aliquid peculiaris, quod putet, hoc velamentum inde nomen potuiſſe ſortiri, *quod figuram habuerit palmarem*, טפח *quippe* eſſe *palmum*, *menſuram quatuor digitorum*. Sed hæc originatio mihi admodum videtur obſcura & arceſſita, imo inepta. Qui autem cum Forerio admittent in Themate טפח notionem *explanandi*, & *diſtendendi*, ſimul agnoſcere non detrectabunt, inde longe commodius colligi, per מטפחת laxius & amplius denotari veſtimenti genus, totum ambiens corpus, quam ſolius capitis tegumentum. Neque ſignificatus pepli ſatis quadrat Ruth. III. 15. Tum enim Boazus Ruthæ non tam dixiſſet, *Porrige* מטפחת *hoc*, אשר עליך *quod eſt ſuper te*, quam potius, אשר על ראשך *quod eſt ſuper capite tuo*. Et per illam vocem majus quid ſignificari quam *peplum*, maxime quia ponitur pro linteo, in quo Rutha ſex hordei menſuras ſibi donatas portare poterat, non male argumentatur Urſinus in Comment. in Jeſ. p. 118.

Sunt etiam, qui putent מטפחות eſſe *ſudaria*. Cujus ſententiae Auctor eſt Jonathan Chaldæus Targumiſta, qui, ut jam vidimus, in Rutha habet סודרא, quæ tamen vox a Judæis pro *linteamine* quocunque ſolet uſurpari. Unde Abarbanel in Jeſaj. המטפחות הם מעילים קטנים שהיו מתכסות בהם כמו שאמר הבי המטפחת אשר עליך וחכמים ז״ל קראוהו סודר h. c. מטפחות *ſunt pallia parva, quibus foeminæ ſe operiebant, ut dicitur Ruth.* III. 15. Porrige מטפחת quod eſt ſuper te; *& ſapientes b. m. ea vocarunt* סודר ſudaria. Quod ſi tamen dictionem סודרא de *linteo* accipiamus, quo *facies velatur*, quo ſenſu apud Rabbinos occurrit perſæpe, non differet Chaldæus, quique

 ipſum

Digitized by Google

ipſum ſequuti, ab iis qui volunt *pepla*. Druſius in Ruth. *Editio Chald.* Sudar, *i.* Sudarium. *Sudarium autem dixit, quod Scriptores N.F.* σουδάριον, linteum, *quo antiquitus faciem velabant.*

Longius autem hinc ii diſcedunt, qui per noſtrum מטפחות intelligunt *ſuccinctoria*, *ſuppara*, vel veſtes inferiorem corporis partem inde a lumbis tegentes. Cujus ſententiæ Auctores ſunt Alexandrini Interpretes, in Rutha l. c. habentes: Φέρε τὸ περίζωμα. Hinc Druſius ad eum loc. *Græca tralatio intelligit, opinor, ſuccinctorium muliebre, quod & ſemicinctium dicitur, i.* σιμικίνθιον *Actor.* XIX. 12. *Belgice* eenen voorſchoot, *a Graecis etiam* ὑπόζωμα *vocatur. Probat ſe animo meo hæc interpretatio.* Ita fere Grotius in Jeſ. *Ex loco Ruth.* III. 15. (potius dicendum ei fuiſſet, ex Græca ejus loci Verſione) *apparet eſſe* περιζώματα, ſuccinctus *illos ſubter pectus, quibus mulieres domi ſolent uti.* Nec ab hac ſententia alieni fuere Doctiſſ. Belgæ Intt. qui in illo loco, licet in Textu, ut jam monui, habeant, *den Sluyer*, in Gloſſis tamen annotant: *Ofte, ſchorte-kleedt, voor-ſchoot, ſchorteldoeck, waer mede de vrouwen haer voorlyf bedecken.* Huc etiam referendi Junius & Tremell. nec non Piſcator, qui utroque in loco habent *Ventrale.* Ita & Joh. Ben. Carpzovius in Colleg. in Ruth. p. 136. *Nobis*, inquit, *convenientiſſimum videtur, geſtaſſe Rutham linteum quoddam ſupra lumbos cinctum, inſtar Ventralis, quod citra moleſtiam poterat amovere, quodque hordeo implendo optime inſerviret.* Huc & pertinet Turcicus meus Interpres MS. qui habet سينه بندلري *ſubligacula, quae ad pectus adſtringuntur.* Hæc autem interpretatio non alio gaudet fundamento, quam auctoritate Alexandrinæ Verſionis, quæ tamen ſibi in exponendo noſtro vocabulo non eſt conſtans.

Cl. Guſſetium quo referam neſcio, qui in Comm. L. H. ad Rad. טפח ait: המטפחות *poſſe eſſe, quæ habentur in* de-

Digitized by Google

deliciis, *ad palpandum aut tractandum palmis.* Id obſcuriuſcule dictum. Videtur intelligere veſtes ex *meliori* materia confectas, ideo quod eæ ament *palpari*: quod tamen precarium eſſe nemo non videt.

Peculiaris etiam eſt Cl. Hoheiſelii conatus, qui in Obſervat. in Jeſaj. p. 35. putat, fuiſſe *velamenta pluviis arcendis inſervientia.* Quem ſignificatum probari poſſe contendit ex uſu Thematis טפח apud Talmudicos & Syros, quibus id notat *humidum eſſe* & *humectare.* Unde & dicunt: טפחה שמיא *ſtillavit coelum.* Obſtat tamen huic originationi, quod illi uſus & notiones, quæ ex Themate טפח in Lingua Biblica ſuperſtites ſunt, in ſpecie nomen טפח, quod *palmum* notat, cum illo ſignificatu *humidum eſſe*, nihil plane habeant adfinitatis. Quare eum pro peregrino, vel ſaltem recentiori, habendum duco. Neque etiam ex ullo, quod ſciam, antiquiori Scriptore conſtat, Veteribus nota fuiſſe *velamenta*, ad id deſtinata, ut pluviam arcerent, & quidem a foeminis geſtata, & ad luxum compoſita, ut Vir Doctiſſ. ſupponit. Ea recentioris utique ſunt inventi.

Radix vocis ſignificat laxum eſſe.

IV. Poſtquam itaque vidimus, quid de vocabulo מטפחות hactenus ſtatuerint Viri Docti, tempus eſt, ut & noſtram ſententiam proponamus. Nullum autem mihi dubium eſt, illud veſtem denotare ampliorem & laxiorem, quæ tunicæ ſuperinjicitur, & a Romanis *pallium* vel *palla* vocabatur. Neque ante me nemo hujus fuit ſententiæ. Ipſi LXX. hic in Jeſ. dederunt τὰ ἐπιβλήματα τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν. At ἐπίβλημα Græcis eſt veſtimentum exterius, tunicæ impoſitum; quo ſenſu apud Plutarchum, Pollucem, aliosque plures, uſurpatur; ipſumque Thema ἐπιβάλλεσθαι præcipue de *amiciendo pallio* adhibetur. Verba autem τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν ab imperita manu Librarii cujusdam videntur profecta. Nam pallia potiſſimum ſumta, quando in publicum progrediebantur. Unde & *palla* quaſi a *palam*, juxta Varronem. Deinde & Vulgatus Interpres *Pallium* habet

 in

in Rutha, l. c. *Expande pallium tuum, quo operiris.* Quem & Lutherus expreſſit in h. l. reddens: *Lange ber den mantel, den du an haſt.* Verum antiquiſſima hac interpretatio ex recentioribus neminem nacta Patronum, cum ſuis Auctoribus ferme extabuit, & tradita fuit oblivioni. Digniſſima tamen, quæ majori in pretio habeatur, quoniam cum antiqua indole Thematis טפח pulcherrime conſiſtit. Hæc enim, ut mox diſtinctius patebit, in *lato, laxo* & *amplo*, conſtituenda. Unde Nomen טפח *palma*, proprie dicit, *latam partem*, vel *latam ſuperficiem, manus*, vernacule *eine handbreit.* Primigeniam illam notionem, licet ſignificatu Tranſitivo, præ ſe fert locus Jeſaj XLVIII. 13. ימיני טפחה שמים *dextra mea expandit coelos*, uti optime expoſuit Celeb. Vitringa. Et in Comment. ad h. l. *Videtur*, inquit, *ea eſſe genuina & propria notio originarii thematis* טפח, *qua ſumitur pro* rei explanatione, extenſione. Addit quidem: *quippe cujus indicium ſupereſt in voce* מטפחת Velum, Linteum expanſum, *quod foeminæ honeſtiores, in publicum prodeuntes, capiti circumfundunt.* Sed uti priorem Viri Summi obſervationem magni facio, ita approbare non poſſum, quod *Linteum expanſum* capiti applicet, ubi non ſatis aptus ejus eſt locus. Liceat & in eo diſſentire, quod ipſe notionem *expandendi*, vel *extendendi*, a nomine טפח *palma* deducat. Ait enim, palmæ *duplicem poſſe eſſe uſum, vel* metiendi, *vel* expandendi, *& planandi; poſteriorem præferre Aben-Eſram, & hujus ſententiæ ſe ſubſcribere.* Ego vero exiſtimem, Radicem טפח in prima Conjug. valuiſſe *latum* & *amplum eſſe*; & hinc in tertia Conj. quæ illic apud Jeſajam proſtat, & ſignificatum gerere ſolet Tranſitivum, *latum* & *amplum facere*, h. e. *expandere*; ex priori autem illa notione emanaſſe quoque uſum vocabuli טפח *palma, latitudo manus, menſura quatuor digitorum*; unde in Conj. *Pihel* rurſus aſſumta fuit ſignificatio *tractandi palmis*, quæ itaque omnino eſt ſecundaria, & ſuperſtes eſt Thren. II. 20. 22.

Digitized by Google

V. Illam autem nativam & genuinam Thematis טפח notionem, quam in *lato* & *amplo* ponendam eſſe jam diximus, non una probat Linguæ Hebraicæ Dialectus. Apud Syros ܛܦܚ טפח notat *expandere*, *dilatare*. Unde Syrus Interpres Jeſaj. XLVIII. 13. Textum Hebræum totidem fere literis expreſſit: ܘܝܡܝܢܝ ܛܦܚܬ ܫܡܝܐ *Dextra mea expandit coelos*. Unde etiam ܛܦܝܚܐ & ܛܦܝܚܘܬܐ notat *expanſionem*, *dilatationem*. Aethiopes geminum aſſervarunt Thema, Hebræo טפח reſpondens; nempe primo טפח, & dein, trajecto (ט) in (פ) ספח. Illud notat *plaudere*, *complodere manus*, qui uſus ex Hebræo Nomine טפח *palma*, ſubnatus; idemque Chaldæis ſub ſuo טפח frequentiſſimus eſt. Sed primaria illa & primigenia poteſtas in altero hoc ספח reſidet, quod ſignificat *Latus* & *amplus fuit*; & Tranſitive: *Extendit*, *Dilatavit*, *Expandit*. Unde ספוח *Latus*, *Expanſus*. Ut בחר ספוח *mare amplum*, *ſpatioſum*. Et nomen ספח eſt *latitudo*, *extenſio*, *lata* alicujus rei *ſuperficies*; nec non מספח *Locus amplus*, *ſpatium expanſum*. Denique מספח *Malleus*, a *dilatandis* metallis nomen ſortitus. Videatur de utraque Radice Ill. Ludolf. in Lex. Aeth. col. 186. & 567. Sed priſtinam Hebræi Thematis faciem, nativumque ingenium, ob oculos nobis Arabes ponent, ſimulque facem præferent ad veram vocabuli מטפחת ſignificationem definiendam. Magno enim hi multoque uſu terunt Radicem صفح (nam & literam ص Hebræo ט reſpondere, jam obſervavit Celeb. Schultens in Clav. Dial. p. 238. vid. & p. 285.) cum Hebræa טפח intima affinitate conjunctam. Ejus genuina proprietas ſita eſt in *lato*, & *amplo*. Sic Giggejus in Theſ. Ling. Arab. Vol. II. col. 1329. الْمُصْفَحُ & الْمُصَفَّحُ *Latus & amplus*. Ex hoc fonte omnes reliquæ notiones ſecundariæ, quarum magna eſt copia, prono alveo emanarunt. Tranſitive

Quod ex Dialectis probatur.

Digitized by Google

tive in II. Conj. dicunt صفّح *Latum fecit*, *in latum diduxit*, vel *expandit*. Sateirius:

بالقرضاب عن النهامي مصفح

Enſe a fabro ferrario in latum diductto.

Ex hoc uſu robur ſumit ac firmamentum expoſitio illa loci Jeſaj. XLVIII. 13. quam antea exhibuimus. In V. Conj. ubi dicunt تصفح, adoptata notio: *Latiore ſui parte* aliquid *inſpicere*. Bohad. in Hiſt Sal. p. 11. فاخذت الكتاب وتصفحت مضمونه *ſumto libello ejus argumentum inſpexi*. Conf. p. 153. 203. & Ebn Tophail in Epiſt. p. 61. 73. 87. 102. 114. &c & apud alios paſſim. Derivatum Nomen صفح מִטָּה *latiorem* denotat *partem* vel *ſuperficiem* cujuscunque rei; ut *vultus*; unde in Verbo aſſumta notio *avertendi vultum*, & hinc *condonandi*; qui uſus in Alcorano ſæpiuſcule proſtat; ut Sur. XV. vſ. 85. فاصفح الصفح الجميل *condona ignoſcentia pulchra*. Vid. & Sur. II. 103. V. 16. XLIII. 89. LXIV. 14. In VI. Conj. تصافحوا ſonat *mutuo ſibi condonarunt*. Hiſt. Tam. p. 318.

وان يتصالحوا ويتصافحوا مينا وزور

Si mutuam pacem aluiſſent, & mendacia ac dolos ſibi invicem condonaſſent.

Dicunt quoque قابله بالصفح *excipere aliquem cum ignoſcentia*. Ut in Hiſt. Tam. p. 443. & Abulfar. Hiſt. Dyn. p. 557. Alio pauliſper adſpectu *vultum avertere* eſt idem ac *negligere* aut *ſpernere* aliquem. Unde enata Gloſſa, quæ apud

apud Golium habetur : *Repulit petentem.* Porro صفح de *latiori parte* gladii uſurpatur; unde & abſolute pro *lato enſe* ſumitur a Tograi vſ. 28.

ولا اهاب الصفاح البيض

Non timeo gladios latos coruſcantes.

Hiſt. Tam. pag. 170. فغلوهم بالصفاح وسلوهم بالرماح *Phalanges latis gladiis ruperunt*, & *haſtis diſſiparunt*. Et eleganter p. 309. واتخذ لصفاح الجد ولسهام البرد من البطنات الدرق ومن الغدراء الزرد *Contra latos enſes gelu*, & *acutas haſtas frigoris, abollis tanquam ſcutis*, & *laenis tanquam loricis*, *ſe defendit*. Conf. quoque Bohad. Hiſt. Sal. p. 69. Sed & idem صفح Arabes accipiunt de *palma*, ſeu *latiori parte* manus. Sic apud Giggejum eſt صافح الكف *volæ ſuperficies*. Qui uſus vocabuli טפח quamvis in hodiernis Linguæ Hebrææ reliquiis frequentiſſimus ſit, non tamen ideo exiſtimandum, ilium primarium, vel cujusvis alius notionis fontem eſſe, ut nunc ſatis apparet. Unde colligitur, in definiendo vocabuli מטפחת ſignificatu, nullo modo nominis iſtius טפח notionem, ſed potius ipſius Thematis genuinam, &, ut ajunt, formalem, poteſtatem eſſe conſiderandam. Interim, ut obiter hoc annotem, inde quod Arabicum صفح eundem admittat ſignificatum *palmæ*, quem & Hebræum טפח gerere indubitatum eſt, illius Thematis cum hoc convenientia & affinitas clarius & certius cognoſcitur. Sed pergamus. Ex illo uſu vocabuli صفح, quo accipitur de *vola*, ſeu *latiori* & *interiori parte* manus, ſponte emanavit notio *complodendi manus*. Hinc

Digitized by Google

Cl. Golius ad primam Radicis Conj. *Comploſit manus*, pec. mulier, *uti in planctu*. Et a Gjeuhario per صفق exponitur. Quam notionem *plaudendi* non tantum Aethiopes, ut jam vidimus, ſed & Chaldæi & Talmudici, in ipſo Themate טפח aſſervarunt, quod in Paraphraſibus Chaldaicis Hebræo ספק, non diverſo ab illo صفق Arabum, reſpondere ſolet. Ut Num. XXIV. 10. Hebræa ויספק את כפיו *comploſit volas ſuas*, Jonathan vertit וטפח בכף ידוי *plauſit vola manuum ſuarum*. Et Jerem. XXXI. 19. ספקתי על ירך *manu percuſſi ſuper femur*; ubi iterum Chaldæus habet: טפחנא על ירכנא *manu percuſſimus ſuper femora noſtra*; quod fiebat in planctu. Plura hujus uſus exempla vid. apud Buxtorf. in Lex. Chald. col. 899. Huc & refero uſum affinem hujus טפח, quo notat *colligere*, vel *abſtergere*, aliquid *manu*, ſeu proprie *latiore parte manus*. Ut in Tract. Miſchn. Terumoth Cap. XI. Sect. 7. *Effuſo olei dolio non obligatur* להיות יושב ומטפח *conſidere & palma abſtergere*. Ubi Bartenora hoc מטפח exponit per מאסף את השמן בטפח *colligere oleum palma*. Addit Maimonid. מטפח נגזר כן טפח *hanc notionem deſcendiſſe a nomine* טפח palma. Minus itaque placet Cl. Buxtorfii ſententia, qui putat, ומטפח hic exponi poſſe: *& humectare ſe*; quia nempe טפח Talmudicis quoque ſignificat *udum*, *humidum*, *eſſe*. Cujus notionis, ad quam ſupra provocantem audivimus Hoheiſelium, originem ut paucis attingam, videtur ea aſſumta ex nomine טפיח, quod notat proprie *patinam*, vel *vas* aliquod *latius*, quo utuntur ad *lavandum manus*. Unde hoc vel a nomine טפח, vel, quod probabilius, immediate a primaria Thematis notione, potuit deduci. Ampliori tamen ſenſu illud טפיח etiam de *vaſe* uſurpatur, quo *aqua hauritur*, vel *potus propinatur*. Affine eſt, quod in Camuſo Arabum صابح quoque exponatur: *Propinavit quic-*

Digitized by Google

quicquid eſſet vini. Sed redimus unde deflexi eramus. Ex nomine טפח صفح porro aſſumta in III. Conj. notio *prebendendi*, vel *tractandi*, *manu*, & in Conj. VI. *mutuis ſe manibus prebendendi.* Hiſt. Tam. p. 376. وسارع كل من جماعته بمفرده الي مصافحة شيخ نور الدين وتقبيل يده *Singula totius multitudinis membra feſtinabant, ad manum Scheich-Nouroddini prebendendam, & oſculo excipiendam.* In Impreſſo pro مصافحة male eſt مصافحتة. Addatur Abulf. in Vita Mohamm. p. 145. وما صافحه احد فيترك يده حتي يكون ذلك الرجل هو الذي ترك يده Interprete Cl. Gagnier: *Si quis apprehenſa manu, complodendi gratia, eum ſalutaret, tamdiu manum ſuam relinquebat, quamdiu ille alter ſuam relinqueret.* Qui uſus, in Arabum Scriptis admodum protritus, nobili & erecta figura indutus occurrit Thren. II. 22. *Hoſtis abſumit eos* אשר טפחתי ורביתי *quos palmis tractavi & educavi.* Sumta a Parentibus metaphora, qui cara ſua pignora *palmis* geſtitare ſolent. Et ibid. vſ. 20. *Quum comedent mulieres foetum ſuum,* עללי טפחים *parvulos, quos palmis geſtabant*; quaſi dicas *parvulos palmationum.* Cl. Vitringa quidem in Comm. ad Jeſ. XLVIII. 13. eorum rejicit ſententiam, qui id referunt ad *geſtationem liberorum*, & exiſtimat, „ rectius peti notatio-„ nem vocis ab illa matrum aut nutricum recepta conſue-„ tudine, *qua infantes recens natos palma explanant, ut* „ *ipſorum membra in palmum & longum diſtendantur, &* „ *creſcant, ne fiant diſtorta*, perinde ac in tractandis par-„ vulis, faſciis involvendis, & in iisdem faſciis explican-„ dis, palmorum continuus eſt uſus. „ Verum quamvis hic ſenſus cum origine, quam exhibuimus, Radicis טפח optime conſiſtat, minus tamen in illis locis, nempe

 Thren.

Thren. II. 20. & 22. commodus videtur. Nam per עוללי טפחים, quos, ſtimulante & dominante fame comeſturas eſſe Judæas mulieres dicit Propheta, procul dubio ſignificantur infantes, quos habebant cariſſimos, & , ut ſolent Parentes parvulis blandientes, palmis geſtitabant. Admodum vero frigeret ſenſus, ſi illa verba exponeres per *parvulos, quos recens natos palma explanant, vel faſciis involvunt*. Id enim parum vel nihil faceret ad ſcopum Prophetæ. Sequitur vocabulum صفحة, quod *latam* & *ſpatioſam* notat *ſuperficiem*, vel, ut Golius habet, *Latus rei*, pec. *expanſum*. *Facies*. Ut in illo Poëtæ:

كنجم لاح لناظر في صفحات الماء

Inſtar ſideris, quod lucet ſpectatori in lata aquarum ſuperficie.

Eleganter Arabsjades Hiſt. Tam. p. 225. وصفحات الرياض بانامل صباغ الغدرة تلونت *Lata hortorum facies a divina Providentia, velut periti cujusdam tinctoris digitis, variis coloribus erat exornata.* Quæ porro habentur apud Golium, ſingula præ ſe ferunt primariam, quam noſtro Themati adſcripſimus, poteſtatem. Ut مصفح *Latus faciei, gladii.* & مصفحا Adverb. *Latiore rei parte* percuſſit. Item, ut & مصفّح, *Lato præditus capite*; & مصفّحة denique *Gladius*, quod cudendo *dilatetur*; quam notionem & صفيحة gerit, annotante Giggejo. Præ aliis autem notandus eſt uſus vocis صفيحة, & in Plur. صفايح. Ea de quacunque *re latiori* & *ampliori* adhibetur. De *gladio lato* accipienda eſt in Hiſt. Tam. p. 329. ولكن شكيمة البرد كانت ردت جماح

جماح كل جموح وصفيحة الجمد قدت جناح
كل سبوح *Frigus intenſiſſimum, luporum inſtar, omnium protervorum temeritatem frænabat, & gelu, ceu latus aliquis gladius, omnium natantium pinnas amputabat.* Apud Giggejum eſt plena phraſis: السيوف صفايح *Enſes lati.* Idem & habet حجارة صفايح *Silices latiores*, nec non صفايح الباب *Januæ tabulæ*, a *latitudine* ita dictæ. Unde & quæcunque *Lamina* صفيحة appellatur. Vid. Exod. XXXIX. 3. & Ezech. V. 1. In ſpecie autem, quod maxime hic attendendum, idem hoc صفيحة accipitur de *latiori* & *exteriori* cujuscunque generis *tegumento*. Sic de *latiori* alicujus rei *ſuperficie* accipitur, notante Golio, quia ea eſt *ſuperius* rei *tegumentum*. Item, apud eundem, *exterior* faciei *cutis*. Sic صفيحة السمك *exterius tegumentum piſcis*, eſt *ſquama*. Unde الصفايحي *ſquamoſus*. Etiam pro *ſcuto* uſurpatur 1 Chron. XVIII. 7. quia id *extremum* eſt militis *operimentum*. Frequentiſſime autem pro *lamina* vel *bractea*, qua quid *contegitur* & *obducitur*. Num. XVI. 38. *Thuribula eorum qui peccarunt facient* صفايح رقاقا غشاء للمذبح *laminas tenues in tegumentum altaris.* Et 1 Reg. VI. 21. وجعل سليمان داخل البيت على الحيطان صفايح من ذهب *Poſuit Salomo in parte domus interiori ſuper parietes laminas ex auro* Addatur Bohadinus in Hiſtor. Sal. p. 141. آلة عظيمة تسمى دبابة يدخل تحته من المقاتلة خلق عظيم ملبسة بصفايح الحديد *Machina ingens, Debbaba dicta, quæ latis laminis ferreis veſtita, magnum pugnatorum vim ſub ſe recondere poterat.* Unde & ipſum Thema in II. Conj. notat: *Lamina texit.*

 Exem-

Exemplum habes 2 Chron. III. 9. صفّحه بذهب جيد *obduxit illud* (Sanctuarium) *laminis ex auro optimo.* Sed porro Nomen illud صفيحة in Hiſt. Tam. p. 204. de *amplis* adhibetur *peripetaſmatis*, quibus ſplendidiſſimum aliquod Timuri tentorium obnuptum. Lubet totum afferre locum, quia inſignis eſt, & non parum facit ad cognoſcendas artes, divitias, & pompam, Orientis: ونصبوا
له داخل هذه الجناب عدة من الخيام
والاخبية والقباب ومن جملتها قبة اعلاها
واسفلها بالذهب مزركش وظاهرها
وباطنها بلب الريش مريش واخري كلها
بالحرير محبوكة وبانواع النقوش والوان
الاصباغ مبنية مشبوكة واخري من فرقها
الي قدمها مكللة باللآلي الكبار التي لا يعلم
قيمة احدها الا عالم الاسرار واخري مرصعة
بانواع الجواهر في صفايح الذهب
مدهشة الابصار والبصاير *In illo campo multa variique generis tentoria ipſi erexerant, quorum unum oram habebat & ſuperiorem & inferiorem auro intextum, atque intus & extus pulcherrimis plumis pictum erat & variegatum; alius totum ex holoſerico erat contextum, variisque ſignis ornatum, & floribus diverſorum colorum ſibi invicem implexis; alius magnis unionibus undiquaque ceu corona quadam cinctum erat, quorum pretium ſoli Deo notum. Aliud denique varii generis gemmis erat diſtinctum, quæ AMPLIS tentorii AVLAEIS, auro ornatis, insertæ, oculorum aciem præſtringebant.* Cum itaque illud vocabulum de quocunque *latiori*, *ampliori*, & *exteriori tegumento* uſurpetur, mirum non eſt, quod & *veſtimenti* aliquod genus *amplioris* & *exterioris* deſignet. Hoc ipſe teſtatur Giggejus, qui Theſ. Ling.

Ling. Arab. Vol. II. col. 1329. vocem صفيحة in genere per *opertorium*, vel *operimentum*, exponit. Addatur Gloſſator Arabico-Perſa, qui, poſtquam varios dictionis uſus recenſuiſſet, ſubjicit tandem, eam quoque notare وصفائح جامه بهنا بشر كفنته است

— — مدوا السرايح
مد الرعاديد اطراف الصفايح *

Pallium, *Veſtem latam*, *&* *amplam*. *Exemplum habetur in hoc Biſchri Poëtæ*:

> — — *Explicuere denſa agmina*,
> *Quemadmodum delicatæ foeminæ explicant latera palliorum.*

VI. Hæc prolixius proſequuti ſumus, ut de nativa Thematis indole, quam omnia nomina derivata, omneſque uſus ſecundarii, aliquo modo exprimunt, eo certius conſtaret. Nihil nunc ſupereſt, quam ut ex iis, quæ hactenus allata, concludamus, Originem Hebrææ Radicis טפח, & primigeniam poteſtatem, in *lato* & *amplo* eſſe collocandam, & inde derivatum Nomen מטפחת *veſtem latam* & *amplam* denotare. Quæ expoſitio eo minus reſpui poteſt, quoniam, ut jam obſervavimus, luculenta ſuperſunt in Lingua Biblica antiquiſſimæ illius notionis veſtigia. Non autem melius *ampla* illa veſtis, quam per Latinorum *Pallium* exprimi poteſt, quod etiam, quatenus & muliebre erat veſtimentum, *Palla* dicebatur. Erat enim veſtis exterior, & amplior *Tunica*, cui ſuperinjiciebatur. An vero apud veteres Hebræos מטפחת & virilis fuerit veſtis, hodie non conſtat. Nam in duobus locis Scripturæ, ubi ea vox tantum occurrit, ſolis tribuitur foeminis. Hic a Jeſaja peropportune ea ſubjuncta ταῖς מעטפות, quas fuiſſe *Tunicas* præcedente Cap. oſtendimus. Quemadmodum enim

Unde מטפחת *eſt* veſtis laxa, *ſeu* pallium.

enim מעטפה indumentum fuit inferius, ita מטפחת illi proxime inhærebat. In altero loco, Ruth. III. 15. *Pallium* liquidiſſima habet jura. Verba Scriptoris Sacri hæc ſunt: ויאמר הבי המטפחת אשר עליך ואחזי בה ותאחז בה וימד שש שערים וישת עליה *Dixit* Boaz Ruthæ: *Cedo pallam, quæ eſt ſuper te, eamque tene; quam illa tenuit, dum ipſe ſex menſuras hordei demenſus, mulieri impoſuit.* Quia enim adeo ampla erant veterum pallia, ut pars in humerum rejiceretur, altera brachio ſubduceretur, Rutha, prehendens aliquam partem, ejus ſinu oblatas a Boazo fruges excepit. Imo aliam veſtem quam *pallium* ne admittere quidem ipſe Textus videtur. Nam ex verbis אשר עליך da veſtem *quæ eſt ſuper te*, haud obſcure colligitur, veſtem intelligendam eſſe totum corpus tegentem: Quoniam alias, pro genio Linguæ Hebrææ, ſpecialius membrum corporis, cui illa applicata fuiſſet, expreſſis potius verbis fuiſſet nominatum. Accedit, quod & aliud quodcunque tegumentum, non niſi uni corporis parti, v. g. capiti, deſtinatum, ad uſum, quem volebat Boazus, fuiſſet ineptum. Nihil itaque reſtat, quam ut dicamus, מטפחת fuiſſe *Pallium*, quod, cum *laxius* eſſet & *exterius* veſtimentum, commodiſſime illum uſum præſtabat. Neque inſolitum id Veteribus fuit, ut in ſinu, vel lacinia, veſtimenti exterioris aliquid deportarent. Cujus moris forte quædam exempla ad Cap. ſequens afferemus.

Poſſet autem quis huic noſtræ ſententiæ opponere, quod recentiores Judæi, ipſi etiam Doctores Miſchnici, vocabulum מטפחת haud infrequenter eo ſenſu uſurpent, qui ſignificatum *Pallii* non admittat. Verum quidem eſt, quod illud de *linteo*, *mantili*, *involucro*, &c. adhibeatur. Sed, ut taceam, Judæos jam Miſchnicorum Doctorum temporibus nativam Linguæ Hebrææ indolem, & propriam plurimarum vocum vim & poteſtatem, ignoraſſe, & ſæpiſſime vocabula eo in ſenſu uſurpaſſe, quem ipſorum Com-

Digitized by Google

Commentatores falſo ſupponebant, (quod non paucis probare poſſem exemplis) pro certo tamen nunc habeo, quod omnes iſti uſus Talmudicorum cum noſtra expoſitione & derivatione vocis optime conſiſtant. Non enim aſſerimus, מטפחת nihil aliud ſignificare poſſe quam *pallium*; ſed quoties de veſte accipitur, totum corpus operiente, id notat. Quemadmodum vero ſupra vidimus, Arabum ملحفة de re quacunque, majorem habente *latitudinem* & *amplitudinem*, ſumi poſſe, ita & procul dubio Hebræorum מטפחת. Unde apparet, quod non incommode etiam pro *latiori* aliquo *linteo*, aut *involucro*, uſurpari queat. Sic in Tract. Miſchnico Kelaïm Cap. IX. Sect. III. memorantur מטפחות הידים *mantilia*, vel, ut Maimonides exponit, הם המפות שינגבו בהם הידים *lintea, quibus uti ſolent ad tergendas manus*. Item מטפחות הספג *Balnearia*, ſeu, ut idem habet, מפות שינגבו בהם כל הגוף *lintea, quibus totum corpus abſtergunt*. Nec non ibid. מטפחות הספרים *lintea ampliora, quæ*, ut Maimonid. ait, *tonſores humeris imponunt*; addit Bartenora, *ne veſtes polluantur*. Quemadmodum etiam ſupra obſervavimus, illud ملحفة in ſpecie de *latiori* & *exteriori* cujuscunque rei *operimento* frequentari, ita & apud Rabbinos מטפחת uſurpatur. Sic מטפחות הספרים ſunt *ampla velamina*, ſeu *lintea*, quibus Judæi *involvunt libros Legis*. Et in Tract. Kelim Cap. XXIV. Sect. XIV. memorantur מטפחות של נבלי בני לוי *velamina & involucra nabliorum filiorum Levi*; nam, obſervante Bartenora, Levitæ muſica ſua inſtrumenta obvelare *involucris* ſolebant. Ex quibus exemplis apparet, tantum abeſſe, ut uſus vocabuli מטפחת apud Rabbinos noſtræ ſententiæ adverſetur, ut potius cum ea pulchre conſiſtat, & perpetuam harmoniam Hebraiſmi cum Arabica Dialecto clarius ob oculos ponat, noviſque documentis confirmet.

Digitized by Google

An huc pertineat מספחות *Ezechielis?*

VII. Sunt qui putent, vocabulum מספחות, quod occurrit Ezech. XIII. 18. 21. poſitum eſſe pro מטפחות, litera (ט) in (ס) deflectente. Sic Forſterus ad vocem מטפחת, quam per *velamen capitis* exponebat: *Ezechiel,* inquit, *uſurpat bis cap.* 13. *ſed loco teth ſcribitur ſamech* מספחות *Et faciunt vela ſuper caput omnis ſtaturæ. Et mox iterum: Et lacerabo vela veſtra.* Idem multis urget Bucherus de velatis foem. p. 87. Præiverat Kimchi in Comm. ad h. l. Ait מספחות eſſe quaſi מטפחות, & addit: הם הצעיפים שמכסות בהם הנשים את פניהן *Sunt pepla, quibus foeminæ faciem obvelabant.* Sed in Libro Rad. ad Thema ספח, confert quidem etiam noſtrum מטפחות, ſed ſignificationem tamen vocis non ex טפח, ſed ex ספח *adjungere*, deducit. Dicit enim, *pepla* מספחות appellari, לפי שהן נדבקות ועומדות תמיד על הראש *quia ea inhærent, & conſtanter adjuncta ſunt, capiti.* Hoc haud dubie præferendum. Nam cum Radix ספח frequentis fuerit uſus apud veteres Hebræos, ut ſatis conſtat ex tenuibus Linguæ reliquiis, ad illam longe tutius, quam ad טפח, vocabulum מספחות refertur. Dictionem hanc *vela capitis* denotare, ipſe Textus evincit. Dicitur enim vſ. 18. מספחות על ראש *vela ſuper capite.* Videntur itaque *pepla* intelligi, qualia ſunt, quibus foeminæ in Oriente totum caput, præcipue vultum, obnubunt. Ea commodiſſime מספחות appellata, quia foeminarum fere præcipuæ veſtes ſunt, iisque in publicum prodeuntibus conſtanter *inhærent*, ut recte Kimchius. Quamvis dein, latius ſe extendente uſu, cujuscunque generis *peplum* & *velamen* ea vox potuerit denotare. Sed de hoc loco forſan alibi plura.

Pallium in Oriente frequentiſſimum.

VIII. Supereſt, ut de *Palliis* paucula addamus. *Pallia*, vel, ut generalius loquar, veſtes laxiores, tunicæ ſuperinjectas, fere ubivis terrarum, fuiſſe olim geſtatas, notiſſimum; ſi ullibi tamen, certe in Oriente, pallium in pretio fuit & honore. Hebræis vocatur ordinario nomine

ne

ne מעיל; quod Cl. Braunius de V. S. H. lib. II. cap. 27. deducit a מעל *occulta prævaricatione*, quod ii, qui in alios peccant, ſub ſpecie amicitiæ lædant, ac nequitias ſuas ſoleant velare, ficto quodam amore & amicitia, tanquam *pallio*. Addi meretur, quod non multo aliter a בגד *perfidus fuit*, *prævaricatus fuit*, ductum nomen בגד *veſtis*, in ſpecie *exterior*, vel, ut volunt Coccejus & Guſſetius, ex notione *veſtis* aſſumtus in illo Themate *perfidiæ* & *prævaricationis* ſignificatus. Aſt Cl. Majus vocem מעיל, literam (מ) habens pro Servili, derivat ab Arabico عال vel عيل, quod notat, ut ait, *honeſte*, *graviter*, *ex generoſiori animo*, *vel etiam ex ſuperbia*, *inceſſit*; ideo quod pallio veſtiti & amicti, quod gravium & dignitate conſpicuorum hominum eſt, *gravitatem* in *inceſſu oſtentent*. Hoc certum eſt, ex locorum collatione, quod מעיל non niſi honoratioribus, & quadam dignitate illuſtrioribus, perſonis tribuatur. Ex qua obſervatione gratia & emphaſis accedet non contemnenda locis Jeſaj. LXI. 10. & Job. XXIX. 14. Sequiori ſexui מעיל nuſpiam adſcribitur, niſi forte huc referas 2 Sam. XIII. 18. quo de loco ſupra.

Vulgarius *pallium* apud Hebræos vocabatur שמלה; quod nomen *exterius* præcipue *veſtimentum* denotare, non tantum ejus uſus in Scriptura, ſed & origo, nos docet. Nam deperdita ejus Radix שמל apud Arabes aſſervatur, quibus شمل eſt, exponente Golio, *comprehendit undique*, *continuit*, *cinxit* & *circumdedit* eum res. Unde in IV. Conj. اشمل notat: *Amicivit*, *totumque ſe operuit* involvitque ſua veſte. Unde שמלה شملة eſt *veſtimentum totum corpus involvens*; nec non مشمل & مشملة *veſtis genus*, *quo quis totus operitur*. Hinc & Hebræum שמלה LXX. conſtanter per ἱμάτιον, vel ἱματισμὸν, vel

 &

& per ϛολὴν, quod Græcis ſæpe notat *pallium*, expreſſerunt. Viris paſſim datur; ſed & interdum foeminis, ut Deut. XXI. 13. XXII. 5. & Jeſaj. IV. 1.

Affinis originis eſt גלום *Pallium*, quod occurrit Ezech. XXVII. 24. Eſt enim a גלם *involvere*, *convolvere*, 2 Reg. II. 8. Etiam Chaldæis & Talmudicis גלם vel גולמא vel גלימה *Pallium* notat. Hinc forte Græcorum χλαμὺς originem traxit: Itemque Latinum *glomus*, *glomerare*.

Huc & pertinet תכריך, quo, ceu Regio Inſigni, indutus Mordechæus legitur Eſth. VIII. 15. ubi Chaldæus optime גלימא. Eſt enim a כרך, quod apud Chaldæos quoque uſurpatur pro *involvere*. Unde dictum Pallium תכריך, quia ei, ceu veſtimento laxiori, *ſe totos involvunt*. In iſto loco per χλαμύδα vel *Paludamentum* commode exponi poteſt.

Vocatur apud Hebræos Pallium etiam אדרת, ab אדיר *magnificus*, quod eſt ab אדר *magnificus fuit*. Ex locorum inſpectione apparebit, quod non niſi perſonis honoratioribus, & majori aliqua dignitate conſpicuis, tribuatur. An vero huc referendum quoque ſit vocabulum כרבלה, exſtans Dan. III. 21. nondum mihi ſatis liquidum. Probabile tamen eſt, quia Thema כרבל cum מעיל conſtruitur 1 Chron. XV. 27. ודויד מכרבל במעיל בוץ *David amictus erat pallio byſſino.*

Porro etiam ex Novo Teſt. frequens pallii uſus apud Judæos ſatis conſtat. Vocatur ibi ἱμάτιον; nam *tunicæ* opponi ſolet. Ut Matth. V. 40. Τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι, καὶ τὸν χιτῶνά σου λαβεῖν, ἄφες αὐτῷ καὶ τὸ ἱμάτιον. Vid. & Luc. VI. 29. Unde & dicitur περιβάλλεσθαι *amiciri*, non *indui*, ut *Tunica*. Joh. XIX. 2. Sed hæc nolo cumulare.

Denique Rabbinorum in Scriptis ſæpiſſima *Pallii* tam viri-

virilis quam muliebris mentio injicitur, habentque ii præter voces Biblicas adhuc multas alias, quibus illud deſignant, non paucas etiam peregrinas. In Tract. Talmudico Schabbath fol. 120. col. 1. inter octodecim veſtes, quas die Sabbathi Judæo licet ex incendio ſecum auferre, numerantur quoque חלוק ואפּליון, quæ in Gloſſis ſic explicantur: חלוק קמישה על בשרו ואפּליון סרין להתעטף בו כולו i. e. חלוק *eſt camiſia, carni proxime inhaerens, &* אפּליון *eſt veſtis, qua ſe totos involvunt.* Non male. Nam אפּליון haud dubie eſt Latina vox *pallium.* Alias & גולא vel גלתא dicunt, a גלל *volvere, involvere.* Id in Tract. Bava Batra fol. 110. col. 1. & foeminis tribuitur, ut & in pluribus aliis locis, quæ nunc non vacat ſtudioſe colligere.

In reliquis Orientis partibus adamatas ſemper fuiſſe veſtes laxiores, nemo ignorat. De Perſis Manil. Aſtron. lib. IV.

Et Syriæ gentes, & laxo Perſis amictu
Veſtibus ipſa ſuis hærens.

Talis veſtis amplior, & ad talos usque demiſſa, in ſpecie veteribus *Stola Medica* vocabatur, cujus apud Græcorum Scriptores paſſim fit mentio. Afferemus nunc ſolum Xenophontem, de Inſt. Cyri lib. VIII. Στολήν τε γοῦν εἵλετο τὴν Μηδικὴν αὐτός τε φορεῖν καὶ τοὺς κοινῶνας ταύτην ἔπεισεν ἐνδύεσθαι· αὕτη γὰρ συγκρύπτειν ἐδόκει, εἴ τίς τι ἐν τῷ σώματι ἐνδεὲς ἔχοι, καὶ καλλίστους, καὶ μεγίστους ἐπιδεικνύναι τοὺς φοροῦντας. *Stolam Medicam ſibi geſtandam eſſe ſtatuit, ſuoque amicorum collegio amiciendam ſuaſit; quoniam ea, ſi quid vitii in alicujus corpore eſſet, id occultare, & eos, qui eam portarent, pulchriores majoresque exhibere, videbatur.* Talem Stolam Medicam Semiramis jam geſtavit, ſi fides habenda Diodoro

 Sic.

Sic. lib. II. Virile pallium, ſed barbaricum, Romani *pallam* vocabant. Curtius lib. III. *Cultus Regis inter omnia luxuria notabatur: Purpureæ tunicae medium album intextum erat: pallam auro diſtinctam aurei accipitres adornabant.*

Arabiæ antiquas mulieres quoque *pallis* delectatas fuiſſe teſtatur Abd'ol-maſih Poëta vetus, qui ante Mohammedem natum floruit:

وامه من ال ذيب بن حجن
بيضاء فضفاض رداء والبدن *

Mater ejus eſt ex familia Dhibi, filii Hagjanis,
Candida laxa palla, palliolo, & cingulo.

Utitur voce فضفاض, quæ *amplam veſtem* notat, obſervante Gjeuhario, & فضفضة eſt *amplitudo veſtis.* Addatur Abou-Iſhaac Zabiæus:

فنولت سيلان الدوران ونولن
قوارير اناب من النضر خالص *

Ego donata ſum pallis amplis Duranæ, & illæ donatæ ſunt
Vaſculis aromatum ex auro puro.

Joſephus Caraboukides Saivaſienſis cap. XVI. ubi agit de Veſtitu antiquorum Arabum, muliebri cultui accenſet quoque حلة مرفلة ومخرفجة *pallium talare & laxum.* Quæ ex recentioribus ſcriptis ad manum ſunt teſtimonia, nolo huc convehere.

Ut & in Occidente. IX. Sed & apud alios populos *pallium* ordinarius erat & vulgaris veſtitus. De Aegyptiis Herodotus lib. II. cap. 81. Ἐνδεδύκασι δὲ κιθῶνας λινέους περὶ τὰ σκέλεα θυσανώτους, τοὺς καλασίρις καλέουσι· ἐπὶ τούτοισι δὲ εἰρίνεα εἵματα λευκά.

καὶ ἐπαναβληδὸν φορέουσι. *Induunt tunicas lineas, circa crura fimbriatas, quas Calaſiris appellant, quibus circumjecta lanea geſtant candida pallia.*

Græcorum conſtans geſtamen Pallium fuit. Et plerumque ἱμάτιον vocabatur. Demoſthenes: Ὥστε μὲ θοἰμάτιον προέσθαι, καὶ μικροῦ γυμνὸν ἐν χιτωνίσκῳ γενέσθαι φεύγοντα, *adeo ut abjecto pallio, fere nudus, in tunicula aufugerem.* Aelianus lib. I. cap. 16. Ἀφίκετο εἰς τὸ δεσμωτήριον Ἀπολλόδωρος, ὁ τοῦ Σωκράτους ἑταῖρος, χιτῶνά τε αὐτῷ φέρων ἐρίων πολυτελῆ, καὶ εὐήτριον, καὶ ἱμάτιον τοιοῦτο· καὶ ἠξίου ἐνδύντα αὐτὸν τὸν χιτῶνα, καὶ θοἰμάτιον περιβαλλόμενον, εἶτα οὕτω πιεῖν τὸ φάρμακον. *Accedens in carcerem Apollodorus, Socratis amicus, attulit ei tunicam ex pretioſa lana, & eleganter contextam, & ſimile pallium; & rogavit, ut indutus tunica, & amictus pallio, ſic demum biberet venenum.* Idem lib. IV. cap. 22. Οἱ πάλαι Ἀθηναῖοι ἁλουργῆ μὲν ἠμπείχοντο ἱμάτια, ποικίλους δὲ ἐνέδυνον χιτῶνας. *Veteres Athenienſes purpureis amiciri ſolebant palliis, & variegatas induere tunicas.* Ariſtophanes ἱμάτιον etiam foeminis adſcribit. Ut in Eccleſ. 531. de Praxagora:

> Εἶτ' οὐ τὸ σαυτῆς ἱμάτιον ἐχρῆν σ' ἔχειν;
>
> *Nonne te oportebat tuum habere pallium?*

Et mox vſ. 540.

> Ἵνα θοἰμάτιον σώσαιμι. ——
>
> *Ut pallium ſervarem.*

Idem in Plut. vſ. 985.

> Καὶ ταῖς ἀδελφαῖς ἀγοράσαι χιτώνιον
> Ἐκέλευσεν ἄν, τῇ μητρί τε θοἰματίδιον.

Et

Et ſororibus emi tunicam
Juſſit, matri vero pallium.

Quare & Idem, ut pallia virilia a muliebribus diſtingueret, θοιμάτια τὰνδρεῖα dicit in Ecclеſ. vſ. 275. Homerus foeminarum pallia πέπλυς vocavit. Unde Servius ad illud

— *peplumque ferebant*,

annotat: *Peplum eſt proprie palla picta foeminea.* Apparet id ex ipſo Poëta, Iliad. Z. 271.

Πέπλον δ', ὅςις τοὶ χαριέςατος ἠδὲ μέγιςος.

Peplum, qui tibi elegantiſſimus eſt & maximus. i. e. *laxiſſimus.*

Et paulo poſt vſ. 294.

Ὃς κάλλιςος ἔην ποικίλμασιν, ἠδὲ μέγιςος.

Qui peplus *pulcherrimus erat variis picturis, & maximus.*

Item Odyſſ. Σ. 291.

Ἀντινόῳ μὲν ἔνεικε μέγαν περικαλλέα πέπλον
Ποικίλον.

Ab Antinoo apportavit magnum perpulchrum peplum
Varie pictum.

Hinc & foeminæ peplo amictæ τανύπεπλοι ab Homero vocantur; ut Odyſſ. Δ. 305. & O. 362. Interdum etiam longiora ſyrmata peplis attexebantur. Unde Trojanæ mulieres apud eundem paſſim ἑλκεσίπεπλοι vocantur; ut Iliad. Z. 442. H. 297.

H. 297. X. 105. Quod iterum indicio eſt, veterum *peplum* pallium fuiſſe, vel veſtem exteriorem.

De vocabulo φᾶρος non conſentiunt Eruditi, utrum proprie *pallium*, an *tunicam*, notet. Pro *pallio virili* manifeſto accipitur ab Homero, Odyſſ. Γ. 467. de Telemacho:

Ἀμφὶ δέ μιν φᾶρος καλὸν βάλεν ἠδὲ χιτῶνα.

Circa ipſum pallium pulchrum jecit, & tunicam.

Sed en tibi alium locum, Odyſſ. E. 230. ubi, cum *zona cingi* dicatur, non poteſt non *tunicam*, *ſtolam*ve, deſignare:

Αὐτὴ δ' ἀργύφεον φᾶρος μέγα ἕννυτο νύμφη,
Λεπτὸν καὶ χαρίεν, περὶ δὲ ζώνην βάλετ' ἰξυῖ.

Ipſa quoquè candidam ſtolam magnam induit Nympha,
Tenuem & gratioſam, zonamque circumpoſuit lumbis.

Unde itaque hæc uſus diverſitas? Nempe, ut jam obſervavimus in Cap. præc. ubi de voce מעטפות, *muliebris tunica*, ideo quod valde ampla ſit & laxa, ſæpe *pallii* ſortitur appellationem. Idem & in voce φᾶρος contigit.

Romanorum pallium virile *Toga* erat. Quæ quidem diverſa dicitur fuiſſe a *Pallio*; ſed id non alio intelligendum ſenſu, niſi quatenus opponebatur Pallio Græcorum, quod in modo geſtandi a Toga diſcrepabat. Muliebre Pallium dicebatur *Palla*, hinc *tunicæ pallium* appellata a Servio, quia tunicæ injiciebatur. Apparet id ex Horat.

Ad talos ſtola demiſſa & circumdata palla.

Addatur Martialis, II. 105.

Faſcia te tunicæque tegunt, obſcuraque palla.

Nec non Seneca in Troad. I. 91.

Cingat tunicas palla ſolutas.

Eratque veſtis longa, & ad pedes usque defluens. Virg. Aen. XI. 576.

— *pro longæ tegmine pallæ.*

Ubi Servius: *Palla proprie eſt muliebris veſtis deducta usque ad veſtigia.* Citatque mox Ovid. Amor. III. 13.

Virginei crines auro gemmaque premuntur,
Et tegit auratos palla ſuperba pedes.

Sæpe tamen & pro *palla* invenias *pallium*. Ovid. Amor. III.

Sed nimium demiſſa jacent tua pallia terræ.
Collige vel digitis en ego tollo meis.

Idem de Arte, lib. I.

Pallia ſi nimium terræ demiſſa jacebunt,
Collige & immunda ſedulus effer humo.

Forma palliorum varia. X. Ad modum vero geſtandi pallium quod attinet, is pro populorum, ætatum, dignitatum, ſexus, adde & variorum nominum, quibus illud apud plerasque gentes inſignitum fuit, diverſitate, quam maxime fuit diverſus. Veteribus Hebræis triplex potiſſimum fuiſſe videtur palliorum genus. Vel enim erat rotundum & undique clauſum a lateribus, circa humeros vero apertum, ut caput immitteretur; quale מעיל fuit ſummi Pontificis. Idque potius *tunicopallium* eſſet dicendum. Vel erat quadratum, & ab anteriori parte apertum, non niſi humeris inhærens, qualia fere apud nos hodie habentur. Haud abſimilia enim geſtaſſe Hebræos inde conſtat, quod Deus eos juſſerit, ut ſibi

Digitized by Google

ſibi pararent גדילים בארבע כנפות הכסות *peniculamenta in quatuor angulis veſtimenti.* Deut. XXII. 12. Num. XV. 38. Vel denique erat pallium laxiſſimum, totique corpori circumvolvebatur. Hoc Hebræos ita amiciviſſe puto, ut pallio humeris impoſito ſiniſtra pars brachio dextro ſubduceretur, dextra vero in ſiniſtrum humerum rejiceretur; eoque pacto exereretur, & conſpiceretur brachium dextrum, ſiniſtrum vero opertum eſſet & lateret. Unde & manus ſiniſtra שמאל ab Hebræis dicta, quod *pallio* שמלה eſſet *involuta*, a שמל *involvere*, quo de ſupra. Et tale laxum & amplum pallium fuiſſe puto mulierum Hebræarum, ideo & מטפחת appellatum. Simul autem talare erat; nam tunica muliebris talaris erat, qua pallium brevius eſſe non poterat. Sed quamvis magna fuerit veterum cura in pallio decenter & ornate componendo, eorum tamen, præcipue Hebræorum, multas conſuetudines nunc plane ignoramus, idoneis & antiquis documentis deſtituti. Quæ vero adhuc addi forte poſſent, alii reſervo occaſioni. Neque etiam nunc aliarum gentium moribus immorari licet.

XI. Hoc tamen addidiſſe operæ pretium fuerit, quod habuerint veteres, præcipue foeminæ, pallia pretioſiora multoque conſpicua ornatu. Communis quidem & ordinaria eorum materia lana fuit, juxta illud Plauti: *Pallia pretioſa Veterum.*

Eme mi vir lanam, unde tibi pallium — Conficiatur.

Sed non omnis tamen lana ejuſdem eſt pretii & præſtantiæ. Uti Aelianus narrat, Apollodorum Socrati attuliſſe tunicam ex *lana pretioſa*, & ſimile *pallium*. Auctoris verba jam adduximus. Interdum tamen & ex lino geſtata pallia. Sic 1 Chron. XV. 27. ודויד מכרבל במעיל בוץ *David amictus erat pallio byſſino.* Vid. & Eſth. VIII. 15. At linum byſſinum pretioſiſſimum fuit olim; adeo ut &

nonnunquam auro æquaretur, ut tradit Plinius lib. XVIII. cap. I. Vel & pretioſis coloribus pallia tingebantur. In Eſtheræ loco mox cit. memoratur pallium byſſinum *purpureum*. Cujus frequentior ſit mentio in Veterum Scriptis. Ovid. Faſt. lib. II.

Induerat Tyrio diſtinctam murice pallam.

Similis locus eſt Metam. XI.

Verrit humum Tyrio ſaturata murice palla.

Non multo vilior purpura erat *hyacinthinus* color, quo tincta pallia memorantur Ezech. XXVII. 24. בגלומי תכלת ורקמה *in palliis hyacinthinis & acu pictis*. Sane & picta ſæpe ac πεποικιλμένα (id enim רקמה eſſe, ſupra obſervavimus) veterum fuere pallia. Ut ſupra ex Homero habuimus πέπλον ποικίλον, & κάλλιστον ποικίλμασιν. Unde Pollux lib. VII. cap. 13. ſect. 51. Ἔνιοί φασι τὰ μὲν ἄνευ ποικιλμάτων ἐσθήματα ἑανὺς καλεῖσθαι. Τὰ δὲ σὺν ποικίλμασιν, πέπλυς. *Aliqui tradunt, veſtes picturis carentes*, canos, *iis vero inſignes*, peplos, *vocari*. Etiam Romanis palla picta non fuit ignota. Livius lib. XXVII. narrat, Ptolomæo Aegypti Regi a Senatu dono miſſam *tunicam & togam purpuream, Cleopatrae Reginæ pallam pictam cum amiculo*. Signis acu adpictis interdum & aurum addebatur. Virg.

Pallam ſignis auroque rigentem.

Ovid. Amor. lib. I. Eleg. VIII.

Ipſe Deus vatum palla ſpectabilis aurea.

Statius Achill. I. 263.

Si

Si decet aurata Bacchum veſtigia palla
Verrere.

Addatur Aelius Lampridius in vita Alexandri Severi: *Dicens — matronas regias contentas eſſe debere uno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona, cum qua ſacrificium facerent, & unico pallio auro ſparſo*; h. e. ſignis aureis & clavis intextum, ut Cl. Salmaſius exponit. *Gemmas* etiam pallæ additas eſſe ait Iſidorus: *Palla eſt quadrum pallium muliebris veſtis deductum usque ad veſtigia, affixis in ordinem gemmis.* Sed quod ſit *quadrum pallium*, ut & quod habeat *affixas in ordinem gemmas* de ſuo Iſidorus adjecit. Id enim Servius non dicit ad illud Poëtæ: *Pro longæ tegmine pallæ*; a quo tamen ille ad verbum reliqua accepit, uti obſervat Ferrar. de Re Veſt. P. I. lib. III. cap. 18.

CAPVT XVII.

Probatur חריטים notare *Loculos, ad ornatum geſtatos.*

I.

Succedit vocabulum חריטים, quod eſt a Themate חרט. Id tenuibus admodum veſtigiis in Scriptura ſuperſtes eſt. Ipſum Verbum plane exulat. Derivatum Nomen חרט extat Jeſaj. VIII. 1. & *ſtilum* notat *ſcriptorium*, ut ex Textu ſatis clare colligitur. Verba enim hæc ſunt: *Sume tibi tabulam magnam*, וכתוב עליו בחרט אנוש, & *ſcribe ſuper eam ſtilo hominis.* Addi ſolet Exod. XXXII. 4. ויצר אתו בחרט quæ vulgo vertunt: *Et formavit illum* (vitulum fuſum) *ſtilo* vel *caelo*. Quo de loco deinceps.

De Themate חרט.

Denique חריטים noſtrum occurrit quoque 2 Reg. V. 23. ubi nemo non agnoſcit, quod indubitatam gerat *loculi* vel *marſupii* notionem. Quam cur dubitaverint Viri Docti hic apud Jeſajam admittere, non video. Mihi ſaltem perſuaſiſſimum, quod ex omni illa fluctuatione, cui ſe in hujus vocis expoſitione permiſerunt præſtantiſſimi quique Interpretes, facile emergere potuiſſent, niſi maluiſſent incertum potius, ſolisque conjecturis innixum, ſignificatum voci חריטים adſcribere, quam eum, quem certum, & expreſſo Scripturæ uſu confirmatum, Ipſimet agnoſcebant. Uti v. g. Forerius in Jeſaj. ait: *Quale ornamentum fuerit* חריטים, *ignoramus. — Forte pro inſtrumentis illis accipitur, quibus mulieres utuntur ad diſcriminandos, concinnandos, vel etiam criſpandos crines, quæ* calamiſtros *vocant Latini.* At quomodo potuit ignorare, & ad aliena delabi? qui alibi vocabulo noſtro חריט in loco cit. 2 Reg. V. 23. notionem *marſupii* expreſſe vindicarat. Similiter Celeb. Vitringa, quamvis agnoſcat, illud חריט *vere ſignificatione* marſupii *occurrere* 2 *Reg.* V. 23. tamen fatetur, in exponendo חריטים Jeſajæ *meliores Interpretes hærere.*

De origine autem hujus vocis paucos video fuiſſe ſolicitos. Forſterus ait, חרט *ſtilum* ab *imprimendo* dictum eſſe, & habere ſignificatione cognationem quandam cum טרח. Nempe ordine literarum inverſo conveniunt hæc Themata. At hæc affinitas tenuiſſima: & ſignificatus admodum diverſus. Fullerus Miſcell. Sacr. lib. V. cap. 10. exiſtimat, Radicem חרט a חרת, quæ *ſculpere*, *inſculpere*, *exarare*, notat, pullulaſſe, adſpirata tantummodo litera in tenuem mutata: itaque primariam Thematis ſignificationem jure ſtatui *caelum*, *ſtilumque ſcriptorium.* Sed nec hac mutatione opus eſſe mox apparebit. Alii denique ad חרץ retulere, quod eſt *ſecare*, *incidere*; cujus derivationis mentionem quoque fecit Cl. Simonis in Arcan. Form. p. 239. Quamvis vero aliquam inter has Radices affinitatem eſſe concederemus, dubitari tamen non poſſet, veteribus Hebræis, flo-

Digitized by Google

florente Lingua, ipſum quoque Thema חרט fuiſſe uſitatum. Flagitioſe autem lapſus R. Jehuda Arjeh in Ohole Jehuda fol. 18. vocem חריטים compoſitam autumans ex חורי עט היותן כעטה בני חורין i. e. ex חורי עט, *ut veſtes fuerint nobiliorum*. Id poſuiſſe eſt refutaſſe.

Quomodo antiqui Intt. vocem reddiderint.

II. Antequam vero ulterius progrediamur, videamus aliorum Interpretum cogitata. Alexandrini hic habent *τὰ βύσσινα veſtes byſſinas*. Nam quæ hodie in noſtris exemplaribus præcedunt *τὰ διαφανῆ Λακωνικὰ*, *pellucidæ veſtes Laconicæ*, haud dubie ad ſequens גליונים pertinent. Vulgatus reddit per *acus*. Intelligit *acus crinales*, ut ex Hieronymo conſtat. Arabs Interpres: شداداتهن الزاهيات *cingula ſumtuoſa*. Syrus: ܒܘܨܘܣ *byſſum*, ex Græcis. Quid vero Jonathan velit per ſuum מחכיא, non ſatis liquet. Latinus ejus Interpres ex Vulgato per *acus* exponit. Fullerus l. c. ſuſpicatur notari *fibulas*, nim. a חכך Hebræo, unde חכה *hamus*; cujus figuram, ut ille ait, imitatur, ac munere fungitur *fibulæ*. Et addit, חריט haud inſcite per *fibulam* exponi poſſe cenſuiſſe Paraphraſten, propter ſimilitudinem nonnullam: quandoquidem inſtar ſtili ſit & in acumen deſinat fibula, & ad trajiciendum, ſive transfigendum, ſit apta. Similiter & Cl. Buxtorf. in Lex. Chald. col. 749. exponit per *Fibulas*, quibus veſtes, aliaque ornamenta, affiguntur, ne delabantur; monetque, pro מַחְכְּיָא, ſi ad חכך referendum ſit, melius punctari מְחַכְּיָא. Niſi forte illud ſit a חכה, quod Arabibus, qui dicunt حكي, notat, *nectere*, *firmiter adſtringere*. Vide de hoc Themate prolixe diſſerentem Celeb. Schultens in Comment. ad Job. III. 21. Ex illa notione *adſtringendi* nomen *fibulæ* commodiſſime potuit oriri. Hæc ſunt, quæ veteres habent Interpretes in Jeſaja. Quid vero iidem exhibeant 2 Reg. V. 23. deinceps videbimus.

III. Quo-

Quinam per acus expoſuerint.

III. Quoniam autem inter omnes haſce expoſitiones nulla viſa fuit cum uſu Thematis חרט in Lingua Biblica aliquo modo convenire, niſi ſola illa, quam Vulgatus exhibuit, noſtrum חריטים per *acus* reddens, ſola etiam hæc Viris Doctis digna exiſtimata fuit, quam albo calculo notarent. Cum enim vocabulum חרט *ſtilum* ſignificet *ſcriptorium*, Jeſ. VIII. 1. idem & *acum*, cujus figura a *ſtilo*, quo olim utebantur, *ſcriptorio* haud adeo diverſa, denotare commode poſſe, exiſtimarunt. Forerius in h. l. חרט ſtylus *eſt Hebræis*, *cujus hic plurale. Forte* acus *pro inſtrumentis illis accipitur*, *quibus mulieres utuntur ad diſcriminandos*, *concinnandos vel etiam criſpandos crines*, *quæ* calamiſtros *vocant Latini*. Præiverat Forſterus, חריטים quoque per *acus* exponens. Nec aliter Munſterus, Montanus, Vatablus, Tigurini, aliique quam plurimi. Eandem ſententiam quoque tenet Fullerus Miſcell. Sacr. lib. V. cap. 10. Ubi inter alia dicit: *Quoniam ſtylum ſcriptorium*, *h. e.* חרט, *magnitudine & figura referebat*, *inde apud Hebræos deducta eſt appellationis origo*, *ut* חריט *itidem diceretur Acus illa*. Et exemplum adfert ex Lingua Græca. *Etenim*, inquit, *ipſa eadem acus a voce* κάλαμος *δι' οὗ γράφομεν* (*ut eſt in Lexico veteri*) *a* calamo *ſcilicet* ſcriptorio, *Græce* καλαμὶς *vocatur*, *leviſſima utrobique facta mutatione*, *& ob eandem pene magnitudinem figuramque eadem appellatione ſignatur*. Miror autem, ipſum quoque Celeb. Bochartum huic ſententiæ ſubſcripſiſſe. Ita enim hic in Hieroz. P. I. Lib. II. cap. 34. p. 334. Stylum, inquit, *ſeu* cælum חרט *ſignificat*, *ut Eſa.* 8. *v.* 1. *Unde Plurale* חריטים *Eſa.* 3 *v.* 22. *id eſt*, mulierum acus crinales. Qui tamen, ut mox videbimus, in eo occupatus erat, ut notionem *ſtili* vel *cæli* ex Exod. XXXII. 4. quem locum pro confirmando *acus* ſignificatu adducere ſolent, eliminaret. Acceſſit ipſi Cl. Vitringa, vocem ita exponens in Comm. in Jeſ. *Sunt* חריטים acus diſcriminales, *ſive* diſcernicula, καλαμίδες, *quarum uſus in com-*

componendis capillis. *Vidit id Hieronymus*, & *recte obſervavit Bochartus*, *hanc interpretationem reſpondere ſignificationi thematis* חרט, *quod* coelum, *ſive* ſtylum, *notat.* Paululum tamen ab his deflectunt, qui per hoc חריטים non tam *acus*, quam *thecas acuum* intelligunt. Sic Junius & Trem. *Aciaria* dederunt. In notis addunt: *Sive*, *ut Græci vocant*, ῥαφιδοθῆκαι, *quibus acus & aciculæ infigi aut includi ſolent.* Hos, uti ſolet, ſequutus Piſcator. A quibus haud adeo multum receſſit Auctor Annotat. Anglicar. in Scriptur. quæ prodiere Londini A. 1651. Ait is: *I ſhould rather*, pin-cuſhions, *or*, pin-pillowes. i. e. *Potius explicarem de* pulvillis, *quibus* aciculæ *infiguntur.* Sed ratio quam addit leviſſima eſt: *as reſembling the form of ſuch* bags, *as the better ſort uſed to put their money in. For which the word is uſed*, 2 *King* V. 23. h. e. *quia ii* pulvilli *forma exprimunt* loculos, *quibus nobiliores ſolent nummos recondere*; *quo ſenſu vox ea accipitur* 2 *Reg.* V. 23. Cur itaque non ipſos *loculos* retinuit, cum tamen agnoſceret, hunc eſſe proprium vocis ſignificatum?

Profecto tota hæc ſententia eorum qui per vocabulum חריטים *acus*, in ſpecie *crinales*, intelligunt, mihi admodum videtur incerta, & infirmo niti fundamento. Etenim *primo* eam notionem in ullo alio Scripturæ loco ſe offerre, nemo eſt qui aſſerat, vel qui aſſerere poſſit. *Secundo* ex nulla Linguæ Hebrææ Dialecto ea poteſt demonſtrari; nec etiam in recentioribus Judæorum ſcriptis occurrit. *Tertio*, inde quod חרט *ſtilum ſcriptorium*, vel, ut & hoc concedam, *caelum ſculptorium*, ſignificet, non ſtatim ſequitur, idem nomen etiam *acum* denotare. Minus autem certo ad vocem חריט concludi inde poteſt, quæ ſua forma a חרט eſt diverſa. Saltem, quamvis forte Thematis indoles olim ita fuerit comparata, ut illam ſignificationem *acus* potuerit admittere, nondum tamen certi ſumus, id revera factum eſſe. Nuda itaque foret conjectura, quam præferre velle, ubi ad liquidiſſimam Veritatem

eſcendi poteſt, non eſſet Viri prudentis. Præterea *quarto* nullo, quantum mihi conſtat, probari poteſt documento, *acus crinales* inter ornamenta fuiſſe veterum Hebræarum, quemadmodum olim apud Romanas: ſi tamen forte fuerint, commodiſſime a Propheta ſub Voce פארים potuerunt comprehendi, quia is præcipuus acuum uſus fuit, ut plexae vel in gradus formatæ comæ compaginem ſervarent. Martial. II. 66.

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, inſerta non bene fixus acu.

Idem XIV. 24.

Figat acus ſparſas ſuſtineatque comas.

Iſidor. XIX. 31. *Acus ſunt, quibus in foeminis ornandorum crinium compago retinetur, ne laxius fluant, & ſparſos diſſipent capillos.* Denique iis qui putant, חרט eſſe *acum*, & חריט *thecam*, cui *acus* includantur, vel *pulvillum*, cui infigantur, præter ea quæ jam monuimus, etiam obſtat forma vocis; nam ex Genio Linguæ Hebrææ præponendum fuiſſet (מ) Servile, dicendumque מחרט. Taceo, quod talis theca, vel aliud quodcunque inſtrumentum, quo aciculæ aſſervantur, non ſatis commode mulieris ornamentis annumeretur.

Quinam per Loculos.

IV. Contra communiorem hanc opinionem, quæ חריטים noſtrum per *acus crinales* vel per *aciaria* exponit, gradum tollere, & in aciem prodire, poſſe videtur doctiorum quorundam Rabbinorum ſententia, qui illam dictionem de *Loculis*, ad ornatum paratis, & a mulieribus geſtatis, interpretantur. Sic Kimchius in Libro Radicum: החריטים כיסים וכן נקרא הכיס בערבי כרט"ה והח"רת בעברי כ"ף בערבי במקומות רבים h. c. חריטים *notat* loculos, *uti & Arabes* loculum כרטה *appellant; nam Hebræ-*

bræorum Cheth *in Arabum* Caph *ſæpiſſime ſolet transmigrare.* Eadem verba habentur in ejus Commentar. in Jeſaj. nec non apud Salomonem ben Melech in Michlol Jophi ad h. l. Sed quæ Kimchius de permutatione literarum *Cheth* & *Caph* obſervat, iis hic plane poſſumus carere. Non enim כרטה كرطة, ſed, ſine ulla literarum commutatione, خريط חריט, vel خريطة חריטה, Arabibus *loculum* ſignificat. Excuſari tamen Kimchius meretur, quia litera *Caph* Arabum, cum adſpiratione, ut ſolent Judæi, pronuntiata, ſono ad literam *Cheth* quam proxime accedit. Placet etiam, quod ex Arabiſmo vocem illuſtrari, iſtamque ſignificationem comprobari poſſe, adfirmaverit, ut mox pluribus oſtendam. Addatur Abarbanel, non multo minoris apud ſuos auctoritatis, qui in Commentar. in Jeſaj. ad h. l. hæc habet: חחריטים הם כיסים יפים מצויירים שמביאות הנשים וכן הוא בלשון ערב i. e. *vox* חריטים *notat* loculos *ornatiores, variisque figuris inſignitos, quales foeminæ portabant; quem ſignificatum ea dictio & apud Arabes gerit.* Nec multo aliter Hebræorum Magiſtri ſaniores, quos hactenus inſpicere mihi licuit, omnes. Unde & in ipſa Verſione Judæorum Germanica ediderunt: דיא טאשין *die taſchen*, loculos.

Hinc & a Noſtratium quibusdam hæc ſententia fuit adprobata & adoptata. Ipſe Lutherus hic habet: *die beutel*, loculos. Uti & Doctiſſ. Belgæ Interpretes: *De buydels.* Sic quoque A. Bobovius Auctor Verſionis Turcicæ MS. كيسهلري *loculos*, quæ vox cum Hebræo כים convenit. Addatur Grotius in h. l. חריטים, inquit, *eſſe* crumenas *ſive* folles, *apparet ex 2 Reg. V. 23. ubi Græci ἐν θυλακίοις verterunt. Solent foeminæ habere crumenulas de ſinu pendentes.* Mentionem hujus interpretationis Fullerus quoque facit, loc. ſup. alleg. ubi, adducta Kimchii ſen-

tentia, addit: *vocem* חריט *aptius per* ſaccellum *transferri*, *cujusmodi erant crumenæ*, *aut potius crumenulæ opulentiorum maxime ſoeminarum ſericæ vel holoſericæ*, *argento auroque ac gemmis reſulgentes*, *& ad ornatum magis*, *quam neceſſitatem comparatæ.* Concluditque tandem, *de iis accipiendam fortaſſis vocem* חריטים *apud Eſajam.* Firmius autem ſuæ ſententiæ inhæret Celeb. Vitringa. *Kimchius*, inquit, *id hic loci accipit pro* loculis, *ſive* marſupiis, *ex* 2 *Reg.* V. 23. *ubi vere vox hac ſignificatione occurrit*; *nec eſt illud plane ab hoc loco alienum*, *quia & hoc ornatus genus in muliebri mundo ſatis notum.* Sed addit ſtatim: *Prius tamen* (nempe notionem *acus crinalis*) *amplector ut ſimplicius & certius.*

Quorum ſententia probatur.

V. Ego vero, ſubductis omni cura & attentione calculis, exiſtimo, eorum ſententiam, qui vocem חריטים non per *acus*, ſed per *loculos*, vel *marſupia*, a foeminis ad ornatum geſtata, exponunt, omnino eſſe præferendam, tanquam multo certiorem. Neque ambigent, ſpero, docti & æqui harum rerum Arbitri, locum his *loculis* facere, ſi & ea attente conſideraverint, quæ receptiori iſti explicationi jam oppoſuimus, & animum ſimul ad has ſequentes adverterint rationes.

1. Ipſiſſima vox חריטים, quam præ manibus habemus, certiſſima & indubitata *loculi* notione gaudet 2 Reg. V. 23. *Dixit Naaman* ad Gehaſin: *Accipe quæſo talenta duo*, *& urſit eum*, ut tandem acciperet, ויצר ככרים כסף בשני חריטים *& ligavit duo talenta argenti in duobus loculis.* Si forte veterum Interpretum auctoritatem requiras, neque ea deſtituimur, eſtque hic mirus inter eos conſenſus. Nam Alexandrina Verſio θυλάκους habet; Vulgat. *ſaccos*, Chaldæus Paraphraſtes פלרסין *marſupia.* Arabs تليسين *loculos.* Sic & Kimchi בשני חריטים in Libro Radicum interpretatur: בשני כיסים *in duobus marſupiis*; ut R. Levi b. Gerſon, בשני אמתחות *in duobus ſaccis.* Raſchi in

in h. l. הפותרים אומרים בשני חריטים בשני כיסים ארוכים *Interpretes dicunt, denotari duos loculos longiores.* Neque aliter Noſtrates, etiam ii, qui Jeſajæ חריטים per *acus* reddiderunt, ut Munſterus, Vatablus, Montanus, Junius, cæteri. Idem & Cl. Vitringam agnoviſſe, ex ipſius verbis, quæ mox adduximus, conſtat. Unde eo minor hiſce omnibus ratio, cur a ſignificatu ſemel recepto mox alibi recedant. Unum invenio Forſterum, qui, ne ſibi diſſimilis videretur, maluit utrique loco ſignificationem *acus* applicare. Ita enim ait in Dictionar. Hebr. p. 283. חריטים *nomen ornamenti, quod alii marſupia, alii acus reddiderunt, quibus ego aſſentior. 2 Reg. 5. Et colligavit duo talenta argenti cum duabus acubus. — & Jeſajæ 3. Velamenta & acus.* Sed, quod ſciam, nemo eſt cui hæc interpretatio arriſerit. Nam ipſe Textus aperte repugnat.

2. Etiam cognatæ formæ vocabulum חרט *marſupium* vel *loculum* ſignificare videtur Exod. XXXII. 4. Verba Hebræa hæc ſunt: *Sumſit* Aaron aurum *e manibus eorum* ſcil. Iſraëlitarum, ויצר אתו בחרט, *& fecit illud vitulum fuſilem.* Poſſunt autem voces iſtæ duplici ſaltem modo exponi. Vel ſic: *Et formavit illum*, ſcil. vitulum, *cælo.* Ut ויצר ſit a צור *formare*, quemadmodum 1 Reg. VII. 15. ויצר את שני עמודים נחשת *Et formavit duas columnas æneas.* Et ſic vocabulum חרט eandem, vel non multo abſimilem, gereret notionem ab ea, quam habet Jeſ. VIII. 1. ubi *ſtilum* notat. Hunc ſenſum dederunt Onkelos, Græci, Kimchius, noſtrateſque Interpretes tantum non omnes. Sed verba Hebræa etiam hanc admittunt expoſitionem: *Et ligavit*, vel *colligavit*, *illud*, nempe aurum, *in marſupio.* Nam Thema צור, uti & cognatum צרר, quoque notat *ligare*, vel *colligare*, in ſpecie *in marſupio.* Ut 2 Reg. XII. 11. ויצרו *in loculo ligaverunt numeratam pecuniam, quæ inventa eſt in domo Dei.* Tumque altera vox חרט idem ſignificaret quod חריט, 2 Reg. V. 23.

 nem-

nempe *marſupium*. Et hanc interpretationem illi prætulit Jonathan in ſuo Targum, ex noſtris vero Incomparabilis Bochartus, in Hieroz. P. I. lib. II. cap. XXXIV. p. 334. 335. ubi priorem illam expoſitionem & multis & eruditis impugnat argumentis; quamvis non deſint, qui judicent, ſibi a Viro Summo non omnino eſſe ſatis factum, ut Cl. Witſius in Aegypt. p. 66. Cl. Zornius in Biblioth. Antiquar. Exeget. p. 665. & Cl. Clericus in Commentar. in h. l. Sequuti tamen ſunt Bochartum Celeb. Heideggerus in Diſſertat. de vitulo Aaronis, quæ eſt VIII. Tom. III. Diſſertat. Selectar. p. 276. & Cl. Hoheiſel in Obſervat. in Jeſaj. VIII. 1. p. 77. 78. Ambigo an addenda ſit & tertia ſententia, eorum qui per חרט neque *caelum*, neque *marſupium*, ſed *typum* intelligunt, cui aurum infuſum, ut vitulus efformaretur. Sic Saadjas & Arabs Erpen. adhibent pro חרט vocem قالب, quæ, ut Golius exponit, eſt *formula*, vel *modus*, *ad quem*, *vel in quo*, *aliquid effingitur*. Eodem & Aben-Eſras inclinat, explicans per דמות *ſimilitudinem*, & דפוס *typum*. Vatablus: *Alii*, inquit, *vertunt* in formula, *vel* typo, *ſive* modulo, *in quem ſcilicet Aaron projecit aurum*, *quod fuſum expreſſit vituli ſimilitudinem*. Ex recentioribus ſoli Guſſetio id placuit, qui ait: *Forte ſignificat potius id*, *quod Galli vocant* un moule, *formam excavatam*, *in quam funditur metallum liquens*, *puta aurum Iſraëlitarum*, *in deſerto*, *ut figuram recipiat*. Sed merito Bochartus hanc notionem *novam* vocat & *inauditam*, quæ nunquam poterit probari, ſed efficta eſt, & ex contextu utcunque exſculpta. Additque, nihil neceſſe fuiſſe, ut de *typo* Moſes ageret, quia ex hoc ipſo, quod vitulum vocet *fuſilem*, illum ſatis evidenter conſtat ex typo fuiſſe expreſſum. Remanent igitur duæ priores ſententiæ, quæ de palma poſſint contendere. Hic itaque tum ex toto contextu, tum ex vocum indole, dijudicandum, cuinam ea ſit deferenda. Quibus ſedulo perpenſis, mihi pro ea omnino pronuntiandum videtur, quæ ver-

Digitized by Google

verba: ויצר אתו בחרט vertit: *& colligavit illud*, ſcil. aurum, *in marſupio.* Id multa, eaque gravia, ſuadent argumenta. Nam omne id quod in vitulo iſto idololatrico parando fecit vel facere potuit Aaron, in eo conſiſtit, quod ipſum primo efformaverit in *typo*, (nam expreſſe dicitur, quod fuerit עגל מסכה *vitulus fuſilis*, vid. & vſ. 24.) porro quod fuſum expoliverit, & denique quod eum forte variis lineis & figuris hieroglyphicis, ut Aegyptii ſuum Apim, inſigniverit, & exornaverit. Jam vero omnes, qui vocem חרט per *caelum*, vel *ſtilum*, in hoc loco exponunt, fatentur, uti par eſt, hoc inſtrumentum tenue fuiſſe & acutum. Ergo nullus ejus uſus fuit pro efformando vitulo, quoniam id factum ope ſolius *typi*, ſ. *moduli*, qui formam ipſi dabat. Non itaque verba iſta Moſaica poſſunt exponi: *Et formavit illum* vitulum (vel formam ei induxit) *coelo.* Porro etiam pro vitulo, poſtquam in typo jam efformatus eſſet, expoliendo & complanando Aaron *ſtilo* vel *cælo* uti nequaquam potuit; nam id *lima* fieri debet vel *ſcobina*; caelo autem contrarium potius effeciſſet, ejusque cuſpide vituli ſuperficiem reddidiſſet inæqualem, & fiſtuloſam. Optime igitur Bochartus: *Quid quod* *& חרט, id eſt*, ſtyli, *vel* cæli, *ſculpere*, *& cælare proprium eſt*, *non levigare*; *Neque enim ſtylo*, *ſed lima & ſcalpro metalla expoliuntur.* Ingenue id agnovit Doctiſſ. Witſius noſter, qui ait, l. c. *Bochartus eorum non injuria ſententiam redarguit*, *qui coelo uſum Aaronem volunt ad vitulum fuſione jam formatum expoliendum tantum & levigandum*; *quod profecto non ſtilo aut cælo*, *ſed lima aut ſcalpro fieri ſolet.* Sola itaque tertia ſententia aliquam meretur attentionem, quod nempe ſtilo vel cælo uſus ſit Aaron, ad notas hieroglyphicas vitulo inſculpendas. Hanc poſt Cl. Seldenum de Diis Syris Synt. I. cap. 4. mox laudatus Witſius adoptavit; qui l. c. *At mirum eſt*, inquit, *non cogitaſſe Virum longe doctiſſimum*, (Bochartum) *quod tamen*

men Seldenus *jam antea obſervaverat*, graphio *iſto* notas Apidis, *aut ſimile quid inſculpi potuiſſe. Dicuntur enim Aegyptii* Apim, *qui lunæ imaginem ferebat, & quem proinde lunaribus radiis conceptum nugabantur, finxiſſe & pinxiſſe* colore atro, quadrato in fronte candore, macula dextero lateri ingenita, & corniculantis lunæ imaginem referente. Hactenus ille. Eodem & reſpicere Cl. Clericus videtur ad Exod. XXXII. 4. qui ait: *Poſtquam fuſione vitulus eſſet conflatus, ad craſſiora lineamenta quod attinet, ſupererant tenuiora caelo effingenda, & accuratius formanda.* Neque aliter ſtatuunt Cl. Braunius in Sel. Sacr. lib. IV. cap. 8. p. 453. & Cl. Deylingius Obſerv. Sacr. P. I. obſ. XX. p. 172. Verum ſi rem recte perpendamus, etiam hanc ſententiam, licet prioribus longe ſaniorem, non laborare nullis incommodis deprehendemus. Nam (α) Thema צור, æque ac cognatum יצר, nuſpiam in Scriptura notat, *ſigna* quædam, aut *characteres*, quales notæ illæ ſunt hieroglyphicæ, vel *figuras*, in aliqua materia *exarare*, ſed conſtanter uſurpatur pro *dare alicui materiæ rudi formam quandam externam*; ut 1 Reg. VII. 15. ויצר *& formavit duas columnas æneas.* Pſalm. CXXXIX. 5. *Retro & ante* צרתני *formaſti me.* Et Jeſaj. XLV. 9. *An dicet lutum* ליוצרו *ei qui format ipſum?* Ut & XLIV. 9. יוצרי פסל *efformantes idolum omnes ſunt vani.* &c. &c. Neque puto ullum eſſe locum, qui in contrarium adduci poſſit. Unde merito ſuſpecta eſſe debet illa interpretatio, qua verba Moſis ויצר אתו בחרט ita redduntur: *Et notis figurisve inſignivit illum* vitulum *cælo.* Verum (β) Totus ordo narrationis, prout apud Moſen habetur, huic expoſitioni, ut mihi videtur, aperte repugnat. Ait enim: *Et ſumſit a manibus eorum*, ויצר אתו בחרט, & mox ſubjungit: *& fecit illud vitulum fuſilem.* An itaque vitulus ope cæli variis notis figurisque inſignitus fuit, antequam eſſet fuſus? Id ne concipi quidem poteſt. Sentiens difficultatem Clericus,

ricus, locum ſic expreſſit : *formavitque* aurum *coelo*, *poſtquam liquefactione vitulum feciſſet* ; & in notis ὑστερόπρωτον, ſeu præpoſteram narrationem, expreſſe admittit. Sed, ut alia taceam, talis hic ideo locum habere nequit, quia Pronomen אתו ad *vitulum* referri non poteſt, utpote cujus nondum facta erat mentio. Caute ille quidem : *formavitque* aurum *coelo*, quaſi illud אתו ad זהב *aurum*, proxime vſ. 3. præcedens, referret ; ſed revera ſubintelligit *vitulum* ex *auro* jamjam *efformatum*. At qualemcunque velit *formationem* per ויצר denotari, certum eſt, quod *cælum* metallo non admoveatur, niſi jamjam fuſo, & in certam formam redacto ; quod ipſum, ut jam probavimus, factum nondum erat eo tempore, quo de Aarone dicitur, ויצר אתו בחרט. Sufficient, ſpero, hæ ſtricturæ, ad fidem receptæ hactenus notionis vocabuli חרט elevandam. Alia plura qui voluerit, adeat Summum Bochartum, loc. ſup. alleg. quamvis non diffitear, nimium ipſius in conquirendis undique argumentis ſtudium diſſentientibus occaſionem præbuiſſe excipiendi, quod numeri argumentorum majorem habuiſſe rationem videatur, quam ponderis. Ita ſaltem Clericus judicavit. Supereſt itaque ut alteram præferamus ſententiam, locumque ſic explicemus : *Et ſumſit a manibus eorum*, ויצר אתו בחרט *& colligavit illud*, ſcil. aurum, quod ab Iſraëlitis acceperat, *in loculo*, *& fecit illud vitulum fuſilem*. Sic omnes difficultates una opera erunt ſublatæ. Thema צור, uti & cognatum צרר, in ſpecie notare *in loculo aliquid colligare*, jam ſupra obſervavimus ex 2 Reg. XII. 11. Adde Deut. XIV. 25. Prov. XXX. 4. Unde & צרור *loculum* notat, Geneſ. XLII. 35. Prov. VII. 20. Quemadmodum & Arabum صرّ צרר a Golio exponitur *Conſtrinxit nodavitque* crumenam Et صرّة צרה *Crumena*, *loculus*, *panniculusve*, *in quo pecunia nodando* aut *ligando reconditur*. Ut in Roſar. p. 74. صرّه هزار

هزار دينار *loculus mille aureis repletus.* Maxime autem huc pertinet, quod in loco, quem ſupra jam adduximus, 2 Reg. V. 23. prorſus eadem phraſis, quæ hic apud Moſen, habeatur: ויצר *& colligavit duo talenta argenti* בשני חריטים *in duobus loculis*; quod manifeſto eſt indicio, quod Thema צור vel צרר cum nomine חרט vel חריט in ſignificatu *colligandi in loculo*, ex indole Hebraiſmi, frequentius ſoleat combinari. Porro & hoc commodi nunc habemus, quod totus ille Textus facillime fluat, neque neceſſe ſit aliquam narrationis inverſionem admittere; præcipue autem, quod Pronomen iſtud אתו ad verum ſuum redeat ſubjectum, nempe ad זהב vſ. 3. proxime antecedens. Denique & hoc addendum, quod Aaron omnino opus *loculo* habuerit, ad minutula iſta ornamenta, inaures nempe aureas, ex quibus conflandus erat vitulus, quæque ab Iſraëlitis in magno numero ipſi exhibebantur, excipienda, & ad unum locum deferenda. Quod ipſum, ſi vel Moſes tacuiſſet, non aliter niſi ope loculi, vel unius, vel plurium, fieri potuiſſe, nobis fuiſſet judicandum. Quæ omnia cum ſic ſe habeant, concludamus tandem, per vocabulum, quo Moſes hic utitur, חרט *loculum* denotari, & hinc noſtram ſententiam, qua Jeſajae חריטים per *Loculos* exponimus, novo confirmari argumento.

3. Quamvis bini, quos adduximus, loci noſtram de ſignificatione vocabuli חריטים ſententiam in tuto, & extra dubitationis aleam, collocare videantur, lubet tamen eandem & ex Arabum Dialecto ulterius firmare, tum ut conſtans ejus cum Hebraiſmo harmonia novo documento eniteſcat, & Lectorem teſtimonio Linguæ, cujus vivus ad hodiernum usque diem uſus eſt, eo certius convincam, tum ut illius ope nativus Thematis חרט color, & priſtina facies, quam vetuſtas, temporumque injuria, delevit, vel ſaltem non parum deformavit, ceu in quadam imagine, detur contemplanda. Perfamiliare Arabibus, multisque

trala-

Digitized by Google

tralationibus dives eſt Thema خرط חרט (non كرط כרט, ut ſupra Kimchius putabat) cui principem *decorticandi* poteſtatem Cl. Golius aſſignat. Hiſtor. Valid. ليس فيهم من يقدح الزناد ويخرط القتاد *non eſt inter eos, qui fomitem extundat, & decorticet tragacantham.* Tragacantha arbor eſt nodoſiſſima & ſpinoſiſſima, cujus *decorticatio* venuſtum ſuſtinet emblema ſummæ difficultatis, quæ ſe offert in negotio quodam peragendo. Eadem phraſis occurrit in Hiſt. Tam. p. 48. وان بينه وبين هذه البلاد لخرط القتاد *Inter ipſum & illam regionem erat decorticatio tragacanthæ.* Ita in MS. extat; Impreſſa مخرط habent. Item p. 339. ولكن كان بينه وبين المراد خرط القتاد *Sed erat inter ipſum & id quod intendebat decorticatio tragacanthæ.* Videatur etiam de proverbiali hac loquutione, Arabibus frequentiſſima, Celeb. Schultens in Comment. in Job. p. 135. Porro ex hac *decorticandi* notione in Themate خرط ſignificatio aſſumta *deſtringendi arborem*. Deut. XXIV. 20. واذا خرطت زيتونك *quum deſtrinxeris oleam tuam.* Hinc ortæ notiones apud Golium: *Stringente manu* ramum *nudavit foliis*, & racemulum *uvis*; & *a ſummo rami ad imum detraxit* folia. Inde & eſt quod اخترط in VIII. Conj. notet *evaginare gladium*, proprie *decorticare*; nam *vagina* quaſi *cortex* gladii eſt; quemadmodum etiam قشر & *corticem* ſignificat & *vaginam gladii.* Iſtius uſus exemplum habes in Hiſt. Tam. p. 411. فاخترط السيف بيده اليسري *extraxit gladium manu ſiniſtra.* In Verſione Bibliorum Arabica Hebræo שלף *ſtrinxit* gla-

dium, ſolet reſpondere; ut Judic. VIII. 20. IX. 54. XX. 2. 1 Sam. XVII. 51. &c. Alio paulisper adſpectu *decorticare* eſt aliquid *tenuius* reddere & *gracilius*. Hinc انخرط eſt *gracile fuit* corpus; & nomen خُرْطٌ *extenuatio* corporis, apud Avicennam I. 104, 11. 12. Apud quem & خراطة aut خراطي eſt *raſura inteſtinorum*, ſpecies *excoriationis* in ventre. Ut I. 497, 47. 492, 7. 493, 37. 40. 42. 502, 44. &c. Porro cum notione primaria *decorticandi*, proxime conjuncta eſt illa *tornandi*, vel *dolandi*; quam & Cl. Golius obſervavit. Cant. V. 14. يداه مخروطتان *manus ejus ſunt tornatæ*. Et VII. 2. سرتك كاس مخروطة *umbilicus tuus eſt calix tornatus*. Poëta Arabs adductus in Ann. Bagd.

وايامي كعود خرّطته الخوارط

Dies mei, i. e. fortuna mea, *ſicut lignum quod tornant tornatores.*

Hinc deductum nomen خرط *tornum* ſignificat. 1 Reg. VII. 9. وكان بناوه كله بالحجارة المتقنة قد سويت مثل الذي يخرط خرطا *Tota ejus ſtructura ex lapidibus erat adaptatis, & ita complanatis, ac ſi torno eſſent elaborati.* De *caelo* tamen & *ſtilo* hoc vocabulum quoque, ob formæ & uſus ſimilitudinem, uſurpari inde conſtat, quod ipſum etiam Thema accipiatur pro *cælare* & *ſculpere*. Exod. XXXI. 5. خرط الجوهر *ſculpere gemmam*. Et Exod. XXVIII. 11. صنعة خارط الجوهر *opere ſculptoris gemmarum*. Sic الحجارة المخروطة *lapides* ſunt *caelati*

1 Reg.

Digitized by Google

1 Reg. V. 17. ut & خشب مخروط عليه *lignum cælaturis exornatum.* 1 Reg. VI. 31. nec non فضة مخروطة *argentum cælatum* Jerem. X. 9.

Non poſſum non hic, *ὡς ἐν παρόδῳ*, obſervare, quod, ſi non aliunde, ſaltem ex hoc ultimo uſu Thematis Arabici, contra Cl. Guſſetium probare poſſimus, notionem *cæli*, vel *ſtili*, a voce Hebræa חרט non plane eſſe alienam, & hinc, toto contextu ita poſtulante, admittendam omnino eſſe Jeſaj. VIII. 1. Vir enim hic doctiſſ. in Comm. L. H. p. 286. totam, ut ipſemet fatetur, hujus loci faciem nova ſua ſententia immutare conatus fuit. Verba Hebræa hæc ſunt: *Dixit Jehova ad me*: קח לך גליון גדול וכתב עליו בחרט אנוש quæ vulgo ſic vertuntur: *Sume tibi volumen magnum, & ſcribe ſuper eo ſtilo hominis*, i. e. *vulgari*. Sed longe aliter Ille; nempe hunc dat ſenſum: *Sume tibi veſtem magnam, & ſcribe ſuper ea in ciſta.* Hoc modo notionem *ſtili* prorſus elevaturus. Vocabulum גליון non deducit a Themate גלל *convolvit*, ſed a גלה *nudavit*, & intelligit *veſtem pellucidam*, ad luxum compoſitam, pretioſam, mollem. Per חרט vero denotari putat *ciſtam*, in qua hæc veſtis recondi debuerit, ut ſervaretur incorrupta, vel etiam occulta. Nec tamen alia ipſi eſſe argumenta quivis facile obſervabit, niſi hæc, quod *primo* חרט Exod. XXXII. 4. non poſſit eſſe inſtrumentum acutum, ſed accipiendum ſit de *cavo modulo*, cui aurum ſit infuſum. Unde concludit, חרט *vas* eſſe, non vero *ſtilum*. *Secundo*, quod ſtilus ad exarandas in membrana literas ineptus ſit, eamque nihil niſi læderet, magiſque papyrum. Liceat verbulum reponere. Vocabulum חרט Exod. XXXII. 4. non poſſe *inſtrumentum* denotare *acutum*, lubens concedo; & paulo ante notionem *marſupii* ei vindicavi, ſimulque ſubmonui, *moduli* vel *typi* ſignificationem nullum ibi locum habere poſſe. Ad alterum quod attinet argumentum, re-

reſponderi quidem poſſet, *ſtilum ſcriptorium* a *ſculptorio*, quantum neceſſe eſt, differre, & ita comparatum eſſe, ut membranam non lædat; ſed approbo potius Viri Docti ſententiam eatenus, quod dictionem גליון non, ut vulgo fit, a גלל *volvere*, unde מגלה *volumen*, in ſpecie *membrana*, ſed a Themate גלה, ejusque *Conj. Dageſſ.* derivandam putet. Nec tamen ſtatuerim, eam in illo Jeſajæ loco *veſtem pellucidam* deſignare. Nam loquutio exiret valde diluta & inconcinna: *ſcribe ſuper ea veſte in ciſta hominis.* Sed mihi videtur vox גליון commode reddi poſſe per *tabulam terſam* & *politam*, a גלה, cujus propria ſignificatio eſt *deterſit*, & hinc, *clarum*, *nitidum*, *glabrum* & *politum* aliquid *reddidit*. Intelligitur itaque *tabula*, cui literæ בחרט *ſtilo ſculptorio* pulchre incidi & inſculpi queant.

Redimus nunc ad Thema Arabicum. Ex illo *tornandi* ſignificatu alia ſecundaria emanavit notio, quam Cl. Golius expreſſit per *Longum ac teres efformavit.* Preſſius pro *teres* dare potuiſſet *conoides*. Alfrag. Elem. Aſtron. p. 103.

ولما كانت الشمس اعظم من الارض
وجب ان يكون ظل الارض الممتد في
الهواء ينخرط ويدق في استدارة حتى
ينقطع وان يكون الخط الذي هو عمود
مخروط الظل في سطح فلك البروج
ولازما ابدا النظير جزء الشمس

Quia Sol terra eſt major, neceſſe eſt, terræ umbram per aera protendi coni effigie; & in rotunditate attenuari, donec deficiat: lineam vero, quæ coni umbroſi axis eſt, in ecliptica jacere plano, ſemper dirigi in punctum gradui Solis obverſum. Sic optime Cl. Golius vertit. Sane مخروط pro *cono* paſſim uſurpatur in Mathematicorum ſcriptis. Ut in Ver-

Verſione Arabica Euclidis, (quæ prodiit Romæ A. 1594.) p. 368. 370. 374. 377. &c. & in Ibn Sinæ lib. I. p. 40. 48. &c. In Abulfaragjii H. D. p. 63. memoratur Apollonii Mathematici كتاب المخروطات *liber Conicorum.* Ex hoc itaque uſu non incommode derivabimus vocabuli خريط vel خريطة notionem, quam Gjeuhar. declarat per وعاء من ادم وغيره تشرج على ما فيها *Loculum ex corio aliave re, quo res in eo conditæ conſtringuntur.* Senſit illud jam Cl. Bochartus, qui ait, loc. ſup. cit. *Neque eſt quod mireris*, ſtylo & marſupio *nomen eſſe commune: figura enim utrique eſt conica.* Ex quo habuit Hoheiſel. p. 78. *Marſupium enim ſeu loculum unum idemque nomen cum ſtilo accepiſſe veroſimile, quia communem cum ſtilo figuram, quæ conica eſt, repræſentat.* Hoc tamen minus placet, quod & notionem *ſtili* à *conica figura* deducant; ea enim potius ſubnata ex ſimilitudine figuræ & uſus, quam *ſtilus* cum *torno* habet, ut ſupra jam monuimus. Illud itaque خريط vel خريطة (nam utrumque dicitur) ipſiſſima eſt dictio Hebræa חרט, cujus hic habemus Pluralem חריטים. Significationem vero, quam gerit, *Loculi*, aliquot exemplis nunc lubet confirmare. Abulfar. in Hiſtor. Dyn. p. 46. وتناول داود حجرا من خريطته *ſumſit David lapidem ex marſupio ſuo.* In Verſione Arabica Pentateuchi, quam edidit Cl. Erpenius, legitur Deut. XXV. 13. لا يكون لك في خريطتك وزن ووزن *Ne ſit tibi in loculo tuo duplex pondus.* Altero خريط uſus eſt Abou-Iſhaac Poëta:

وهو انا ما علته الصمم
ممن يقول نقض درك الخريط *

Ille

Ille eſt, quando calamitates identidem ipſum hauriunt,
Ex iis qui dicunt: excuſſus eſt fundus crumenæ.

Apparet loquutionem hanc eſſe proverbialem, qua exprimunt amiſſionem rerum & deſperationem recuperandi. Giggejus in Theſ. Ling. Arab. obſervat, dici quoque خرايط الدرهام pro *marſupiis* vel *crumenis*, quibus *nummi* aſſervantur. Ex hoc ſignificatu vocis خريطة ſub Thematis IV. & VII. Conj. notio ſuccrevit *conſtringendi loculum*, quæ tamen poteſtas dein latius ſe porrexit, quemadmodum patet ex Hiſtor. Sal. ubi eſt p. 213. وانخرط في سلك اصحابه *inſtrictus fuit filo amicorum ejus.*

Loculorum uſus in Oriente.

VI. Revocemus itaque & in priſtinam ſedem ac ditionem reponamus adſtructam hactenus vocabuli חריטים ſignificationem, quæ diu nimis ab optimis quibusque Interpretibus exulare juſſa. Nam ſumma, opinor, claritate ſe prodit, eam *Loculos* denotare, & quidem, quatenus a Jeſaja muliebri mundo accenſentur, a foeminis ad ornatum geſtatos; quamvis ſimul etiam eum potuerint uſum præſtare, ut in iis nummi, aliaque pretioſa, quæ ſecum volebant portare, aſſervarentur; quemadmodum mox habuimus خرايط الدرهام *loculos nummorum.* Sic Prov. I. 14. כיס *marſupium unum erit omnibus nobis*, in quo nempe *nummi* recondantur. Et Jeſaj. XLVI. 6. *Qui prodigunt aurum ex marſupio.* Et Prov. VII. 20. *loculus argenti.* In Tract. Miſchnico Kelim cap. XXVI. Sect. 2. memoratur צרור המרגליות *loculus margaritarum*, & צרור המעות *loculus nummorum.* In Bava Bathra fol. 8. col. 1. eſt ארנקא דדינרי *marſupium nummorum aureorum.* In Tract. Schevuoth fol. 45. col. 1. legitur: אמר לו תן לי אותו דינר אמר לו נתתיו לך ונתתו באונפלי *Dixit ei: Da mibi*

mihi nummum iſtum aureum : reſpondit ille , dedi eum tibi , & poſuiſti eum in loculo. In Gloſſis vox אונפלי declaratur per תיק העשוי למעות *Thecam factam pro nummis* recondendis. Unde & vocabulum כים *loculus* , interdum pro ipſis *nummis* accipitur , uti dicunt vulgari phraſi חסרון כים *penuria loculi* , i. e. *nummorum*. Ex quibus locis, quorum , ſi opus eſſet , magnum adhuc agmen convehi poſſet, ſimul apparet frequens uſus *loculorum* , præcipue nummariorum , apud Veteres Orientales.

Quos vero loculos delicatiores foeminæ geſtarunt , & materiæ pretio , & ornamentorum appoſitorum fulgore , conſpicuos fuiſſe non eſt quod dubitemus. Quod & Abarbanel agnovit , qui , ut ſupra vidimus , חריטים exponit per כיסים יפים מצוירים שמביאות הנשים *Loculos ornatiores , variisque figuris inſignes , quos foeminæ geſtabant.* Eaque matronarum per Orientem conſuetudo , loculos portandi variis modis exornatos , ad ſeriora usque tempora fuit conſervata. Bohadinus Saivaſienſis in Poëmate , quod exhibet Omar Alvard.

لها وعاء من حرير طمتها الدرر
لمح وبرق مهطلة الادرار *

Ei matronæ eſt loculus ex ſerico , totus gemmis opertus , Fulgidis & rutilantibus , munera magna copia emittens.

In Hiſtor. Valid. hæc proſtant : ولكن كانت ماحة قد اخذت خمسة عشر دينار من الظبية المرصعة التي عليها *Attamen ſumſerat Maliha quindecim nummos aureos ex crumena auro plumata , gemmisque diſtincta , quam geſtabat.* Perſæ vocant چناخ , quam vocem Caſtellus in Lex. Perſ. exponit per *Loculum ſeu crume-*

menam duplicem, ex boloſerico Damaſceno interdiſtinctam.

Et apud Græcos & Romanos. VII. In antiquis Græcorum & Romanorum monumentis tenuia quidem, non tamen contemnenda, occurrunt ejusdem conſuetudinis veſtigia. Eurip. in Iphig. in Taur.

— ἢ τὰς θυλάκους τὰς ποικίλας
Περὶ τοῖν σκελοῖν ἰδοῦσα. —

— *loculos variegatos*
Circa femina videns.

Adhibet vocem θυλάκους, qua ſupra vidimus Græcos reddidiſſe Hebræum חריטים 2 Reg. V. 23. Ea & Ariſtophanes uſus pro *loculo nummario*, in Avib. vſ. 503.

Ὀβολὸν κατεβρόχθισα· κᾆτα κενὸν τὸν θύλακον οἴκαδ' ἀφεῖλκον.

Nummum deglutivi, poſteaque vacuum loculum domum retuli.

Idem in Equit. vſ. 1194.

Πρέσβεις, ἔχοντες ἀργυρίου βαλάντια.

Legati, habentes argento plenos loculos.

Et in Avib. vſ. 157. *loculum* pro ipſis nummis poſuit:

Οὐ πρῶτα μὲν δεῖ ζῆν ἄνευ βαλαντίου.

Ubi primum quidem oportet vivere ſine loculo.

Scholiaſtes: Ἄνευ βαλαντίου ἀντὶ τοῦ, ἄνευ ἀργυρίου. Addatur Simonides in Anthol. lib. VII. Epigr. 12.

Ἔμπορε καὶ φορτηγὲ, τὸ σὸν βαλάντιον εἶδον.

Mer-

Mercator & nauta, tua crumena novit.

Pollux lib. X. cap. XXXI. Sect. 152. citat etiam hoc Ariſtophanis:

Σακίον, ἐν ᾧπερ τἀργύριον ταμιεύεται.

Sacculus, in quo argentum reponitur.

Et ibid. ab Antiphane *loculum* ait dictum eſſe ἀργυροθήκην, *argentithecam.* Ut Scholiaſtes ad Anthol. l. c. σακκίον, ἀργυροθήκην, μαρσύπειον. Maxime vero notari velim Plautum in Epid. Act. II. Sc. 2.

Quaſi non fundis exornatæ multæ incedunt per vias.

Ubi præcipue obſervandum, quod loculos a foeminis ornamenti loco geſtatos dicat. Nam *fundam* veteres Latinos & *marſupium* appellaſſe Servius docet, ad Virg. I. Georg. 141.

— funda jam verberat amnem,

hæc habens: *Funda, ſacculus, ſeu marſupium in modum retis factum, in quo pecuniæ, & alia, geruntur.* Sic Macrob. Saturn. II. 4. *Demiſſa in fundam pauperem manu, paucos denarios protulit.* Quam vocem & Doctores Miſchnici ac Talmudici eodem ſignificatu in ſuam Dialectum adoptarunt, פונדה *Funda* vel *Punda* efferentes. Ut in Tract. Berachot Cap. IX. Sect. 5. לא יכנם הר הבית לא במקלו ולא במנעלו ולא בפנדתו *Non ingredietur quiſpiam in montem templi cum baculo ſuo, neque cum calceo ſuo, neque cum crumena ſua.* Sic vocem expoſuit Bartenora. Maimonides quidem intelligit veſtimentum carni proximum, ad ſudorem a veſtibus pretioſioribus arcendum. Sed ut taceam, quod hic ſignificatus ineptus ſit, quia indeco-

rum fuiſſet, vel inutile ſaltem, veſtem interiorem ante ingreſſum in Templum deponere, non eſt dubium, quod confundat פונדה cum אפונדה, quod de *veſte interiorī* accipitur in Tract. Kelim Cap. XXIX. Sect. I. & a Græco ἐπενδύτης originem ducit, ut erudite Cl. Guiſius annotavit. Denique addendus Tertull. de habitu muliebri cap. 9. *Breviſſimos loculos, grande patrimonium, circumferunt.* Et paulo poſt: *Saccis ſingulis ludit.*

De forma loculorum. VIII. Quænam vero loculorum, quos ad ornatum foeminæ olim geſtarunt, forma fuerit, haud adeo præciſe licet definire. Silent enim ea de re veteres libri. Quantum ex etymo vocis חריט concludi poteſt, probabile eſt, id loculorum genus eo nomine præcipue fuiſſe inſignitum, quod figuram habuerit conicam, id eſt, quod rotundum fuerit, & ab una extremitate latius, ab altera in acutum deſierit. Quamvis non negem, vocum ſignificationes per vivum linguæ uſum ſæpiſſime latius extendi, quam origo prima facie poſtulare vel admittere videbatur. De eo tamen non eſt dubitandum, quod loculi veterum non ut hodie noſtri ſacculi fuerint, qui tunicæ inter pannum exteriorem & interiorem vel ſubductitium ita inſuuntur, ut nil niſi rima vel apertura quædam, per quam manus immittitur, conſpiciatur. Hic enim mos non eſt admodum antiquus. Sed fuerunt iſti loculi peculiaria ornamenta & ſeorſim appoſita. Alias enim חריטים ab Eſaja non ſigillatim fuiſſent memorati, ſed ſub tunica, tanquam ejus partes, comprehenſi. Tota res non aliunde, ut mihi videtur, melius declarari & illuſtrari poteſt, quam ex hodierno uſu noſtratium foeminarum, quæ loculos gerunt, Germanice dictos *Taſchen*, Gallice *bourſe* vel *biſſac*, quos circa femora, ut manus commode immitti poſſit, appendunt, ſub tunica talari, vel & interdum ſupra eam, ſi pretioſi ſint, eoſque velint faciliori conſpectui exponere. Suntque hi loculi plani, & fere rotundi, ac duplices plerumque, & fibula quadam clauduntur. Geſtantur tam uſus

quam

quam ornatus gratia. Ditiores habent holoſericos, & auro argentove artificioſe plumatos, atque in iis haud infimam ponunt cultus ſui partem.

IX. Alias veteres crumenarum loco zonis utebantur cavis, in quibus nummos recondebant, & ſecum geſtabant. *Zona vel ſinus veſtis pro loculo.* Plautus in Poenulo:

> *Tu qui zonam non habes, quid in hanc veniſti urbem.*

Sueton. in Vitell. cap. XVI. *Simul dilabentibus cunctis, zona ſe aureorum plena circumdedit.* Apulej. Mileſiar. lib. VII. *auro monetali zonis refertis incincta.* Clariſſime Gellius lib. XV. cap. 12. *Cum Roma profectus ſum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli.* Et Aelius Spart. de Peſcennio Nigro: *Idem juſſit, ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent.* Morem hunc nec veteribus Judæis ignotum fuiſſe conſtat ex Matth. X. 9. ubi Chriſtus Apoſtolis dicit: Μὴ κτήσησθε χρυσὸν, μηδὲ ἄργυρον, μηδὲ χαλκὸν, εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν. Vid. & Marc. VI. 8. Vel denique etiam ſinui veſtis nummos credebant. Ovid. Amor. lib. I.

> *Quid puerum Veneris pretio conſtare jubetis,*
> *Quo pretium condat non habet ille ſinum.*

Horat. Sermon. lib. II.

> —— —— —— *nucesque*
> *Ferre ſinu laxo, donare, & perdere vidi.*

Hinc Plutarchus in Coriolano ait, Candidatos ſine tunicis in forum prodire ſolitos, ne pecunias emendis ſuffragiis in ſinu geſtare viderentur.

C A P V T XVIII.

Probatur גליונים eſſe *Veſtes Pellucidas.*

I.

Antiqui exhibentur Int.

Pergimus ad Vocem גליונים, quam ad Thema גלה, *nudandi* & *retegendi* ſignificatum gerens, pertinere, omnes fatentur. Quamvis autem ipſum hoc Verbum in Lingua Biblica multo uſu protritum ſit, inde tamen deductum illud Nomen ἅπαξ λεγόμενον, quodnam muliebre ornamentum proprie deſignarit, nondum ſatis certum & exploratum. Antiqui Interpretes in exponenda hac voce admodum diſſentiunt. Græci habent τὰ διαφανῆ Λακωνικά. Quid intelligant deinceps inveſtigabitur. Chaldæus reddidit מחזיתא *Specula.* Arabs أرجوانهن *veſtes purpureæ.* Syrus [illegible] *indumenta.* Vulgatus *Specula*, Chaldæum procul dubio ſequutus.

Plerique vocem per ſpecula exponunt.

II. Nec aliter Rabbinorum plerique, a Chaldæo non diſcedentes, quoties ipſis hujus expoſitio aliqua ſe ſpecie tueri poſſe videtur. Kimchi in Comment. in h. l. הגליונים המראות נקראו כן לפי שנגלים בו הפנים לרואה בהם וכן תרגם יונתן ומחזיתא וכן תרגם אנקלוס במראות הצובאות במחזית נשייא h. e. גליונים *ſunt* Specula, *ita dicta, quod in ea intuenti facies reveletur*; *quare & Jonathan in Paraphraſi per* מחזיתא *expreſſit*, *quam vocem* Specula *denotare inde colligitur*, *quod Exod.* XXXVIII. 8. *Hebræa* במראות הצובאות Speculis confluentium foeminarum, *Onkelos reddiderit* במחזית נשייא Speculis foeminarum. Aliter tamen hic Kimchius in ſuo Libro Radic. ut videbimus deinceps. Abarbanel: גליונים הם כפי יונתן המראות שרואים בהם צורות הפנים i. e. *Juxta Jonathanem*

nem ſunt ſpecula, *quibus formam faciei contemplantur.* Plenius Raſchi in h. l. הגליונים הן המראות כתרגומו מחזיתא ועל שם שמגלות צורות הפנים קרויים גליונים או שמא מראות שלהם נגללות היו *Fuerunt* Specula, *quemadmodum & Chaldæus interpretatur*, *nomen ſortita a* revelando, *quoniam vultus formam* revelant. *Vel* גליונים Specula *denotat* (a Themate גלל *volvit*) *quoniam veterum ſpecula fuere* convoluta. Sed גליון a גלל deſcendere nequit, ut meæ ferunt rationes; nam litera (ל) pro conſtanti uſu & genio Linguæ Hebrææ *Puncto Dageſch* fuiſſet inſignienda.

Ex noſtris Interpretibus hanc Judæorum expoſitionem albo calculo notarunt Munſterus, Lutherus, Pagninus, Forſterus, Forerius, Junius & Tremellius, Piſcator, Buxtorfius, Coccejus, &, ſi ab iis diſceſſeris, quos mox nominabimus, reliqui omnes. Eodem Varenius ſententiam inclinaſſe videtur, licet iter tendat a cæterorum mente prorſus diverſum. Exponit enim גליונים noſtrum *de pellucidis collucentibusque laminis*, *vel gemmarum ſplendidiſſimarum*, *aurique fulgidi multiplici adparatu*, *veſtibus muliebribus illuminandis & radiandis ſuperimpoſito*, *vel ipſa veſtium materia*, *per ſplendentes gemmarum fulgidarum centurias ita elaborata*, *ut ſpeculorum inſtar ſe haberent.* Sed neminem novi, cui placuerint hæ conjecturæ. Qui enim notionem *ſpeculi* hic amplexi, Judæorum mentem plene ſequuti ſunt; etiam in definienda vocis origine, & ratione, qua illa a Themate גלה derivata fuerit. Piſcator v. g. ait: *Nomen Hebræum ortum eſt a verbo* גלה revelavit. *Nam Specula* revelant *maculas faciei.* Nec reliqui multo aliter. Solus Forerius paulo diverſam ingreſſus eſt viam. Ait enim Thema גלה idem eſſe ac *apparere*, & contraria ſignificatione *diſparere*, juxta variam conſtructionem,

nem, ab utraque autem ſignificatione nomen *Speculi* commode poſſe derivari. Sed non ſatis accurate concepit Thematis indolem, ut mox apparebit. Quod autem ad vulgarem attinet & Rabbinorum & plerorumque Noſtratium ſententiam, גליונים vocari *Specula*, quia formam faciei *revelent*, ea mihi valde videtur coacta & incommoda. Quis enim unquam ita loquutus eſt, *Speculum* aliquod objectum *revelare?* Neque etiam ita dici poteſt. Non enim hæc ſpeculorum proprietas eſt; quæ potius objectum, quod ipſis proponitur, eadem facie repræſentant, & illapſos ab illo radios repercutiunt. Neque ſola nos auctoritas Chaldæi, ex quo hauſerunt Rabbini, & ex his Hieronymus, movere debet; nam qui illum legit, & cum Hebræo Textu diligenter contulit, etiam ſex centies, in difficilioribus præcipue locis, invenit errantem. Accedit, quod *Specula* muliebri ornatui non ſint accenſenda, quæ non niſi eidem eleganter apponendo inſerviunt, domique aſſervantur, non autem ipſius ornatus vel luxus aliquam partem conſtituunt. At Jeſajæ de iis tantum veſtibus & ornamentis ſermo eſt, quibus foeminæ in publicum prodeuntes ſuperbiebant, ut ex tota hac Pericopa, cui illuſtrandæ manum adhibuimus, totaque Nominum & præcedentium & ſequentium ſerie, ſatis apparet. Hoc eſt quod ſenſit Varenius, quodque ipſum movit, ut a recepta ſententia recederet. Exiſtimavit itaque, ut vidimus, גליונים potius de ſuperba aliqua veſte eſſe intelligendum. Cum tamen ex ipſius Verbis, quæ adduximus, haud obſcure colligatur, quod notionem *ſpeculi* habuerit pro ſignificatu vocis proprio, difficulter quempiam perſuadere poterit, idem Nomen adhibitum fuiſſe pro denotandis veſtibus, quales ipſe ſupponit, collucentibus laminis gemmisve vel auro, *ſpeculorum* ſplendorem referentibus. Talis enim ſimilitudo nimis longe quæſita.

Quinam III. R. David Kimchi in Commentar. quidem in Jeſaj. גליונים

גליונים quoque, ut vidimus, per מראות *Specula* expoſuit, ſed in Libro Rad. fol. 24. ab hac ſententia reſilit, aliam, & prorſus diverſam, amplexus. Ait enim: הגליונים הם החלוקים הדקים וכן נקראים בערבי אלגלילה ונקראו כן לפי שנגלה הבשר מתחתיהן מרוב דקותם h. e. גליונים *ſunt* indumenta tenuia, *Arabibus* גלילה *dicta, nomen inde ſortita, quod cutis ſub illis, ob nimiam eorum tenuitatem,* nudetur *&* tranſpareat. Vix dubito, pro אלגלילה legendum eſſe אלגלוה vel אלגליה, quod Arabibus notat *conſpectui patentem & translucentem ornatum.* Animum enim inducere nequeo, ut crederem, Doctiſſimum Rabbinum, nec Arabicæ Linguæ imperitum, tam foede erraſſe, ut ſcriberet אלגלילה, tum quoniam hoc Vocabulum ad Thema גלל pertinet, cui cum גלה nihil eſt affinitatis, ipſe vero גליונים non ad illud גלל, ſed ad גלה refert, ut conſtat ex verbis לפי שנגלה *quia nudatur* &c. tum quia Arabibus גליל جليل, & in foem. جليلة גלילה, nihil minus notat quam *tenue*, ſed potius ſignificatum gerit plane contrarium *rudis* & *groſſi*, a Kimchii mente quaſi e diametro diſtantem. Nam vocabulo دقيق דקיק, Hebraice דק, quo ille uſus ad גליונים exponendum, paſſim apud Arabes opponitur. Ut in Hiſtor. Valid. ونهب ما لهم من دقيق وجليل *deprædatus eſt quicquid habebant tenuis & groſſi.* Reſpicitur ad Proverbium: لا له دق ولا جل *non eſt ei tenue neque groſſum*, i. e. *plane inops eſt.* Conſimiliter Ebn Tophail in Epiſt. ما يطرئ فيها من دقيق وجليل *quod oritur in ea tenue vel groſſum.* Omnino itaque vulgata lectio corrigenda. Et quam corrupte ab imperitis Librariis peregrinæ voces ſcribantur, nemo paulo humanior ignorat.

de veſtibus pellucidis expoſuerint.

Illa Kimchii expoſitio laudatur a Fullero Miſcellan. Sacr. Lib. V. cap. 20. & quamvis notionem *ſpeculi* non omnino pro incommoda habeat, illi tamen palmam deferre non dubitavit. Eam enim dicit „ & originationem ob-
„ tinere æque probabilem, & Prophetæ conſilio, luxum
„ præcipue & laſciviam foeminarum graviſſime increpan-
„ tis, magis conſonam eſſe liquere; ſiquidem veſtes illæ,
„ transſpectus ratione, mulierum turpiſſimam laſciviam,
„ pretioſa vero tenuitate ac mollitie pudendum luxum pa-
„ lam arguerent: horum autem vitiorum neutrum in ipſo
„ ſpeculorum per ſe uſu cerni & damnari. „ Eadem ſententia & Cl. Guſſetio arriſit, qui in Comment. L. H. p. 169. *Quidni potius*, inquit, *veſtes pellucidæ? Hae enim magis corpus revelant quam ſpecula, quæ tantum repercutiunt ea quæ jam revelata ſunt.* Addatur Cl. Vitringa, qui in ſua Verſione quidem *ſpecula* exhibuit, in Commentar. autem, poſtquam vulgaris ſententiæ feciſſet mentionem, hæc adjicit: *Sed quid ſi nos per* גליונים *intelligamus* veſtes pellucidas, *quæ foeminam denudant*, — *ut ſunt* bombycinæ, *& quæ aliæ, corpus magis nudantes, quam tegentes, quas luxuria in mundum invexit? ſcite id reſpondet vocis genio, & nihil mihi nunc occurrit in rem aptius.* Ipſum ſequutus Cl. Hoheiſel in Obſerv. Philol. Exeg. in Jeſaj. p. 38. 39. Denique hanc interpretationem ſuo calculo comprobavit Cl. Rambachius in Inſtitut. Hermeneut. S. Lib. II. cap. 7. p. 259.

Quorum ſententia approbatur. V. Ab eadem ſententia, quod cum genio & natura Thematis apprime conveniat, nec ego faciam diſceſſionem. Et poteſt ea pluribus, iisque aptiſſimis, confirmari argumentis. Nam

Primo: Ipſa indoles Thematis גלה ſignificatum veſtium pellucidarum adeo non reſpuit, ut eum potius requirere & poſtulare videatur. Notum eſt, illam Radicem *nudandi* & *retegendi* vel *revelandi* ſignificatione gaudere, & præcipuo

puo ac frequentiſſimo uſu idem eſſe ac *veſtibus* aliquem *privare*, ut evadat *nudus*. Dabimus quædam exempla. Jeſaj. XLVII. 2. גלי שוק *denuda crus*, ad tranſcundum fluvium. Et mox vſ. 3. תגל ערותך *detegetur nuditas tua*. Quæ phraſis etiam ſe offert Lev. XVIII. 6. 7. 17. 18. 19. XX. 11. 17. 20. Et Ezech. XVI. 37. גליתי ערותך *revelabo nuditatem tuam*, *& videbunt omnes nuditatem tuam*. Abſolute reperitur Gen. IX. 21. *Bibit* Noachus *& inebriatus fuit*, ויתגל *& nudatus fuit veſtibus*. Et alibi ſæpe. Unde colligitur, quod, cum certa quædam veſtium ſpecies denotetur per vocem גליונים, non aliæ intelligi queant, quam quæ corpus *denudent*, & *revelent* ea quæ ſtudioſe erant tegenda. Has Græci *διαφανῆς*, Latini *pellucidas*, plerumque appellarunt. Et profecto earum hæc fuit proprietas, ut corpus *denudarent* potius, quam tegerent, uti paſſim nos antiqui docent Scriptores. Plinius de veſte Coa, quæ bombycina erat, lib. II. *Ut denudet foeminas veſtis*. h. e. ut foemina, licet induta veſte bombycina, tamen videatur eſſe nuda. Quod confirmat Horat. Serm. lib. I. Sat. 2.

—— —— *Cois tibi pene videre eſt*
Ut nudam.

Seneca lib. VII. de Beneficiis cap. 10. *Video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt, quo defendi aut corpus, aut denique pudor poſſit, quibus ſumtis mulier parum liquido nudam ſe non eſſe jurabit. Hæc ingenti ſumma ab ignotis etiam gentibus accerſuntur, ut matronæ ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo quam in publico oſtendant.* Idem in Controv. lib. II. *Infelices ancillarum greges laborant, ut adultera veſte perſpicua ſit: eo nihil in corpore uxoris ſuæ plus maritus, quam quilibet alienus peregrinusque agnoverit.* Et in Conſol. ad Herv. *Nunquam tibi placuit veſtis, quæ*

 nihil

nihil amplius quam nudam componeret. Juſtin. lib. XXXVIII. *Quam foeditatem nimia ſubtilitas & perlucida veſtis augebat, prorſus quaſi aſtu inſpicienda praeberentur, quae omni ſtudio occultanda erant.* Ariſtoph. in Lyſiſtr. vſ. 150.

> Κἀν τοῖς χιτωνίοισι τοῖς ἀμοργίνοις
> Γυμναί.
>
> *Et in tunicis byſſinis purpura tinctis*
> *Nudæ.*

Lepide Athenæus initio lib. IV. Καὶ σαμβυκίστριαί τινες Ῥόδιαι ἐμοὶ μὲν γυμναὶ δοκῶ, πλὴν ἔλεγον ἔχειν χιτῶνας. *Sambucam pulſantes Rhodiæ quædam mulieres mihi videbantur nudæ, ajebant tamen eas habere tunicas.* Addantur Tertull. de Pallio: *Textu pellucido tegendo nudavit.* Et Hieronym. ad Læliam de inſtit. filiæ: *Talia veſtimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus veſtita corpora nudentur.* Idem ad Helvid. *Ingrediuntur expolitæ libidinum victimæ, & tenuitate veſtium nudæ oculis ingeruntur.* Tot teſtimonia, tot antiqua documenta, dubitare nos non ſinunt, veſtes pellucidas corpus potius *nudaſſe* quam texiſſe. Unde tuto concludimus, quod גליונים *veſtes nudantes* non aliæ eſſe potuerint, quam *pellucidæ.*

Secundo Arabum Dialectus noſtræ ſententiæ non parum roboris præbebit & firmamenti. Hæc enim in ſuo جلا גלא, pro גלו vel גלי, non tantum Hebræum Thema גלה, ſed & ejus ſignificatum, & quaſcunque ſecundarias notiones, diligenter aſſervavit. In Prima Conj. exponitur a Cl. Golio: *Clarus fuit, manifeſte patuit.* Item, *manifeſtavit, retexit* rem &c. In Sec. Conj. جلّا eſt *clarum & manifeſtum reddere, retegere, revelare,* & *nudare.* In Quinta تجلّي & Sept. انجلي ſignificat: *Revelatus, retectus ac manifeſtatus fuit, clareque patuit, & ſplendide apparuit.* Unde

Unde jam ſponte ſe inſinuat, quod hoc Thema, non minus quam Hebræorum גלה, notionem gerat *veſtibus nudandi*, ita ut, quod tegendum erat, *nudo pateat conſpectui*. Sic apud Giggejum eſt Tom. I. Theſ. Arab. col. 736. جلي بثوبه *veſtes abjecit, illisque ſe nudavit*. Dicunt etiam جلاه *veſtibus* alium *nudavit*. Ut in Ann. Bagd. وجلوه وتركوه *veſtibus nudatum reliquerunt*. In Conj. VIII. اجتلي eſt *veſte nudatus fuit*. Ut in hoc Poëtæ veteris:

فيا رب خود مجتلاة

O quot puellæ nudatæ.

Nolo exempla cumulare, nam ea paſſim proſtant. Conſideremus potius derivatum nomen גלוה جلوة, Hebræo גליון reſpondens. Huic vocabulo Cl. Golius generaliorem primo dat ſignificationem, dein & ſpecialiorem quendam ejus uſum obſervat. Illam exprimit per *conſpectui patentem ſplendorem*. Quod ſatis appoſitum. Cum enim per *ſplendorem* maxime *veſtes ſplendentes* intelligantur, ut ex iis liquet quæ ſtatim ſubjunguntur, apparet, quod ſub eodem nomine *veſtes pellucidæ* commodiſſime comprehendantur, tum quoniam *nitidum* matronarum corpus per eas *translucet*, &, ut ita dicam, *transſplendet*, tum quia tenuiſſima earum materia foeminarum corpus quaſi *nudum* omnium *conſpectui exponit*. Utrumque Arabes attendiſſe non dubito, dum veſtem pellucidam جلوة appellarunt. Nam in ea *ſplendorem* non minus deprædicant, quam materiæ tenuitatem. Exemplum habe in hoc Poëtæ, amicam ſuam laudibus celebrantis, quam cum ſplendore ſolis comparaverat, &, continuata allegoria hæc adjungit:

Digitized by Google

طوفاونك قد لمعت سيك فز الجلوة

Halo quoque tuus ſplendet a veſte pellucida ex ſerico.

Sic & جلوة *veſtem pellucidam* notat in hoc Fariani Poëtæ:

يا دوستم ان جام طرب پر مي دم دست
زهره بروي جلوه خوشتر است *

O Amice, ille lætitiæ Cyathus, vini plenus, in manu Puellæ pellucida veſte indutæ gratior eſt.

Addatur & Hafedh:

زهره البتولاي قرة العين جلوه دار

Virginum Venus, oculorum deliciæ, pellucida veſte inſignis.

Neque hinc alienus eſt, vel longe recedit, uſus vocabuli جلوة ſpecialior, quem Cl. Golius ſic pandit: *Splendor ſponſæ, cum omni ornatu, nudoque vultu conſpicuæ.* Unde in Themate, tam ſub prima quam octava Conjug. adſumta notio, *nitentem ſponſam ſublato velo conſpiciendi*, quo modo virgines honeſtæ nemini niſi ſponſo videntur. Palam eſt, quod hic uſus ſubnatus fuerit a notione *nudandi*, qua, ut jam monuimus, Thema جلي gaudet. Quamvis autem is a præcedenti in eo differat, quod ille *veſtem* exprimat, totum quaſi corpus, hic autem, ſolam fere faciem, nudantem; non parum tamen ille ab hoc confirmatur. Eo tutius enim afferi nunc poteſt, quod جلوة generalius veſtem notet, qua corpus *nudatur*, & conſpectui patet, ſive id jam intelligatur de *toto corpore*, ſive de *aliqua* tantum *corporis parte*, qualis eſt, quam ſponſa ſponſo nudam oſtendit.

dit. Neſcio fere, an huc pertinere quoque poſſit, quod interdum novæ nuptæ ſericis veſtibus, quales ſæpe erant pellucidæ, indutæ & ornatæ perhibeantur. Sic apud Caraboukidem de moribus antiquorum Arabum memoratur جلوة من حرير *veſtis ſponſæ ſerica.* Et apud eundem iterum جلوة شغافة من ابريشيم *veſtis ſponſæ pellucida boloſerica.* Unde & factum videtur, ut a Themate Arabum شقّ *pellucida fuit* veſtis, ſub cognata Radice زفّ adſumta fuerit notio *domum ducendi ſponſam ornatam.* Holoſericam veſtem ſponſæ adſcribit quoque Scheich Sadi in Roſar. p. 224.

زشت باشد ديبقي وديبا
كه بود بر عروس نازيبا ✱

Foeda eſt veſtis boloſerica, & auro intexta,
Si ea induta fuerit ſponſa deformis.

Qui mos forte & apud Romanos non fuit ignotus. Vide an huc faciat Ovid. Amor. III. 1.

Forma decens, veſtis tenuiſſima, cultus amantis.

Et Petron. cap. 55.

Aequum eſt induere nuptam ventum textilem,
Palam proſtare nudam in nebula linea.

Ubi veteres Gloſſæ *ventum textilem* explicant per *veſtem tenuiſſimam, æquantem propemodum ſubtilitate ventum.* Nec aliud per *nebulam lineam* intelligendum. Quemadmodum fere Nazianzenus pellucidas veſtes ἀέρια ὑφάσματα appellavit. Eadem comparatione uſus Ovid. Metam. VI. 21.

— re-

— — repetitaque longo
Vellera mollibat nebulas æquantia tractu.

Tertio non leve pondus, opinor, noſtræ ſententiæ addet Alexandrina Verſio, vocem גליונים exponens per Διαφανῆ Λακωνικὰ, *Pellucida Laconica.* Subaudi ἱμάτια, vel χιτώνια, aut ſimile quidpiam. Ita hæc verba & Suidas adducit ad vocabulum Διαφανῆ, quod explicat per χιτώνια, οὐ τὰ λαμπρὰ, ἀλλὰ τὰ ἰσχνὰ, δι᾽ ὧν διαφαίνεται τὰ σώματα τῶν γυναικῶν, *tunicas non ſplendentes, ſed tenues, per quas fœminarum corpora pellucent.* Ex adjecta a Græcis Interpretibus dictione Λακωνικὰ, Baſilius in Comment. in Jeſaj. colligit, Hebræas fœminas in gerendis pellucidis veſtibus Lacænas fuiſſe imitatas. Sed id non eſt probabile. Potius palam eſt, quod Gloſſema ſit Græcorum, quod Hebræus Textus neque poſtulet, neque admittat. Ob quam tamen rationem illud adjecerint, non ſatis liquidum. Heſychio Λακωνικὸς χιτὼν, *tunica Laconica*, eſt λεπτὴ ἐσθής, *veſtis tenuis.* Unde Fullerus & Hoheiſel putant, voces διαφανῆ & Λακωνικὰ eſſe æquipollentes, & unam per alteram declarari & explicari. Sed forte hæc Heſychii gloſſa ex ipſo hoc loco Alexandrinæ Verſionis deſumta. Hoc tamen illi ſententiæ favere poſſet, quod Lacedæmonibus notam fuiſſe ab antiquiſſimis temporibus artem χιτώνια διαφανῆ contexendi, inde colligi poſſe videatur, quod ipſi, ſeptingentis admodum, ut tradunt, ante Chriſtum natum annis, Tarentum, Calabriæ oppidum, colonos miſerint, qui iſtam artem diu exercuerunt, & famam adepti ſunt. Hinc Ταραντίδιον, teſte Polluce lib. VII. cap. 17. διαφανές ἐστιν ἔνδυμα, ὠνομασμένον ἀπὸ τῆς Ταραντίνων χρήσεως, καὶ τρυφῆς, *pellucida eſt veſtis, nomen a Tarentinorum uſu & mollitie adepta.* Idem lib. IV. cap. 14. ὠρχοῦντο, διαφανῆ ταραντινίδια ἀμπεχόμενοι, *ſaltabant, veſte pellucida Tarentina induti.* Similiter & Suidas Ταραντινίδιον exponit per λεπτὸν καὶ διαφανὲς ἱμάτιον, *tenue & pellucidum veſtimentum.* Addatur Lucia-

cianus in Præcept. Rhetor. p. m. 317. Ἡ ἐσθὴς ἔστω εὐανθὴς, καὶ λευκὴ, ἔργον τῆς Ταραντίνης ἐργασίας, ὡς διαφαίνεσθαι τὸ σῶμα. *Veſtis ſit venuſta & candida, Tarentini opificii opus, ut corpus transpareat.* Unde & totam Tarentinorum nationem hoc veſtium genus geſtaſſe ex Clearcho Athenæus refert Lib. XII. p. 522. edit. Caſaub. Ἐφόρουν δὲ φησὶ καὶ παρυφὴν διαφανῆ πάντες, ὅις νῦν ὁ τῶν γυναικῶν ἁβρύνεται βίος. *Omnes, inquit*, Tarentini *veſtes textiles pellucidas geſtabant, quibus nunc delicatus foeminarum cultus luxuriat.* Hinc itaque forſan non male concludi poſſet, ipſos quoque Lacedæmonios artis texendi pellucida non minus fuiſſe peritos, & penes ipſos pellucidorum uſum ſaltem aeque fuiſſe frequentem ac apud Tarentinos. Et ſic ſatis commoda daretur ratio, cur Græci noſtrum גליונים reddiderint per διαφανῆ Λακωνικά. Hoc tamen obſtare videtur, quod, ſi a ſolo diſceſſeris Heſychio, apud nullum antiquum Scriptorem, quod ego ſaltem ſciam, *veſtis Laconica* abſolute pro *pellucida* accipiatur. Neque etiam placet, quod, ſecundum illam opinionem, Alexandrini cenſendi ſint ταυτολογίαν admiſiſſe. Potius itaque mihi per additam vocem Λακωνικὰ hi Interpretes colorem pellucidarum veſtium purpureum, quo plerumque tingi ſolebant, videntur exprimere voluiſſe. Celebris enim & præſtantiſſima erat Laconica purpura. Horat. lib. II. Od. 18, 17.

—— —— Nec Laconicas mihi
Trahunt honeſtæ purpuras clientæ.

Statius lib. I. Sylv. II. 150.

—— —— quis purpura ſæpe
Oebalis & Tyrii moderator livet aheni.

Idem Thebaid IX. 690.

Ipſe bis Oebalio ſaturatam murice pallam.

Valer. Flaccus lib. I.

> *Illic Tænario pariter tremit ignea ſucco*
> *Purpura.*

Apud Plinium plus ſemel Laconica purpura celebratur. Ut lib. IX. cap. 36. *Ros purpuræ præcipuus eſt Aſiæ, & in Laconica Europæ.* Et lib. XXI. cap. 8. *Gratius nihil traditur adſpectu, & in purpuras Tyrias, & dybaphas Laconicas.* Et lib. XXXV. cap. 6. *Quare Puteolanum potius laudatur, quam Tyrium, aut Getulicum, vel Laconicum, unde pretioſiſſimæ purpuræ.* Sed hæc hactenus. Pellucidas autem veſtes purpureum plerumque colorem imbibiſſe, non minus certum & exploratum. Horat. lib. IV. Od. 13.

> *Nec Coæ referant jam tibi purpuræ.*

Ubi Acron: *Coæ pretioſæ a loco; in hac enim inſula melior purpura tingitur.* Tibullus:

> — *Purpureaque veni pellucida palla.*

Addatur Vopiſcus in vita Carini: *Quid Tyrio & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles.* Et Dio lib. LIX. chlamydem memorat σηρικὴν ἁλουργῆ πολὺ μὲν χρυσίον, πολλοὺς δὲ καὶ λίθους Ἰνδικοὺς ἔχουσαν, *ſericam, purpura tinctam, multo auro, multisque gemmis Indicis ornatam.* Quem morem ſericum tingendi rubro colore & apud Orientales obtinere, innuit Scholiaſtes in Tograi, ad vſ. 18.

سود الغدائر حمر الحلي والحلل

Nigras cincinnis, rubras ornamentis, & ſtolis;

anno-

annotans أن حليهن من الذهب الاحمر ولباسهن من الحرير الاحمر *monilibus ornatæ erant ex auro fulvo, & veſtibus ſericis indutæ rubro colore imbutis.* Quæ cum ita ſe habeant, concludere tandem liceat, Alexandrinæ Verſionis Auctores vocabulum גליונים per διαφανῆ Λακωνικὰ reddidiſſe, ut non tantum materiæ pellucidarum veſtium tenuitatem, ſed & ordinarium earum colorem, hujusque inſigne pretium, exprimerent.

VI. Ex iis, quæ hactenus in medium allata, argumentis clariſſime apparet, Vocem גליונים nihil aliud quam *veſtes pellucidas* denotare. Supereſt ut de his nonnulla adjiciamus. *Pellucida & pallia & tunicæ.*

Forma pellucidis veſtibus non fuit peculiaris, ſed ab aliis non niſi materia diſcrepabant. Nam & pallia & tunicas habebant veteres quæ pellucerent. Rarior quidem *pallii pellucidi* fit mentio. Uti a Philemone apud Clementem Alex. Pædag. lib. II. cap. 12.

> Ἱμάτια διαφαίνοντα, καὶ πέδην τινα
> Χρυσῆν.
>
> *Pallia pellucida, & compedes quasdam*
> *Aureas.*

Et a Tibullo:

> — *Purpureaque veni pellucida palla.*

Longe frequentius autem *tunica pellucida* in veterum ſcriptis memoratur. Sic Suidas, ut jam vidimus, Διαφανῆ exponit per Χιτώνια οὐ τὰ λαμπρὰ, ἀλλὰ τὰ ἰσχνὰ, δι᾽ ὧν διαφαίνεται τὰ σώματα τῶν γυναικῶν. Et Rhodiæ mulieres, quæ ferme nudæ videbantur, *tunicas* habebant *pellucidas*,

ut

ut Athenæus refert, in loco quem ſupra jam adduximus. Ariſtoph. in Lyſiſtr. vſ. 45.

> Καὶ κιμβερίκ' ὀρθοστάδια ——
>
> *Et cimbericas veſtes rectas.*

Item ibid. vſ. 52.

> Κιμβερικὸν ἐνδύσομαι.
>
> *Veſtem cimbericam induam.*

Ubi Biſetus: Ὁ Πολυδεύκης κιμβαρικὸν —— διαφανῆ χιτωνίσκον ἑρμηνεύει. *Polydeuces vocem* κιμβαρικὸν (nam per (α) æque ac (ε) exaratur) *per tunicam pellucidam interpretatur.* Nec aliter Pollux lib. VII. cap. 13. Ἐστι τὸ κιμβαρικὸν διαφανὴς χιτωνίσκος. *Cimbaricum eſt pellucida tunica.* Rurſus Ariſtoph. ibid. vſ. 47.

> —— —— καὶ περιβαρίδας
> Χ' ἔγχουσα, καὶ τὰ διαφανῆ χιτώνια.
>
> *—— —— & cothurnos*
> *Et anchuſam, & pellucidas tunicas.*

Adde & Menandrum apud Euſtath. in Homer.

> Λελουμένη γὰρ ἡ 'τέρα καὶ διαφανὲς
> Χιτωνάριον ἔχουσα.
>
> *Lota enim illa altera, & pellucidam*
> *Tuniculam habens.*

Talis tunica pellucida memoratur in Gemara Babyl. Tract. Joma fol. 35. col. 2. אמרו עליו על רבי אלעזר בן חרסום שעשתה לו אמו כתנת משתי רבוא ולא הניחוהו אחיו הכהנים

הכהנים ללובשה מפני שנראה כערום ומי מתחזה והאמר מר חוטן כפול ששה אמר אביי כחמרא במזגא

Narratur de R. Eliezere filio Cherſomi, quod mater tunicam ei paraverit duarum myriadum. Sed non permiſerunt fratres ejus Sacerdotes, ut eam indueret, quoniam quaſi nudus videbatur, & totus transparebat. Ait quidem Doctor, ejus fila ſexies fuiſſe duplicata. Sed reſpondet Abai, quod fuerit inſtar vini in vitro. Pretium duarum myriadum αὔξησις eſt, Judæis non inſolita.

Hoc annotari adhuc meretur, quod pellucidæ veſtes non ſemper nudæ carni, ſed & interdum aliis veſtimentis, ut ea transparerent, fuerint ſuperindutæ. Athenæus Deipn. lib. V. p. m. 198. de Bacchi effigie: χιτῶνα πορφυροῦν ἔχον διάπεζον, καὶ ἐπ᾽ αὐτοῦ κροκωτὸν διαφανῆ. *tunicam purpuream habebat talarem, & ſuper hanc, crocotam pellucidam.* Huic demum crocotæ ait impoſitum eſſe pallium: περιεβέβλητο δὲ ἱμάτιον πορφυροῦν χρυσοποίκιλον. *circumjectum habebat pallium purpureum auro variegatum.* Huc & referendus videtur Varro apud Nonium: *Iſtorum vitreæ togæ oſtentant tunicæ clavos.* Nam *vitreæ* togæ non aliæ ſunt quam *pellucidæ. Vitreum*, auctore eodem Nonio cap. VI. n. 4. *pertenue & pellucidum quicquid eſt, veterum auctoritate dici poteſt.* Unde Horat. Carm. lib. I. Od. 17.

Dices laborantes in uno
Penelopen, vitreamque Circen.

Quem locum Turnebus lib. VIII. cap. 15. ſic exponit: *Circe vitrea fuit nuncupata, quod meretricio* (i. e. pellucido) *ornaretur indumento.* Neque mos pellucidas veſtes aliis ſuperinduendi, ita ut eæ pelluceant, in Oriente ignotus. Perſæ talem veſtem appellant كوهرتاب vel كوهرتاو, quæ vox a Caſtello exponitur per *veſtem æſtivam mulierum tenuem, ut color indumenti inferioris*

 trans-

tranſpareat. Nollem tamen eo ſenſu noſtrum גליונים accipi, tum quoniam in Veterum ſcriptis longe frequentior ſit mentio pellucidorum nudæ carni impoſitorum, tum quia illum uſum vocabuli Hebræi origo, quam in *nudando* poſuimus, haud adeo commode admittit. Nam quamvis forte dici poſſet, quod veſtis pellucida aliam, cui ſuperimponitur, *denudet*, & conſpiciendam præbeat, tamen hoc ſenſu nuſpiam Radix גלה accipitur, ſed conſtanter ea notat, ita corpus *denudare*, ut *nuda caro conſpectui exponatur*, quod ex adductis ſuperius exemplis liquere poteſt.

Materia pellucidorum ſericum. VII. Quoniam vero materiæ erat tenuitas, quæ ſola veſtes *pellucidas* reddebat, de ea nunc nobis aliquid erit dicendum. Apud veteres Romanos pellucidæ veſtes ex *ſerico* erant vel *bombycino.* Solinus cap. L. *Hoc illud eſt ſericum, in uſum publicum, damno ſeveritatis admiſſum, & quo oſtendere potius corpora, quam veſtire, primo foeminis, nunc etiam viris, luxuriæ perſuaſit libido.* De bombycino Martialis:

Foemineum lucet ſic per bombycina corpus,
Calculus in nitida ſic numeratur aqua.

Et apud alios paſſim id legitur, quos ideo non lubet cumulare. Jam diu Viri Docti obſervarunt, revera nullum inter ſericum & bombycinum fuiſſe diſcrimen, niſi forte reſpectu tenuitatis, vel mollitiei, ut & pretii, ac loci denique, unde advehebatur; utrumque autem bombycum fuiſſe opus. Quamvis olim majus, quam par erat, diſcrimen ſericum inter & bombycinum poneretur. Plinii enim ætas ſolum bombycinum, non vero & ſericum, credidit bombycum eſſe texturam. Et rurſus diſtinguebant bombycinum, quod in Coa Inſula parabatur, ab eo quod afferebatur ex Aſſyria. Hoc habebatur illo longe pretioſius, tum quia ex longinquiore regione petebatur, tum quia ſubtilius erat altero & tenuius. Unde Plinius, cum Coa ve-

ſtis

Digitized by Google

ſtis jam a viris æque ac foeminis eo tempore geſtaretur, ait: *Aſſyria tamen bombyce adhuc foeminis cedimus.* Sed & Aſſyrium bombycinum a ſerico, proprie dicto, ſuperabatur. Id a Seribus ex India afferebant; ob nimiam vero tenuitatem ſolis a foeminis ſumebatur, usque ad Solini tempora, qui verbis jam adductis innuit, ſua demum ætate viros coepiſſe ſerica veſte uti. Et quamvis jam Tacitus ſub Tiberio decretum eſſe referat: *Ne veſtis ſerica viros foedaret*; itemque Caligula a Suetonio *ſericatus* dicatur; imo apud multos, etiam antiquiores, Scriptores, ipſumque Virgilium, *ſerici* fiat mentio; malunt tamen plerique omnia hæc loca de *ſubſerica* potius quam *boloſerica* veſte intelligere, quia Lampridius narrat, Heliogabalum *primum Romanorum boloſerica veſte uſum, quum jam ſubſerica in uſu eſſent.* Sed merito dubitatur, an *ſubſerica* veſtis, cujus ſubtemen quidem ſericum, ſtamen autem linum erat, admitti poſſit, quoties *ſerica* veſtis ante ætatem Heliogabali memoratur. Rarioris tamen, vel ſaltem non promiſcui, uſus holoſericum fuit, ob immenſum ejus pretium. Nam *ejus fila auro penſabantur, & libra ſerici erat libra auri*, ut ait Vopiſcus in Vita Aureliani. Qui locus procul dubio de *boloſerico* accipiendus, ut ex Lege Rhodia apparet: Ὁλοσηρικὰ ὅμοια τῷ χρυσίῳ. *Holoſerica auro contra cara ſunt.* Hoc ſericum non tantum Virgilii, ſed & Plinii & Solini ætas tenerrimam lanuginem eſſe credidit de lanatis arborum foliis, liquoris adminiculo a Seribus depectam, & humore ad obſequium domatam, ut ait Solinus. Sed etiam ſericum opus bombycum fuiſſe prolixe & erudite oſtendit Salmaſius in Tertull. de Pallio. Non itaque aliter quam loco ſericum a bombycino differebat; illud ex India, hoc ex aliis Orientis partibus, præcipue Aſſyria, advehebatur.

Apud recentiores Orientales pariter pellucidæ veſtes ex ſerico confici ſolent, quemadmodum ſupra Poëtam produximus, habentem قز الجلوة *ſericum pellucidæ veſtis*,

ſtis, & apud Caraboukidem eſt جلوة شغافة من ابرشيم *veſtis ſponſæ pellucida boloſerica.* Neque id mirum; cum a longo jam tempore ſericum in Oriente, maxime in Perſia, Aſſyria & India abunde habeatur, & fere nihil ſit, quod veſtibus pellucidis aptiorem materiam præbere queat, quam hoc ipſum ſericum, præcipue ſi laxius texatur, nec fila nimium duplicentur.

De ſerici antiquitate. VIII. Nondum tamen hinc concludere licet, גליונים veſtes pellucidas veterum Hebræarum quoque ex ſerico fuiſſe confectas. Gravis enim hic exſurgit quæſtio, an Jeſajæ ætas ſerici cognitionem & uſum jamjam habuerit? Sunt autem de ſerici antiquitate variæ ſententiæ. Hebræorum Magiſtri conſtantem fovent opinionem, non tantum Jeſajæ, ſed & Moſis, imo ipſius Abrahami, temporibus illam texturam jam fuiſſe notam. Ita Abarbanel, R. Levi b. Gerſon, Auctor libri Bereſchit Rabba, aliique bene multi. Quorundam verba adduxit Cl. Braunius de V. S. H. Lib. I. Cap. VIII. Sect. 128—130. Antiquiſſimam ſerico ætatem adſcribit quoque Abulfaragjius in Hiſt. Dyn. p. 18. وساميروس ملك الكلدانيين ابدع المكاييل والموازن ونسج الابرشيم واخترع الاصباغ *Samirus Rex Chaldæorum invenit menſuras & pondera, & texturam ſerici, & artem tinctoriam.* Hic Samirus, juxta eundem Auctorem, Serugo, Abrahami Atavo, coætaneus fuit. Sic itaque ſerici textura antiquiſſimis inventis eſſet annumeranda. Sed quam parum fidi ſint & Judæi & Orientales quicunque Scriptores in antiquiori hiſtoria, dicere nihil attinet. Ex noſtratibus etiam Interpretibus haud pauci fuere, qui ſericum jam Moſis temporibus uſum in Re Veſtiaria, in ſpecie Summi Sacerdotis Hebræorum, habuiſſe, exiſtimarunt. Sed fruſtra id aſſeritur, non præeunte Scriptura. Traxerunt huc nonnulli, quos inter & Cl. Fullerus Miſcell.

Digitized by Google

cell. Sacr. lib. II. cap. XI. locum Jeſaj. XIX. 9. ubi eſt: *Pudefient operarii lini* שריקות. Quam vocem שריקות exiſtimant ipſiſſimum eſſe Græcorum σηρικοί. Præiverat Kimchius, ad Arabicam ſimul provocans Dialectum. Nam exponit per הטוב שבמשי וכן יקרא בלשון ערבי אלש'רק *præſtantiſſimum ſericum; atque ita vocari ſolet in Lingua Arabica* Al-Serak. Sed quod Arabes ſericum سرقة שרקה appellent, huc non pertinet. Vocabulum enim recentius eſt, & origine Perſicum. Nam Perſæ ſericum سره *ſere* vocant, quam dictionem Arabes, litera (ه) in (ق) transmiſſa, (quod ſæpe fieri ſolet, quemadmodum v. g. pro Perſico سرمه Arabes سرمق dicunt) per سرقة pronuntiarunt. Sed & plane incommoda eſt *ſerici* notio in iſto Jeſajæ loco. Nam de Piſcatorum retibus Prophetæ ſermo eſt, ut ex proxime præcedentibus conſtat; ad quæ ſericum fuiſſe adhibitum, ob nimium ejus pretium & tenuitatem, mihi non perſuadeo. Quare & Cl. Braunius l. c. Sect. 120. deducit a Rad. שרק vel סרק *pectere*, unde סורק eſt *pectinator*, & מסרק *pecten*, מסרק של פשתן *pecten lini*. Unde colligit, פשתים שריקות *linum bene pectinatum*, & *carminatum*, denotare, id eſt, *optimum*, & *firmiſſimum*. Nec video aliquid incommodi, quod hanc premat expoſitionem, niſi quod, obſervante Celeb. Vitringa, *ille ſignificatus vocis* סרק *non alibi quam apud Talmudiſtas reperiatur, & omnino videatur eſſe recentioris temporis, & vox ipſa aliunde ſumta, nec proprie uſus eſſe Hebræi.* Unde Vir Magnus præfert ſententiam Cl. Bocharti, qui illud שריקות de *colore* exponit *flavo* vel *ſubflavo*, quem etiam *gilvum* vocant; atque is lino, ſaltem præſtantiori, nativus; quemadmodum ex Pauſania in Eliacis conſtat, linum flavum habitum eſſe pro optimo. Et hæc interpretatio magis expreſſa nititur Linguæ Biblicæ aucto-

Digitized by Google

ritate. Nam שרוק colorem ſignificat Zach. I. 8. & Jeſaj. XVI. 8. שרוקים ad uvarum aut vini colorem pertinet, qui in utroque loco *flavus* intelligendus, ex mente Bocharti. Sed quicquid ſit, de *ſerico* vocem שריקות accipi non poſſe ſatis apparet.

Porro eſt adhuc alius locus, ex quo auſi quidam ſunt ſerici antiquitatem & uſum apud veteres Hebræos demonſtrare. Nimirum 1 Reg. X. 28. legitur: *Educebantur equi Salomoni ex Aegypto*, ומקוה סחרי המלך יקחו מקוה במחיר. Quæ verba auctor Verſionis Vulgatæ ſic reddidit: *Educebantur equi Salomonis de Aegypto & de Coa. Negotiatores enim Regis emebant de Coa.* Intelligit Coam Inſulam Aſiaticam prope Cariam; in qua cum ſericum texeretur, apud Græcos & Romanos celebratiſſimum, Vulgatus, quique ipſum ſequuti ſunt, credidere, ſericum Salomonis ætate ex iſta Inſula ad Hebræos fuiſſe advectum. Sed per vocem מקוה *Coam* intelligi non poſſe, ſolidiſſime Cl. Braunius oſtendit l. c. Sect. 121—125. cujus argumenta huc non transſcribam. Poſſet quidem forte in iſto Regum loco ſerici aliquod veſtigium reperiri. Dubitavi tamen an promerem, quia conjectura eſt, non certa demonſtratio. Nimirum vox מקוה eſt a Themate קוה, unde ductum nomen קו vel תקוה *tenue filum* vel *funiculum* notans. Exempla paſſim proſtant. Eodem uſu & Arabes ſuum قــوي frequentant, quibus قــوة eſt *filum tenue*, in ſpecie quod adhibetur, ad funem ex pluribus tenuioribus funiculis contexendum. Ut apud Giggejum قــوي الحــبــل ſunt *funiculi ex quibus conſtat funis*, & حــبــل قــو eſt *funis variis funiculis contextus*. Hinc itaque factum, ut קוה de *tenuiori* adhibeatur *textura*. Sicuti Jeſaj. LVI. 6. Paraphraſtes Chaldæus קוין uſurpat de *textura aranearum*, & Syris ܩܘܐ *Araneam* denotat, a ſubtiliſſima videlicet textura nomen ſortitam. Ab hoc uſu vocabulum מקוה proclivi

clivi admodum gradu ad exprimendum *ſericum* migrare potuit; quod a veteribus Aranearum texturæ, reſpectu tenuitatis, vel æquari vel præferri ſolet. Dionyſius Periegetes vſ. 757. de Seribus:

> Εἵματα τεύχουσιν πολυδαίδαλα, τιμήεντα,
> Κείνοις οὔτι κεν ἔργον ἀραχνάων ἐρίσειεν.

> *Veſtes faciunt varii artificii, pretioſas,*
> *Quibuscum nequaquam opus aranearum certaverit.*

Et Plinius lib. II. cap. XXII. *Telas aranearum modo texunt ad veſtem luxumque foeminarum, quæ bombycina appellantur.* Nec non Themiſt. in Orat. ad Nicodem. Ἀμφιεννύσθω ἢ λεπτότερα τῶν ἀραχνίων, *induatur veſte aranearum telis ſubtiliore.* Pollux lib. VII. cap. 17. Σκώληκές εἰσιν οἱ βόμβυκες, ἀφ' ὧν τὰ νήματα ἀνύεται, ὥσπερ ὁ ἀράχνης. *Bombyces vermiculi ſunt, a quibus fila ducuntur araneæ more.* Eam ob cauſam bombycina veſtis Græcis appellata ἀραχνώδης, q. d. *aranearum telas imitata.* Quód autem veteres Hebræi vocabulum מקוה potius ad *ſericum*, quam aliud quodcunque ſubtilioris & tenuioris texturæ genus, exprimendum adhibuerint, haud inepto argumento inde probari poſſe videtur, quod Phoenices קו *Kav*, ſive, ſecundum Syrorum pronuntiationem *Ko*, vel *Co*, Inſulam iſtam Aſiaticam *Coam*, quam mox vidimus in ſua Verſione Vulgatum memoraſſe, appellarint, non aliam ob rationem, quam quod ibi foeminæ *ſericum*, ſive *bombycinum*, ex Aſia allatum, de telis bombycum deglomerarent, & redordirentur. Hinc *Coæ* veſtes, apud Romanas mulieres olim uſitatiſſimæ, bombycinæ ſunt & pellucidæ. Horat. Serm. I. 2, 101.

> —— —— *Cois tibi pene videre eſt*
> *Ut nudam.*

Propert. Lib. IV.

> *Indue me Cois, fiam non dura puella.*

Tibull. Lib. II. Eleg. VI.

> *Illa gerat veſtes tenues, quas foemina Coa*
> *Texuit.*

Et apud alios paſſim. Neque mireris, a Phoenicibus impoſitum Inſulæ nomen. Hos enim aliquando eam tenuiſſe, jam obſervavit Cl. Bochartus. Et vel inde patet, quod urbs Inſulæ dicta *Aſtypalæa*. Strabo lib. XIV. Ἡ δὲ τῶν Κώων πόλις ἐκαλεῖτο τὸ παλαιὸν Ἀςυπάλαια. *Coorum urbs olim vocabatur Aſtypalæa*. At *Aſtypalæam* veteres tradiderunt Phoenicis fuiſſe filiam, ut ex Stephano, Pauſania, aliiſque, obſervat Vir Summus in Chan. lib. I. cap. 7. p. 373. Ob has itaque rationes מקוה forte *ſericum* poſſet denotare. Sed, ut jam dixi, dubitabundus rem propono. Fateor etiam obſtare, quod ſericum proprie non fuerit inter mercimonia & opificia Aegypti, ſolummodo autem byſſus & linum ejus regionis in antiquis monumentis celebretur. Quamvis & hæc difficultas removeri poſſet, ſi vocem iſtius loci ממצרים *ex Aegypto*, ad prius tantummodo verſus membrum referremus, quo *equi* ex *Aegypto* adducti narrantur, מקוה autem, quod Regii mercatores procurabant, aliunde advectum exiſtimaremus. Rem itaque in medio relinquo. Spero ſaltem eos Interpretes, quibus hoc מקוה generalius per *netum* exponere placuit, ab hac conjectura non adeo fore alienos.

Unus adhuc ſupereſt locus, ex quo antiquum ſerici uſum apud veteres Hebræos probari poſſe, valde mihi videtur vero ſimile. Habetur is Ezech. XVI. 10. ubi Deus Judaicam Eccleſiam ſub adulteræ mulieris imagine ita affatur:

ואלבישך רקמה ואנעלך תחש ואחבשך בשש ואכסך משי

In-

Indui te opere Phrygionico, calceos paravi tibi ex pellibus vaccarum marinarum, accinxi te byſſo, & operui te Meſchi. Et vſ. 13. *Ornaſti te auro & argento*, ומלבושך שׁשׁי ומשׁי *& veſtimentum tuum fuit byſſus &* Meſchi. Non quidem diffiteor, Interpretes in exponenda voce משׁי non omnino conſentire. LXX. per τρίχαπτον reddiderunt, de quo mox. Aquila apud Hieron. per ἁπτὸν *palpabile* vertit, itemque aliter per ἀνθινὸν *floridum.* Symmachus per ἐπένδυμα *indumentum.* Sed nolo recenſendis variorum ſententiis immorari, cum hoc labore jam defuncti ſint Cl. Fullerus Miſcell. Sacr. Lib. II. cap. XI. & Cl. Braunius de V. S. H. Lib. I. cap. 8. Ille per משׁי *ſericum* intelligit, cui hic contradicit, &, quamvis fateatur *ſibi nondum conſtare, quid ſignificet vox* משׁי, mox tamen addit: *Nihil aliud denotare exiſtimo, quam aut tegumentum àliquod muliebre, variis coloribus diſtinctum, atque ea de cauſa pretioſum, qualia ſunt polymita, mulierum deliciæ, — aut capitis aliquod ornamentum, qualia ſunt crinalia, auro & gemmis pretioſa.* Sed non placet, quod Vir Doctiſſimus per hanc vocem certum aliquod veſtimenti genus denotari velit, cum certiſſimum ex toto ſit contextu, non niſi *materiam* veſtis ſignificari. Nam in vſ. 10. vocabula רקמה *opus Phrygionicum*, תחשׁ *pelles vaccarum marinarum*, vel, ut alii volunt, *pelles melium*, & שׁשׁ *byſſus*, non *veſtium*, ſed *materiæ* nomina eſſe, ex qua veſtes parantur, nemo non concedit. Et vſ. 13. משׁי & שׁשׁי *byſſus*, non tantum proxime conjunguntur, ſed & מלבושׁ *veſtimentum* dicitur fuiſſe ex *byſſo & Meſchi.* Quomodo itaque hoc *Meſchi* poterit eſſe nomen veſtis, non materiæ, ut Cl. Braunius exiſtimabat? Certe ſolius Symmachi auctoritas, qui per ἐπένδυμα expoſuit, hic non ſufficiet. Potius itaque Fulleri accedo ſententiæ, qui per משׁי intelligit *ſericum.* Et (α) quidem non dubito hoc intendiſſe Alexandrinos, dum in ſua Verſione τρίχαπτον exhibuere. Ea vox quidem apud ne-

neminem antiquorum Græciæ Scriptorum occurrit. Sed pleniſſime de ea egit Hieronymus: *Cum diligenter*, inquit, *inquirerem, quid ſibi vellet vocabulum* Trichapti, *quod Septuaginta tranſtulerunt, & a nullo Græcorum nec Etymologiam poſſem invenire ſermonis: tandem didici a Septuaginta eſſe compoſitum. — quod tantæ ſubtilitatis fuerit veſtimentum, ut pilorum & capillorum tenuitatem habere credatur. Unde & ego tenuitatem volens exprimere veſtimenti pro Trichapto* ſubtilibus *tranſtuli, quod tenui ſtamine atque ſubtegmine textum erat.* Et in Commentar. in Zachariam, ubi forte incidit Hieronymus in hunc locum Ezechiëlis, hæc habet: *In τριχάπτοις veſtes tenues accipiamus, quæ tam pulchræ ſunt atque ſubtiles, ut capillorum ſimiles eſſe videantur.* Nempe τρίχαπτον a Græco θρὶξ *capillus* deducit. Verum an inde quod Hieronymus τρίχαπτον de *veſtibus tenuibus* & *ſubtilibus* exponat, colligere poterimus, quod illud præciſe *ſericum* deſignet? Negat Braunius id fieri debere. Nam, *quod ſubtile*, inquit, *ideone ſericum? Ita ſermocinatur Fullerus & alii. At nonne & byſſus ſubtiliſſima, & pellucida, adeo ut corpus magis detegere quam tegere videretur?* Sed puto Virum longe Doctiſſimum non attendiſſe, quod Propheta משי a שש *byſſo*, & in ſua Verſione Græci τρίχαπτον a τῷ βυσσινῷ, expreſſis verbis diſtinguant, tam vſ. 10. quam vſ. 13. ubi eſt: *veſtimentum tuum fuit* שש ומשי *byſſus & Meſchi*, βυσσινὰ καὶ τρίχαπτα. Ergo *materia* veſtium *tenuis & ſubtilis*, qua de Hieronymus, non de *byſſo*, ſed omnino de *ſerico* accipienda videtur. Accedit, quod Heſychius τρίχαπτον diſerte exponat de *texto bombycino*. Τρίχαπτον, inquit τὸ βαμβύκινον ὕφασμα. Sic & Suidas: Τὸ βαμβύκινον ὕφασμα, ἱμάτιον πολύτιμον. Iisdem verbis utitur quoque Auctor Etymolog. M. Neque (β) nullius hic momenti conſtans & antiqua eſt Rabbinorum traditio, per vocabulum משי nihil aliud quam *ſericum* eſſe intelligendum. Jarchius explicat per Gallicum שוי"יאה *ſoye*. Et Kimchi illud exponens per בגדי משי *veſtes ex Meſchi*,

Meſchi, addit, והוא ידוע *eſt* (ſcil. משי) *notiſſimum.* Nempe ea vox apud Judæos ſub *ſerici* ſignificatione perfrequens & familiaris. Quem uſum cur hic apud Ezechiëlem rejiciamus, nullam plane video rationem. Quod autem (γ) ad originem attinet vocabuli, non inepta mihi videtur obſervatio Fulleri, משי *non proprie ac per ſe tenue valere, ſed* extractum, *ſeu* extenſum, *& deinde, per conſequens ſcilicet*, tenue. Addit: *Nam quo magis quid extenditur, eo tenuius evadat neceſſe eſt atque rarius.* Nimirum pertinet vox ad Rad. משה *extraxit*; quam notionem & Arabes in ſuo مسى adſervarunt. Unde porro affinis *laxandi* ſignificatio adſumta, tum in cognato Themate مشى, tum & maxime in مذى, quod ex illo per leviculam, & Arabibus non infrequentem, mutationem ſubnatum. Sic e. g. pro شاع *divulgavit*, ſcribunt quoque ذاع; pro شر *maligna indole fuit* etiam ذر frequentant; pro مشوش *cidaris* etiam مشون pronuntiatur. Vid. & Celeb. Schultens in Clav. Dial. p. 308. Talemque in viciſſitudinem & Hebræum משה inclinaſſe, inde apparet, quod pro eo etiam dixerint מזה; unde Deut. XXXII. 24. eſt מזי רעב *extracti*, i. e. *extenuati*, *fame*; uti Arabum مسى quoque notat *extenuavit* gregem calor. Quamobrem dubitari nequit, Thema illud مذى affinitatem colere cum مسى, & illius ſignificationem *laxandi* a primaria notione *extrahendi*, qua hoc משה gaudet, ducere originem. Ex derivatis autem ab eo مذى nominibus noſtram præcipue attentionem meretur vocabulum مذية *Maſia*, quod Lexicographi declarant per درع لينة رقيقة *ſubtilem & tenuiſſimam texturam*, quæ imprimis a *foeminis* ſumi ſolet, annotante Giggejo, a *laxitate* & *ſubtilitate* fili nomen ſortitam. Per hanc autem ſubtilem & tenuiſſimam texturam vel *byſſus* vel *ſericum* in-

intelligendum. Cum autem Hebræum מֶשִׁי a *byſſo* differat, & ab ea, ut monuimus, expreſſis verbis diſtinguatur, nihil nunc aliud ſupereſt, quam ut per illud denotari *ſericum* judicemus. Unde ſequitur, quod ſericum Ezechiëlis Prophetæ temporibus non tantum notum jam fuerit, ſed &, uti ex Textu ante allato apparet, mulierum veſtibus inſerviverit. Fateor quidem, non adſcendere hoc argumentum ad ætatem Jeſajæ. Sed cogitandum, quod inde, quod Ezechiël demum mentionem *ſerici* fecerit, concludi nequeat, ipſius demum tempore id Hebræis innotuiſſe. Sane loquitur de illo מֶשִׁי tanquam de materia, præſtantiſſima quidem, ipſamque byſſum ſuperante, nemini tamen ignota, & uſu jamjam recepta.

Adjungamus tandem aliud argumentum, ex Hiſtoria depromptum. Celeb. Braunius de V. S. H. lib. I. cap. VIII. ait Sect. 114. „ certum eſſe, quod apud Græcos „ & Romanos ſericum diu multumque ignotum fuerit, „ cariſſimum autem fuerit & rariſſimum ad usque tempora „ primorum Imperatorum. „ Unde colligit, „ apud „ Hebræos & Aegyptios ſericum tempore Moſis plane „ ignotum fuiſſe, quia non credibile ſit, tam diu latuiſſe „ Græcos & Romanos, ſi jam inde Judæis familiare fuiſ- „ ſet. „ Id quidem recte ſtatuit Vir Doctiſſimus, me judice. Nam Moſis ætate notum jam ſerici uſum fuiſſe, nullo idoneo argumento probari, imo nec probabile reddi, poteſt. Quod autem ad Græcos & Romanos attinet, non quidem nego, per multa ſecula apud utrosque ſericum rarum fuiſſe & pretioſum: cujus rei non alia fuit ratio, quam quod, ut Plinius ait, *longinquo orbe peteretur*. Simul autem exiſtimo, ſtudioſe diſtinguendum eſſe inter ea tempora, quibus ſericum in Occidente noſtro pretioſiſſimum quidem, ejusque uſus rariſſimus, nec tamen plane ignotus fuit; & ea, quibus ars texendi & parandi ſericum plane nondum fuit inventa. Apud Romanos, fateor, frequentior ejus uſus demum circa tempora primorum Impe-

rato-

Digitized by Google

ratorum invaluit. Nam tum demum e Græcia in Latium luxus emanavit. Verum hinc nullo modo concludi poteſt, non prius inventam artem fuiſſe ſericum contexendi. Nam diu ante Græcis, quam Romanis, ea innotuit. Memoratur enim bombycinum ab ipſo Ariſtotele de Hiſtor. Animal. lib. V. cap. 19. ubi de Bombyce: Ἐκ δὲ τούτου τοῦ ζώου καὶ τὰ βομβύκια ἀναλύουσι τῶν γυναικῶν τινες ἀναπηνιζόμεναι, κἄπειτα ὑφαίνουσι. *Ex hoc animali mulieres quædam bombycina retorquendo in filum deducunt, deinde texunt.* At vero hanc artem bombycina texendi diu ante Ariſtotelis ætatem inventam fuiſſe, ex his verbis, quæ ſtatim ſubjungit, haud obſcure colligitur: Πρώτη δὲ λέγεται ὑφῆναι ἐν Κῷ Παμφίλη Λατώου θυγάτηρ. *Prima texuiſſe dicitur in Coa Inſula Pamphila Latoi filia.* Quod & Plinius tradit: *Prima Pamphile bombycum telas redordiri, rurſusque texere, invenit.* Ariſtoteles de illa Pamphila ita loquitur, ut appareat, eam diu ante ipſum vixiſſe, ejusque notitiam non niſi per incertam, ob rei antiquitatem, traditionem ad ipſum fuiſſe transmiſſam. Unde & nemo facile negaverit, ἱμάτια διαφαίνοντα & χιτώνια διαφανῆ, quæ apud Ariſtophanem, Menandrum, Philemonem, perantiquos Græciæ Poëtas, in locis, quæ ſuperius Sect. VI. attulimus, memorantur, non alia fuiſſe ex materia quam ex ſerico. His præſtructis affirmare ſuſtineo, Orientalibus populis adhuc longe antiquiorem texendi bombycini fuiſſe cognitionem. Nam extra controverſiæ aleam poſitum, & Græcos & Latinos vel bombyces, vel, quod probabilius mihi videtur, contextas bombycum telas, ſolo ex Oriente accerſiviſſe, quo provida natura, ob calorem, tenerrimis hiſce vermiculis amiciſſimum, ipſos primum collocarat. Sic *ſericum* a *Seribus*, Indiæ populis, coëmptum, & in Europam advectum fuiſſe, nemo ignorat. Unde merito Seneca: *Hæc ingenti ſumma, ab ignotis etiam ad commercium gentibus accerſuntur, ut matronæ quidem noſtræ ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo quam in publico oſtendant.* Et Plinius: *Tam*

 mul-

multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut foemina in publico tranſluceat. Aſſyria quoque bombyx Plinio celebrata lib. XI. cap. 22. *Quantum inter hæc genus eſt bombycum, in Aſſyria provenieas.* Et cap. ſeq. *Aſſyria tamen bombyce adhuc foeminis cedimus.* Et Arabica bombyx a Propertio memoratur lib. II. Eleg. III.

Nec ſi qua Arabio lucet bombyce puella.

Sed & ipſa conſuetudo ſericas veſtes geſtandi ex Oriente ad Græciæ & Latii foeminas dimanavit. Quod inter alios obſervavit Dio Caſſius lib. XLIII. Τῦτο δὲ ὕφασμα χλιδῆς βαρβάρυ ἐςὶν ἔργον, καὶ παρ' ἐκείνων, καὶ πρὸς ἡμᾶς ἐς τρυφὴν τῶν πάνυ γυναικῶν περιτλὴν ἐσπεφοίτηκεν. *Eſt ſericum barbaricæ luxuriæ textura, ab iisque ad nos in ſuperfluum nobilium foeminarum luxum perlata.* Hinc itaque concludamus, quod, cum Græci & Romani ſerici notitiam & uſum ex Oriente ſolo acceperint, tuto decernere liceat, Orientales diu ante illos ſericum habuiſſe. Ejusque uſus tranſire ad Græcos potuit per Phoenices, quos per magnam orbis partem olim mercaturam exercuiſſe, nemo poteſt neſcire; vel etiam in ſpecie per coloniam, ab illis miſſam in Coam Inſulam, quam ipſos aliquando tenuiſſe, ſupra jam obſervavimus. Nec eorum peritia, uti in multis aliis rebus, ita & in artificioſis texturis, quæ ſumma olim & celebratiſſima fuit, latere quemquam poteſt. Et per Phoenices bombycum texta commodiſſime ex Oriente, & Aſſyria præcipue, ad Coam potuerunt deferri. Hic enim, ut videtur, non naſcebantur ipſæ bombyces, ſed earum telas & nidos, aliunde allatos, redordiebantur & texebant. Unde Ariſtoteles l. c. de Pamphila: Πρώτη λέγεται ὑφᾶναι. Quod autem in Coa Aſſyriæ potiſſimum bombycis telis uſi fuerint, inde colligitur, quod Plinius, poſtquam ejus feciſſet mentionem, mox ſubjungat, Pamphilam eas telas *redordiri rurſusque texere inveniſſe.* Quare & non obſtat, quod idem

idem Plinius addat: *Bombycas & in Coa Inſula naſci tradunt.* Nam apparet, quod ipſemet id expreſſe non adfirmet, ſed tantum referat id *tradi.* Neque apud ullum alium Scriptorem antiquum *Coæ bombycis* facta mentio, quamvis textura & veſtis Coa frequentiſſime memoretur. Cum itaque ex Coa bombycinum ad Græcos & Romanos delatum fuerit, novo conſtat argumento, quod hi illius notitiam & uſum non aliunde quam ex Oriente acceperint. Jam itaque, revocatis in memoriam iis omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, tentemus, ad quænam admodum tempora hoc argumentum adſurgat. Ariſtoteles vixit, ſecundum receptam & communem ſententiam, circa annum Mundi MMMDLXXXX. Cum autem, ubi ſerici mentionem facit, haud obſcure, uti jam vidimus, innuat, artem illud texendi non ſua demum ætate, ſed diu ante ipſum, innotuiſſe, nemine, opinor, contradicturo, ſupponere licebit, hanc ipſam artem aliquot ſaltem ante ipſum ſeculis ad Coos perveniſſe. Hoc inde etiam confirmari poteſt, quod veſtes pellucidæ, &, uti probabile eſt, ſericæ, inter alios antiquos Græciæ Scriptores & ab Ariſtophane, ut jam vidimus, memorentur, qui quinquaginta circiter annis ante Ariſtotelem floruit, nempe circa A. M. MMMDXL. At hujus Ariſtophanis ætate pellucidorum uſus haud adeo erat rarus, ſed a longo jam tempore introductus. Nam foeminis ſine diſcrimine διαφανῆ χιτώνια adſcribere videtur in Lyſiſtr. vſ. 46. nempe iis de quibus paulo ante dixerat vſ. 42.

Τί δ' ἂν γυναῖκες φρόνιμον ἐργασαίατο Ἢ λαμπρόν;

Quid prudens aut illuſtre facinus auſint foeminæ patrare?

quæ, ut habet contextus, ſedent florido cultu, crocota, comtis capillis, *Cimbericis rectis veſtibus, & pellucidis tunicis*, ornatæ. Quis hinc non concluderet, ſericum vel bombycinum eo tempore uſus jam fuiſſe frequentioris? Po-

Digitized by Google

namus itaque id Græcis innoteſcere coepiſſe circa A. M. MMMCCCC. artem vero id texendi in Coam delatam eſſe paulo ante, v. g. circa annum MMMCCCL. Sic jam aſcendimus ultra ætatem Ezechiëlis & Daniëlis, ac reliquorum Prophetarum, qui eos ſunt inſequuti. Ille enim vixit circa annum MMMCCCLX. Quodſi jam cogitemus porro, ad Græcos, ipſosque Coos, bombycina, vel bombycum telas, non aliunde quam ex ſolo Oriente eſſe allatas, ut jam oſtendimus, haud temere ſupponemus, artem veſtes ex bombycum nidis texendi diu ante Orientalibus cognitam fuiſſe, quam ea ad Coos, & per hos in Græciam, perveniret. Cum itaque Jeſajæ Prophetæ ætas referatur ad A. M. MMMCLXXX. non ſine magna probabilitate ſtatuemus, ſerici uſum eo tempore in Oriente non fuiſſe ignotum. Id enim annum iſtum MMMCCCL. circa quem ſericum in Coa texi coeptum videtur, ne duobus quidem, ut apparet, ſeculis antecedit. Quodſi certus eſſem, Lectorem hos calculos non improbaturum, ulterius pergerem usque ad tempora Salomonis. Nam ſi ſericum Jeſajæ ætate Hebræis notum jam fuit, ſimul etiam probabile, quod in eorum notitiam non venerit poſt Regnum Salomonis, quo imperante magis, quam ullo alio tempore, floruit apud Hebræos mercatura, & ignotæ antea merces tum demum innoteſcere, ac undique terrarum convehi, coeperunt. Imo ſi locum 1 Reg. X. 28. de quo ſuperius, de *ſerico* intelligendum eſſe certum eſſet, tempus, quo innoteſcere Hebræis ſericum coepit, in Scriptura accurate ſatis haberemus definitum. Fateor quidem, hæc omnia pluribus ſuperſtructa eſſe conjecturis. Sed ignoſcet, ſpero, eruditus Lector, qui, quantæ difficultatis ſit tenuia remotiſſimæ antiquitatis veſtigia indagare, non ignorat. Placuit autem hæc de ſerici antiquitate paulo prolixius diſſerere, quia video, id a multis pro recentiſſimo haberi invento, quod ad ſummum ultra tempora primorum Imperatorum Romanorum non aſcendat.

IX. Quod-

IX. Quodſi quis autem nihilominus nolit, ſerico eam adſcribere antiquitatem, quæ usque ad Jeſajæ ætatem adſurgat, non tamen ideo opus ei eſt, ut noſtram de voce גליונים ſententiam rejiciat. Nam ſaltem byſſi receptiſſimum æque ac antiquiſſimum habuerunt uſum, quam non tantum Aegyptus, Arabia, aliæque Orientis regiones, ſed & ipſa Palæſtina ferebat, & quidem mira conſpicuam filorum tenuitate. Pauſanias in Eliacis lib. I. ait: Ἡ δὲ βύσσος ἐν τῇ Ἤλει λεπτότητος μὲν εἵνεκα οὐκ ἀποδεῖ τῆς Ἑβραίων: ἔστι δὲ οὐχ ὁμοίως ξάνθη. *Byſſus naſcitur in Elide tenuiſſima, quæ Hebræorum non cedit; ſed non eſt æque flava.* Hujus inſignis tenuitatis & mollitiei reſpectu Strabo ipſum ſericum per *byſſum* deſignat: Τοιαῦτα τὰ σηρικὰ, inquit, ἔκ τινων φλοιῶν ξαινομένης βύσσου. Et Pollux in Capite de byſſo, etiam de ſerico agit. A foeminis autem luxui deditis byſſum in deliciis ſemper habitam inter alios Plinius lib. XIX. & Clemens Alex. Pædag. lib. II. cap. 10. teſtantur. Sic Prov. XXXI. 22. שש וארגמן לבושה *Byſſus & purpura eſt indumentum ejus* foeminæ. Similiter Ezech. XVI. 13. מלבושך שש *indumentum tuum fuit byſſus.* De Phoeniciis mulieribus idem liquet ex Ezech. XXVII. 7. ubi שש *byſſus* jungitur cum רקמה *opere acupicto*, ſuperbo veterum mulierum ornatu.

Pellucida ex byſſo.

Byſſinas autem veſtes ita parari potuiſſe ut pellucerent, nemo dubitabit. Unde & byſſum pellucidis veſtimentis materiam aliquando præbuiſſe, ex pluribus conſtat documentis. Apud Gjannabium mentio fit حلة شفافة من بز ثقيفية *ſtolæ pellucidæ ex byſſo Tekifenſi.* Safeirius:

وشفّت عليها البزوزا

Pellucet ſuper ipſa veſtis byſſina.

Sic pellucendi virtutem byſſo non minus quam ſerico adſcribit Aſterius in Homil. de Div. & Laz. Τὴν βύσσον ἐπιζητῆς, καὶ συνάγῃς δὲ τῶν Περσικῶν σκωλήκων νήματα, ἐςὶν δὲ ἀράχνης ἀνεμαίων ὑφαίνης. Interpr. Rubenio: *Et byſſum requiris, & Perſicorum ſtamina vermium conligis, unde evanida, &, ut ita dicam, Araneæ tela contexatur.* Huc Apulejus pertinere videtur, qui Metamorph. lib. XI. in *Iſidis* pompa ait, *viroſque foeminaſque fuiſſe in lintea veſte luminoſos.* Nam ſæpe byſſus vocatur *linum*, cujus illa ſpecies erat. Pollux: βύσσος λίνυ τι εἶδος. Sed ſpecies erat tenuiſſima & pretioſiſſima. Huc & Plinius referendus, qui ait, *byſſum mulierum maxime deliciis* eſſe deſtinatam, lib. XIX. cap. I. Et Petron. cap. 55.

> *Aequum eſt, induere nuptam ventum textilem,*
> *Palam proſtare nudam in nebula linea.*

Vid. ſup. p. 311. Præcipue autem notari velim Ariſtoph. in Lyſiſtr. vſ. 150.

> Ἐι γὰρ καθήμεθ' ἔνδον, ἐντετριμμέναι,
> Κἀν τοῖς χιτωνίοισι τοῖς ἀμοργίνοις
> Γυμναί.

> *Si enim ſedeamus intus, nitentes vultu,*
> *Et in tunicis amorginis*
> *Nudæ.*

Quia *nudæ* in *amorginis* tunicis foeminæ dicuntur, apparet has eſſe pellucidas. Eſt autem *amorginum* ſpecies lini tenuiſſima. Suidas: Ἀμόργινον, ὅμοιον βύσσῳ καὶ πολυτελές. Ἔςιν δὲ σφόδρα λεπτὸν ὑπὲρ τὴν βύσσον ἢ τὴν κάρβασον. *Amorginum ſimile eſt byſſo, & pretioſum. Eſt autem valde tenue, præ byſſo aut carbaſo.* Eadem habentur in Scholiis antiquis ad Ariſtoph. Lyſiſtr. vſ. 736. ex quo loco certiſſime conſtat, amorginum eſſe ſpeciem lini. Vocatur enim ibi

ἄλοπος

ἄλοπος *cortice carens.* Unde Biſetus ad h. l. Ἐκ τούτου δὲ ἐπιθέτου δῆλόν ἐστι νῦν τὴν ἀμοργίδα λίνου τι εἶδος σημαίνειν. *Ex hoc epitheto manifeſtum nunc eſt, amorgida lini quandam ſpeciem ſignificare.* Sic & Harpocration: Ἀμοργὸς, ἔστι παραπλήσιόν τι βύσσῳ. *Amorgus eſt aliquid byſſo ſimile.* Ajuntque Græcorum Critici, lini hanc ſpeciem inde nomen tuliſſe, quod in Amorgo Inſula naſceretur & elaboraretur. Julius Pollux lib. VII. cap. XVI. de veſtibus lineis, Sect. 74. Τὰ δὲ ἀμόργινα, γίγνεσθαι μὲν τὰ ἄριστα ἐν τῇ Ἀμοργῷ, λινοῦ δ' οὖν καὶ ταύτας εἶναι λέγουσιν. *Amorginas veſtes optimas in Amorgo naſci, easque etiam lineas eſſe, dicunt.* De Amorgo Stephanus de Urbibus: Ἀμοργὸς, νῆσος μία τῶν Κυκλάδων. *Amorgus inſula eſt ex Cycladum numero.* Et Suidas: Ἀμόργεια ἀπὸ νήσου Ἀμοργοῦ[illegible]ος. Eadem quoque legas in Scholiis antiquis in Ariſtoph. Alii tamen malunt, *Amorginum* eſſe coloris genus. Ita Stephanus: Ἀμόργινος χιτὼν, χρώματος ἴδιον. Et Euſtathius apud Biſetum: Ἀμόργη, πορφύρα κατὰ γλῶσσαν. Etymolog. M. p. 45. Ἀμοργὶς, καλάμη τις, ἐξ ἧς ἐνδύματα ἀμόργινα. Οἱ δὲ, λινὰ ὑφάσματα. Οἱ δὲ, ἀπὸ Ἀμοργοῦ τῆς νήσου. Οἱ δὲ, ἀμοργίνους, τοὺς ἐρυθροὺς τὸ χρῶμα. Hinc Biſetus quidem ait: Ταύτης τῆς λέξεως πολλαὶ παρὰ τοῖς λεξικογράφοις εὑρίσκονται σημασίαι. Poſſunt tamen varii hi ſignificatus, de quibus loquitur, facile conciliari, ſi obſervemus, ἀμόργινον proprie quidem ſpeciem eſſe lini tenuiſſimi, ad byſſum proxime accedentem, vel fortaſſis ab ea plane non diverſam. Neque negari poteſt, nomen ab *Amorgo* Inſula commodiſſime duci potuiſſe; quemadmodum a *Co* Inſula dicta *Coa*, & *Coæ veſtes*, itemque τὰ Θήρεια vel Θήραια ἀπὸ Θήρας νήσου, ut habet Suidas. Quod autem *color purpureus* perhibeatur ἀμόργινος appellari, inde eſt, quod tenuius linum, & ipſa præcipue byſſus, purpureo colore tingi plerumque ſoleret. Quemadmodum id ſupra de ſerico oſtendimus. Unde Heſychius βύσσινον per πορφυροῦν exponit. Et ipſa vox **βύσσος** ***purpuram*** notat apud Suidam, qui habet: βύσσινον, βύσσῳ βεβαμμένον, non aliam

aliam ob rationem, quam quod byſſus purpura tegeretur. Vid. & Bochart. Phal. lib. III. cap. 4. p. 156. & Can. lib. I. cap. 14. p. 414. 415. Inde & eſt, quod in ipſa Scriptura *byſſus* & *purpura* tam frequenter conjungantur. Ut Eſth. I. 6. VIII. 15. Ezech. XXVII. 16. Prov. XXXI. 22. Luc. XVI. 19. Apoc. XVIII. 12. &c. &c. ubi eſt *purpura* & *byſſus*, vel *byſſus* & *purpura*, pro *byſſo purpurea*, aut *tincta purpura*. Cæterum cum voce ἀμοργὸς vel ἀμόργινον poſſet forte conferri Hebræum ארגמן *purpura*. Sic iſta vox primaria notione ſignificaret *colorem*, non *linum*, vel *byſſum*. Si quid veri hic ſubſit, nomen Ἀμοργὸς Inſulæ a Phoenicibus potuit imponi, ideo quod *linum* vel *byſſum* præſtantiſſimam, בארגמן *purpura* tingi ſolitam, proferret. Sed nolo his diutius immorari. Ex iis, quæ hactenus allata, ſatis apparet, ex byſſo, aliisve tenuioris & ſubtilioris lini ſpeciebus, quoque pellucidas veſtes fuiſſe paratas. Verum quidem eſt, quod byſſus non ſemper ſit pellucida. Sed quando eam pellucere nolebant, ejus fila ſæpius duplicabant, contorquebant, & ſic telam condenſabant. Quo ſenſu in Lingua Biblica byſſus משזר appellatur, quod vocabulum ex Arabum Themate شزر *torſit filum, procedendo a dextra ad ſiniſtram*, lucem foeneratur. Unde & Exod. XXVI. 1. ubi in Hebræo eſt שש משזר, Interpres Arabs habet عشر مشزور *byſſum retortam*. Quare & in Veſtitu Sacerdotum Hebræorum non alia byſſus quàm משזר adhibita. Nam pellucidis uti, ipſos non decuiſſet.

De pretio pellucidorum.

X. Quemadmodum autem veſtes foeminarum pellucidæ foeda luxurie, ita & facile pretio, fere quæcunque alia ornamenta ſuperabant. Quod ad ſericum attinet, id, apud Romanos ſaltem, auro contra carum habebatur. Vopiſcus in Aureliano: *Veſtem boloſericam neque ipſe in Veſtiario habuit, neque alteri utendam dedit. Et cum ab eo uxor ſua peteret, ut unico pallio blatteo ſerico uteretur, ille re-*

Digitized by Google

reſpondit : Abſit ut auro fila penſentur. Libra enim auri tunc libra ſerici fuit. Sic & in Lege Rhodia eſt: Ὁλοσηρικὰ ὅμοια τῷ χρυσίῳ. *Holoſerica pretio æquantur auro.* Augebatur pretium, ſi veſtes ſericæ ſimul etiam eſſent acupictæ, & plumatæ. Vopiſcus in vita Carini: *Quid Tyrio & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles.* Poëta Arabs antiquiſſimus in Celeb. Schultens Monum. vetuſt. Arab. p. 67.

ونرفل في الخز المرقم تارة
وفي القز احيانا وفي الحلل الخضر *

Delicate incedebamus in ſericeis ſæpe acupictis,
In holoſericis alias, ſtolisque viridibus.

Vel auro intextæ ſericæ veſtes. Scheich Sadi p. 224.

زشت باشد دبيقي وديبا
كه بود برعروس نازيبا *

Foeda eſt veſtis holoſerica & auro intexta,
Si ea induta fuerit ſponſa deformis.

Et Dio lib. LIX. chlamydem quoque memorat σηρικὴν ἁλουργῆ, πολὺ μὲν χρυσίον, πολλοὺς δὲ καὶ λίθους Ἰνδικοὺς, ἔχουσαν, *ſericam, purpura tinctam, multo auro, multisque gemmis Indicis, ornatam.* Neque ipſa etiam purpura, qua, ut ſupra vidimus, ſericum tegi ſolebat, pretio carebat. Ea enim, ut Plinius teſtatur, lib. IX. cap. 35. margaritis vix pretio cedebat. Sed & byſſus, quæ, ut diximus, quoque pellucidis materiam præbuit, non multo minus erat pretioſa. De ea Plinius lib. XVIII. cap. 1. *Quaternis,* inquit, *denariis ſcrupula ejus permutata quondam, ut auri, reperio.* Quamvis autem in Oriente & ſericum & byſſus majori copia haberetur, nec tam longinque peteretur, ta-

men ob multiplicem laborem, qui præparationi inſumendus, inſigne utriusque fuiſſe pretium, dubitari nequit. Unde & Talmudici dicunt, quod, ſi quis magnam opum vim brevi velit dilapidare, ſe veſtire debeat ſerico vel byſſo, in Tract. Cholin cap. 6.

Pellucida & a Viris interdum ſumta.

XI. Coronidis loco hoc addamus, quod interdum & Viri pellucidis veſtibus uti non erubuerint. De Sacerdote Hebræo, tunicam gerente, in qua quaſi nudus videbatur, locum Talmudicum jam ſupra adduximus, Sect. VI. Addantur nunc Clemens Alex. Pædag. lib. III. cap. 3. Πρὸς δὲ τὸ μαλθακώτερον ἀποκλίναντες, γυναικίζονται. κουρὰς μὲν ἀγεννεῖς, καὶ πορνικὰς, ἀποκειρόμενοι. χλανίσι δὲ διαφανέσι περιπεπεμμένοι. *Ad ſummam mollitiem declinantes Viri, indecora quidem tonſura ac meretricia ſe tondentes, & veſtibus pellucidis induti.* Pollux lib. IV. cap. 14. Ὠρχοῦντο, διαφανῆ Ταραντινίδια ἀμπεχόμενοι. *Saltabant* viri, *pellucida veſte Tarentina induti.* Et Conſtantinus Porphyrogeneta in Excerpt. ex Diodoro Sic. p. 393. Οἱ νέοι κατὰ τὴν ἀγορὰν ἐφόρουν ἐσθῆτας διαφόρους μὲν τῇ μαλακότητι, διαφανεῖς δὲ, καὶ κατὰ τὴν λεπτότητα ταῖς γυναικείαις παρεμφερεῖς. *Juvenes in concione veſtes geſtabant mollitie pretioſas, ac pellucidas, muliebribus ratione tenuitatis perſimiles.* Apud ipſos Romanos Tiberii jam temporibus viri ſericis veſtibus uſi ſunt. Unde Tacitus eas vocat *promiſcuas viris & foeminis veſtes*; cum tamen antea lege cautum eſſet: *ne veſtis ſerica viros foedaret*, apud eundem Tacitum. Addatur Plinius lib. II. cap. 23. de Coa bombyce: *Nec puduit has veſtes uſurpare etiam viros levitatem propter æſtivam; in tantum a lorica gerenda diſceſſere mores, ut oneri ſit etiam veſtis. Aſſyria tamen bombyce adhuc foeminis cedimus.* Unde apparet, Aſſyrium bombycinum tenuius fuiſſe & præſtantius. Et Solinus denique cap. L. *Hoc illud eſt ſericum, in uſum publicum, damno ſeveritatis, admiſſum, & quo oſtendere potius corpora, quam veſtire, primo foeminis, nunc etiam viris, luxuriæ perſuaſit libido.*

C A-

CAPUT XIX.

Probatur סדינים eſſe *Interulas.*

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

I.

Hujus vocabuli expedienda & origo & verus ſignificatus. Pertinet procul dubio ad Radicem סדן. Quæ licet in hodiernis reliquiis Linguæ Hebrææ nunc non ſuperſit, olim tamen non potuit eſſe ignota. In ſolo autem hoc derivato nomine, tanquam in tabula, e communi illius Linguæ naufragio enatavit. Tribus, vel quatuor potius, in locis ea dictio ſedem occupavit. Nempe Judic. XIV. 12. *Dabo vobis triginta* סדינים, *& triginta mutatorias veſtes.* Sic & vſ. 13. *Dabitis vos mihi triginta* סדינים, *& triginta mutatorias veſtes.* Porro Prov. XXXI. 24. de foemina prudente: סדין *facit & vendit.* Et denique inter muliebria occurrit veſtimenta, quæ Jeſajas hic recenſet. In primo loco Alexandrina Verſio reddit per *σινδόνας ſindones*, qua de voce mox plura; ſed mox vſ. 13. ſubſtituunt *ὀθόνια lintea*; uti & Jonathan habet פלרסין, quam vocem Latinus Interpres quoque per *lintea* exponit, quamvis ea alibi non legatur. Vulgatus utrobique *ſindones*, Græcos ſequutus. Arabs vertit per حلة *ſtolas*, & vſ. 13. per ثوبا *veſtes.* Melius Interpres Syrus: ܐܦܩܪܣܝܣ, quod vocabulum convenit cum Rabbinorum פפקרס vel פקרים, pro quo & אפיקריסין ſcribitur, quod *induſium* vel *interulam* notat. Porro Prov. XXXI. 24. Græci quidem iterum *σινδόνα*, & Vulgatus *ſindonem*, habent. Chaldæus: פתנא *linteamen.* Syrus ܟܬܢܐ *tunicam.* Sed in Jeſaja, ſi a ſolo diſceſſeris Vulgato, omnes

Quomodo Veteres vocem expreſſerint.

 ali-

Digitized by Google

aliter reddidere. Chaldæus interpretatur קרטסיא, quod Latine quidem ex Vulgato per *ſindones* exponunt, ſed quid vox proprie ſignificet, revera ignotum. Forte convenit cum Perſico کره ſive کرتک *ſubucula.* LXX. vertunt hic τὰ ὑακίνθινα, unde & Arabs: يافوتهن, & Syrus ܐܟܠܡܬܗܝܢ *hyacinthina earum.* Sed obſervandum hic, quod toties jam monui, quod Græca Verſio non minus ac caeteræ, quæ ex ipſa ſunt adornatæ, adeo hic ſint interpolatæ, ut, quænam voces Hebræis reſpondeant, accurate definiri non poſſit. Et in hoc, in quo nunc verſamur, vſ. 23. LXX. mire ſunt luxuriati, pro quatuor vocabulis, quæ ſunt in Textu Hebræo, non totidem, ſed ſeptem, reddentes. Unde fieri aliter non potuit, quam ut hi Interpretes, eaſdem voces, quas alibi longe rectius & emendatius expoſuerant, hic tamen inepte interpretari, & ab indole & uſu dictionum Hebræarum quam longiſſime recedere, videantur.

Recentiorum cogitata. II. Noſtrates plerique Interpretes, Vulgatum ſequuti, unanimi quaſi conſenſu, vocem סדינים per *ſindones* expreſſerunt. Sic, ut alios omittam, ipſe Celeb. Vitringa, qui ait: סדינים *quod ſequitur, ipſiſſimum* ſindones, Aegyptiæ, *ut Pollux, & Tyriæ, uſus in luxu vulgati, & variis Scriptoribus hoc nomine inter muliebria memoratæ.* Nec hinc longe recedunt, qui per *lintea* exponunt, ut Mercer. in Judic. aliique plures. Sic & Doctiſſ. Belgæ, qui habent Prov. XXXI. 24. *fyn lynwaet*; & Jud. XIV. 12. *fyne lynwaets kleederen*; & in Jeſaj. denique *de fyne linnen-deckſels.* Nam ex lino vel byſſo ſindones fuiſſe conſtat. Quod vel inde colligitur, quod pro σινδὼν, quo Matthæus, cap. XXVII. 59. Marcus, cap. XV. 46. & Lucas, cap. XXIII. 53. uſi ſunt, Johannes habeat cap. XIX. 40. & XX. 5. 6. 7. ὀθόνια *lintea.* Non quidem nego, Hebræum סדין optime per *ſindonem* exprimi. Neque dubito, hoc illi ſuam debere originem. Ipſum tamen vo-

vocabulum *ſindonis* non uno, ſed vario, ſenſu accipiunt, ejusque ſignificatum non accurate ſatis determinant. Quare & mox materiam veſtium, mox autem certum aliquod veſtimenti genus, denotare creditur. Merito itaque in iſta interpretatione deſideramus, quod non definiat, quænam præciſe veſtium ſpecies tum per *ſindonem*, tum per Hebræum סרין, deſignetur. Qua de re pauciſſimos hactenus reperio fuiſſe ſolicitos. Junius quidem & Trem. ajunt fuiſſe *ſuppara e lino Aegyptiaco, eamque ob rem etiam Tyrias ſindones veteribus dictas eſſe.* Quibus aſſenſum præbuit Piſcator, in Comm. in Jeſaj. addens, *talia ſuppara nominari ſindones, per metonymiam materiæ, quia e ſindone conſtabant.* Nempe vocem *ſindon* proprie non veſtem, ſed materiam, ſcil. linum, ſignificare exiſtimat. Alii autem, præeunte Caſtalione, *ſudaria* intelligunt. Nam & hæc ex *lino* parari ſolent. Sed neutra expoſitio mihi arridet. Nam ut taceam, quod סרינים jungantur cum חליפות בגדים *mutatoriis veſtibus*, & ideo non poſſint non veſtes eſſe vel totum corpus, vel majori ſaltem ex parte, operientes; nondum eſt probatum, quod *ſindon*, primaria ſignificatione, materiam, ſcil. linum, vel byſſum, notet, & hinc veſtis vel ornamenti genus non niſi metonymice eo nomine appelletur. Contrarium mox elucebit. Quodſi autem vel concederemus, סרין *ſindonem*, proprie materiam ſignificare, inde tamen concludi non poteſt, eam vocem, quoties ad denotandam veſtem transfertur, nihil aliud quam vel *ſuppara*, vel *ſudaria*, vel ſimile quid, deſignare. Quaſi nullum aliud veſtimentum potuiſſet eſſe ex lino.

Hebræorum Doctiores quid ſtatuant, videbimus deinceps.

III. Antequam vero ulterius progrediamur, opus erit de origine vocis סרין pauca quædam præſtruere. Jam indicavimus, Thema סרן, ad quod illa omnino referenda, e

Vox סרין *non eſt a σινδών.*

Scriptura plane exulare. Sed & abeſt ex Chaldæa, Syriaca, ut & Talmudica, Dialecto. Unde factum, ut plures exiſtimaverint, vocabulum סדין originis eſſe non Hebrææ, ſed peregrinæ. Itaque ex ejus convenientia cum Græcorum σινδὼν collegerunt, eam a Græcis eſſe transſumtam, & factam Hebraicæ ditionis. Græcum vero σινδὼν a *Sidone*, celeberrima olim Phoeniciæ urbe, nomen tuliſſe arbitrantur; praeeunte, ut videtur, Etymologici M. Auctore, qui Σινδὼν, ait, ἀπὸ Σιδῶνος τῆς πόλεως· οἱ γὰρ Σιδῶνες ἐφεῦρον πρῶτοι κάμνειν σινδόνας. *Sindon a Sidone urbe appellata. Sidonii enim primi ſindones parare invenerunt.* Ab eadem ſententia non alienus eſt Lazarus Bayfius de re veſtiar. cap. XIII. p. 219. Eique aliquod pondus addere videtur celebratiſſima apud veteres Sidoniorum in veſtibus ornate texendis peritia, quam Homerus jam prædicavit Iliad. Z. 289.

Ἔνθ᾽ ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι, ἔργα γυναικῶν
Σιδονίων, τὰς αὐτὸς Ἀλέξανδρος θεοειδὴς
Ἤγαγε Σιδονίηθεν, ἐπιπλὼς εὐρέα πόντον.

Ubi ei erant pepla variegata, opera mulierum
Sidoniarum, quæ ipſe Alexander Deo ſimilis
Abduxerat Sidone, transnavigans latum mare.

Apud Romanos Sidoniæ veſtes in magno habebantur pretio. Ovid. Heroid. IX. 101.

Hæc tu Sidonio potes inſignitus amictu
Dicere.

Virg. Aen. IV. 137.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Addatur Propert. lib. IV. Eleg. 10.

Idem

Idem ego Sidonia feci ſervilia palla
Officia.

Et lib. II. Eleg. 16.

Quare ne tibi ſit tanti Sidonia veſtis.

Sed quamvis hæc ita ſe habeant, non tamen eo adduci poſſum, ut credam, Hebræorum סדין a Græcorum σινδὼν deſcendiſſe. Nam forma vocis non peregrina eſt, ſed Hebrææ Linguæ domeſtica, familiaris & frequens. Imo a σινδὼν longius recedit, quam ut inde tuto poſſit derivari. Nam hujus prior litera (ν) in סדין non comparet, quæ tamen vel exprimi, vel per Dageſch forte literæ (ד) imprimendum, compenſari, debuiſſet. Accedit, quod temporibus Judicum apud Hebræos noti & uſitati jam fuerint סדינים. Sed ea ætate Hebræis commercium cum gentibus adeo longinquis, quales Græci erant, nondum intercedebat. Nec dici poteſt, quod, licet סדין a σινδὼν immediate non deſcenderit, utrumque tamen vocabulum ortum ducere potuerit a *Sidone* urbe. Nam (1) Hebræorum סדין hanc originationem non admittit, quia *Sidon* ab iis ſcribitur צידון per *Tſade*, illud autem per *Samech* exaratur, & *Nun* finale in hoc *Servile* eſt, in illo autem *Radicale*. Eſt enim צידון *Sidon* dicta a ציד *piſcatus fuit*, *ob piſcium ubertatem*, ut non inepte Juſtinus ait lib. XVIII. cap. 3. Vid. & Clar. Bochart. in Phaleg, lib. IV. cap. 35. Præterea Prov. XXXI. 4. quævis mulier bonæ frugi elaborare dicitur סדין; non itaque ſolorum Sidoniorum opificium fuit ea veſtis. Verum (2) neque Græcorum σινδὼν a *Sidone* originem ducere poteſt. Quamvis enim Martialis *Tyriam ſindonem* dixerit, non tamen omnis ſindon Phoenicia. Nam & Aegyptia memoratur. Pollux lib. VII. cap. 16. Sect. 72. Σινδὼν, ἔστιν Αἰγυπτία μὲν, περιβόλαιον δ' ἂν εἴη,

τὸ

τὸ νῦν δίκροσσον καλύμενον. *Sindon eſt Aegyptiaca. Amiculum vero eſt, quod nunc utrinque fimbriatum vocant.* Et ſindones in Aegypto uſitatas fuiſſe, ex Herodoto apparet, cujus verba deinceps adducemus. Et quoties ſindon ab aliis veterum Scriptoribus memoratur, nuſpiam additur, eam Sidone eſſe allatam. Martialis *Tyriam* quidem, non vero *Sidoniam*, *ſindonem* appellavit, in verſiculo:

Non ſic in Tyria ſindone tutus eris.

Et hic *ſindon Tyria* non eſt, quæ *Tyro* allata, ſed quæ affabre contexta Nam ſi quid elegans & concinnum in veſtibus eſſet, id Phoenicum tribuebatur induſtriæ. Qui & ideo πολυδαίδαλοι ab Homero appellantur. Merito itaque originatio illa reprobata a Cl. Caſaub. in Exercit. Anti-Baron. XVI. p. 524. & Cl. Voſſio in Etymol. L. L. p. 549.

Neque pertinet ad Rad. שׁור.

IV. Alii quibus hoc etymon vocis סדין non placuit, eam ignotæ ſibi originis eſſe ingenue confeſſi ſunt. Unus eſt Cl. Guſſetius, qui hanc indagare tentavit. Ne vero eam extra Hebraiſmi pomoeria in aliqua Dialecto quærere cogeretur, in Comm. Ling. Hebr. p. 550. ita ad calculum ſedet: *Poſſumus* סדין *reducere ad radicem* שׁור, *& ad* שׂיד שׂדת *calce dealbare, ut ſcil. fuerint ſoliti pannos calce dealbare, ad lanæ candorem augendum, ut nunc creta fit. Calx autem ad hoc parari potuit vulgari iſta præſtantior, aliove corpore albo pro calce poſt aliquod tempus ſubſtituto, idem nomen remanere.* Sed diverſiſſima hic miſcet Vir Doctiſſ. Nam ſponte in oculos incurrit, סדין cum שׁור nihil habere affinitatis. Illud enim per *Samech*, hoc per *Schin*, exaratur. Et litera *Nun*, quæ, ut jam monui, in illo radicalis eſt, in hoc ne comparet quidem. Accedit, quod calce oblita veſtimenta nemo veterum memoriæ prodiderit. Squalentes ejusmodi & linimine rigidas veſtes omnem abhorruiſſe ætatem, non temere quis crediderit.

V. Sed

V. Sed tempus nunc eſt, antiquiſſimam vocabuli סדין originem in plenam lucem revocandi & reſtituendi. Nempe habuiſſe veteres Hebræos, florente ipſorum Lingua, Thema סדן, unde סדין, pro Idiomatis Analogia, deſcenderit, illiusque propriam ac nativam poteſtatem in *laxando* ſitam fuiſſe, pro certo habeo & explorato. Non quidem, ut fieri interdum ſolet, tantam mihi innatam mentis aciem arrogo, ut ſignificationem vetuſtate ſepultam conjectando aſſequerer & eruerem. Sed expreſſa nitor amiciſſimæ Hebraiſmo Dialecti Arabicæ auctoritate & teſtimonio, quæ Radicem سدن סדן, ſine ulla literarum permutatione, ſub *laxandi* ſignificatu, fideliter conſervavit. Imprimis autem de veſtibus, quæ corpori amiciuntur, illud Thema adhibetur. Unde & Cl. Golius in Lex. illud explicat: *Laxavit, demiſit, veſtem ſuam.* Demus unum alterumve exemplum. Poëta Arabs:

Antiquum Thema סדן *Hebraiſmo reſtituitur ex Arabica Dialecto.*

لنا ثغر يختصه من نخيفه
طرير يفت العضد وهو شديد *
حصا قهره حول الحمي وخشي به
رصين الحسام ومن يسدن السريد *

Eſt nobis caſtellum, quod is tenet quem immittimus,
Egregius bellator, qui hoſtis brachium frangat, licet robuſtum.
Ejusque violentiam retundat circa inacceſſa loca, quemque timeat
Peritus gladiator, & amplum LAXANS ſagum.

Hiſt. Valid. وسدنت على جبين منعتها حجابها *ſuper frontem duriſſimam ſuam peplum laxavit.* Loquitur floridiſſimus Scriptor de inexpugnabili aliquo caſtello, quod Arabes cum pudica, intacta & obve-

lata, virgine comparare ſolent. Addo Annal. Bagd. ولما
استقل في ملكه جعل يسدن نيل
فضايله ليتشبث فيه كل قاص ودان
Cum in regno confirmatus eſſet, coepit laxare laciniam virtutum ſuarum, ut in ea omnes tam longinqui quam propinqui quærerent præſidium. Affinis eſt hujus Thematis uſus in verſiculo Abu-l'caſimi, quem exhibet Elmacinus in Hiſt. Sarac. p. 254.

وسادن صفاته تعجز عنها صفتي

Qui laxat ſuas virtutes, quas mea virtus aſſequi non valet.

Paucis adhuc monendum, ex hac antiquiſſima ſtirpe recentiorem, ut videtur, ſobolem ſuccreviſſe, quam Cl. Golius ſic deſcribit: *Præfuit templi cuſtodiæ ac curae.* Unde سادن *Oſtiarius, ac cuſtos templi Meccani.* Cave diſſentire putes, quæ amiciſſime conſpirant. Nempe illorum templi Meccani cuſtodum præcipuum eſt officium, inferius ædificii hujus tectum atque muros pretioſiſſimis velis undiquaque obtegere, & tanquam *laxa veſte operire.* Quæ vela, ex ſericis fere & auro plumatis pannis, olim Felicis Arabiæ Reges, dein Chalifæ, hodie Turcorum Imperatores, qui & Chalifarum ſibi arrogant dignitatem, Meccam ſingulari cum pompa deportanda curant. Itaque سادن proprie *laxans*, ab officio iſta vela ſuſpendendi, latiori ſignificatu *Aedituum* templi notat, qui ejus curam habet & cuſtodiam. Unde & in Verſione Bibliorum Arabica hoc nomen سادن aliquoties κατεχρηστικῶς adhibetur de *Sacrificulis* & *Miniſtris fanorum idololatricorum.* Sic 2 Reg. XVII. 32. وصنعوا لهم منهم سدنة الصعايد *& fecerunt ſibi ex illis ſacrificulos celſorum.* In Hebræo eſt כהני במות *ſacerdotes celſorum.*

rum. Item Cap. XXIII. 5. وقتل السدنة *occidit miniſtros fanorum.* Textus Hebræus habet את הכמרים *ſacrificulos.* Et vſ. 20. ونبح جميع سدنة الصواعد *jugulavit omnes ſacrificulos celſorum.* Satis itaque apparet, ſpecialiorem hanc Thematis notionem primariæ, quam adſtruximus, poteſtati non adverſari, ſed eam novo potius confirmare argumento.

Inter derivata ab hac Radice Nomina huc præcipue pertinet סדן سدن, pro quo tamen, ut Giggejus obſervavit, etiam סדין سدين effertur. Id in genere quodcunque *laxius* denotat *operimentum*, quod *amicitur.* Hiſt. Val. ومزق الاسدان وهتك الاستار *Indumenta laceravit, & vela diſrupit.* Et alibi: نسجت اسدان الغدران *Perfidiam, veſtimentorum inſtar, contexuiſti.* De uſu vocis ſpecialiori dicetur ſtatim.

VI. Conferamus etiam Radicem سدل, quæ procul *Et ulterius*
dubio præcedenti سدن intime affinis eſt & cognata. *confirmatur.*
Nam literam (ل) τῷ (ن) haud raro ſubſtituunt Arabes.
Vid. Celeb. Schultens Clav. Dial. p. 253. & 258. Cujus exemplis nonnulla liceat adjicere. Ut pro ازلم *camelus aurem habens cæſam, parte deorſum pendula*, dicunt etiam ازنم. Pro عنوان *titulus libri*, علوان. Pro دبنة *buccella magna*, دبلة. Pro كبن *labrum ſitulæ coriaceæ*, كبل. Hebræum ראובן Interpres Arabs fere conſtanter exaravit روبيل *Rubel.* Ut viciſſim pro Hebræo צלל *tinnivit*, Arabes dicunt طنّ. Unde & 1 Sam. III. 11. Hebræa תצלינה שתי אזניו *tinnient ambæ aures ejus*, Arabs reddidit: تطنّ اذناه, adhibito eodem Themate, quod eſt in Hebræo Textu. Apud Græcos etiam & Latinos hanc literarum (*L*) &

(*N*) viciſſitudinem frequentiſſimam eſſe, agmine exemplorum evicit Cl. Voſſius in Tract. de Literar. Permutat. Eodem itaque modo Arabum سـدل a Themate سـدن deductum fuit. Id quod inde clariſſime elucet, quod illud eodem cum hoc سـدن gaudeat ſignificatu; quem Cl. Golius ita declarat: *Laxavit*, *dimiſit*, mulier veſtem ſuam, velum, comam. Eſtque hoc Thema frequentiſſimum in Arabum ſcriptis. Ita apud Harir. eſt Conſ. 1. السادل ثوب خيلايه *laxans veſtem ſuperbiæ ſuæ.* Hiſt. Tam. p. 227. لا يسدل دون ما يرومه حجاب *ne laxaret & obduceret ante id quod ille peteret velum.* In Saſcirio eſt:

فلا تحسبن حلتي ان سدلت

Ne putes, pallam meam eſſe laxatam.

De *laxata* ac *promiſſa coma* accipitur apud Abulfaragj. in Hiſt. Dyn. p. 3. وابيضت الوانهم واسندلت شعورهم *albicat eorum color, & coma prolixa dependet.* Ab hoc Themate iterum deſcendit سدل aut سديل, *operimentum*, *velumve laxius.* In ſpecie declaratur per *operimentum*, *quod imponitur pilento camelino*, هودج dicto. Sed hic uſus tantum exempli gratia appoſitus; nam in genere *operimentum* notat quodcunque.

Σινδὼν eſt a סדין. VII. Certum itaque nunc eſt, & extra dubitationis aleam, opinor, poſitum, quod vocabulum סדין neque a σινδὼν, neque a צידון *Sidone* urbe, ſed a Themate סדן, quod haud dubie veteribus Hebræis ſub *laxandi* ſignificatu notum fuit, ſit derivandum. Interim eorum non ſperno ſententiam, qui ſtatuunt, Græcum σινδὼν ab Hebræo סדין deſcendiſſe. Sic jam Forerius in Jeſ. *Nomen σινδὼν*, in-

Digitized by Google

inquit, *a voce Hebræa petitum apparet, ſedinim.* Ita & Druſius in Jud. XIV. *Hanc vocem Interpretum veterum* (ſindones) *ideo retinuimus, quia facta videtur ex Ebraica* סרינים, *cujus Sing.* סרין *σινδὼν, ut* ספל ſimpulum. Eadem obſervavit Bibliander in Indice verbor. in Marcum, quem ſequutus Cl. Voſſius in Etymol. Lat. Nec aliter ſtatuit Cl. Bochart. in Can. Lib. II. cap. 14. col. 751. Forte etiam verum eſt, ſindones a Phoenicibus primum in Græciam eſſe illatas; eaque occaſione Græcos una cum veſte & Phoenicium ſimul nomen accepiſſe. Hi autem Phoenices non tantum pro סרין efferebant סרדן, quemadmodum Syri recentiores conſtanter pronuntiant; ſed & probabile eſt, eos pro hocce סרדן *ſadun*, vocali longa in brevem & Dageſch, ut ſæpe fieri ſolet, reſoluta, protuliſſe *ſaddun*, vel *ſeddun*. Quod Dageſch, literæ Daleth impreſſum, Græci, more ipſis ſolito, in (ν) emolliverunt. Cujus mutationis Bochartus l. c. haud pauca adfert exempla. Et ſic apparet, cur in Etymol. M. dicatur, quod Σιδῶνες ἐφεῦρον πρῶτοι χάμνειν σινδόνας, *Sidonii primi invenerint elaborare ſindones.* Nempe quia primi eas in Græciam intulerunt, pro inventoribus habiti fuere. Huc putatur & Martialis reſpexiſſe lib. IV. epigr. 19.

Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres,
Non ſic in Tyria ſindone tutus eris.

Saltem longe videtur hæc originatio præferenda illi quam affert Cl. Braunius de V. S. H. Lib. I. c. 7. *Sindonem* dici a סין *Sin*, urbe Aegypti, quæ alias *Peluſium. Sadin*, inquit, *ſive Sindon ergo eſſet ab urbe* Sin *Peluſio, per augmentum literarum Heemanticarum*, — *& eliſo* Nun *in medio* סרין *pro* סנדן. — *Sic celeberrima illa* Sindon, *σινδὼν, &* סרין, *ſi originem ſpectes, nihil aliud eſſet, quam optimum linum Peluſiacum.* Sed bene eſt quod adjecerit

Digitized by Google

Vir Doctiſſ. *Nihil temere auſim adfirmare, eo minus cum ne hæc quidem etymologia ſatis ſit legitima.* Nam revera non eſt. In voce סדין enim eſt vix unica litera (ס), quæ in iſto *Sin* compareat. Literæ autem *Daleth* & *Nun* non ſunt *Heemanticæ*, ſed *Radicales.* Sed nec Græcum σινδὼν inde poteſt derivari. Nam nulla idonea affertur ratio, unde tota poſterior Syllaba —δων voci acceſſerit.

Neque multo majori ſpecie ſe commendat ſententia Cl. Relandi, qui in Diſſ. Miſc. T. I. p. 213 exiſtimat, *ſindonem* dici a *Sind*, Indiæ regione. Nam veteribus Græcis cum Indis parum vel nihil interceſſit conſuetudinis & commercii.

Vox סדין *proprie non notat materiam, ſed veſtem.*

VIII. Hæc de origine vocum סדין & σινδών. Supereſt ut de utriusque ſignificatu agamus. Ante omnia obſervandum, quod סדין interdum denotet genus aliquod veſtimenti, interdum vero certam materiam, ex qua parantur veſtes, deſignare videatur. Hinc quæſtio exſurgit, quinam ſignificatus ſit proprius & originalis. Profecto plures fuere Viri Doctiſſimi, qui exiſtimarunt, proprie illud nomen *linum tenue* & *ſubtile* denotare, & hinc factum eſſe, ut & veſtis ex tali lino parata, notione ſecundaria quaſi, eodem nomine inſigniretur. Inde eſt quod invenias, plures magni nominis Interpretes noſtrum סדין non aliter quam per *linteum* expoſuiſſe. Sic v. g. Mercerus in Jud. ſupra Sect. II. jam memoratus. Et Doctiſſ. Belgæ Prov. XXXI. 24. habent: *ſyn lynwaet*. Sic & Piſcator, qui, ut jam vidimus, per סדינים hic in Jeſ. intelligit *ſuppara*, ait, *Talia ſuppara nominari ſindones, per metonymiam materiæ, quia e ſindone conſtabant.* Unde manifeſto apparet, quod ſtatuant, ſindonem primaria ſignificatione materiam denotare. Addatur Doctiſſ. & in Hebraicis verſatiſſimus Lightfootus, qui in Hor. Hebr. ad Marc. XIV. 51. ubi in Græco Textu eſt: περιβεβλημένος σινδόνα, hæc annotat: *Bene redditur a Vulg.* Amictus ſindone: *nam eo re-*

reſpiciunt verba : non quod circumjectum circa ſe laxe tantum haberet linteum aliquod; ſed quod veſtimentum, quo ſemper inceſſit amictus, fuerit e ſindone., id eſt, de lino. Favere videtur huic ſententiæ, quod Johannes pro σινδὼν, quo uſi ſunt cæteri Evangeliſtæ, habeat ὀθόνια *lintea.* Loca ſuperius jam allegavimus. Addo, quod & Joſephus Ant. Jud. lib. V. cap. VIII. in hiſtoria Simſonis pro Hebræo סדינים habeat ὀθόνας *lintea.* Neque auſim negare, quod apud Miſchnicos & Talmudicos Doctores vox סדין materiam denotare videatur, ex qua veſtes elaborantur. Sic in Tract. Kelim cap. XX. Sect. VI. סדין שהוא טמא מדרס ועשאו וילון טהור מן המדרס *Linteum calcatione pollutum, ſi fecerint ex eo velum, purum eſt a calcatione.* Et cap. XXIV. Sect. XIII. שלשה סדינין הן העשוי לשכיבה טמא מדרס לוילון טמא טמא מת ושל צורות טהור מכלום *Trium generum ſunt lintea. Quæ facta ſunt ut iis incumbatur, immunda fiunt calcatione. Ea ex quibus parantur vela, immunda fiunt per eum, qui a mortuo pollutus eſt. Quæ autem impreſſas habent figuras, omnino munda ſunt.* Item cap. XXIX. Sect. I. נימי הסדין *fila lintei.* Sic enim hic accipiendam eſſe vocem, patet ex iis quæ annotat Bartenora: נימי הסדין נימין היוצאים מן הסדין והן חוטים שרגילים לצאת מן הארוג בין מן הצדדים בין מלמעלה בין מלמטה *Fila lintei ſunt fila quæ e linteo egredi ſolent dum texitur, ſive id fiat a lateribus, ſive a parte ſuperiori vel inferiori.* Linteum itaque hic סדין vocatur dum texitur, & antequam ex eo veſtis quædam paretur. Denique etiam ſunt, qui ideo putant, סדין & σινδὼν proprie non veſtem ſed materiam denotare, quod ab his nominibus deſcendere videatur noſtrum *Seyden* ſericum, & Gallorum *Satin.*, alias dictum *Atlas*, ab Arabico أطلس *bombycinum raſum.* Attamen mihi longe videtur probabilius, סדין, & hinc

hinc ductum *σινδὼν*, proprie & originaliter certum quoddam veſtimenti, non autem materiæ, genus deſignare. Nam *primo* id omnino poſtulat origo vocis, quam exhibuimus. Eſt enim ea, ut vidimus, a سدن *laxavit*, *demiſit*, *veſtem.* Ergo סדין non poteſt non eſſe veſtis nomen. *Secundo* nomina سدن & سدين, itemque cognata سدل & سديل, nunquam aliquam notant materiam, ſed veſtimentum. *Tertio* in ipſa Scriptura nomen סדין non aliter quam de veſte accipitur. Jeſajas סדינים veſtibus muliebribus accenſet. Et Jud. XIV. 12. jungitur *τοῖς* חליפות בגדים *mutatoriis veſtibus.* Et loquitur Sacer Scriptor de *triginta* סדינים, quod de materia dici & intelligi non poteſt. Nec alio ſenſu vocabulum accipi poteſt Prov. XXXI. 24. *Foemina prudens facit* סדין *& vendit*; nam & hic veſtimenti genus intelligendum eſſe, ſuadent quæ mox ſubjunguntur: *Et cingulum dat mercatori.* Unde & doctiores Rabbini agnoſcunt, in omnibus hiſce locis *veſtis* genus deſignari. Nullus autem eſt in Scriptura locus, ubi aliqua veſtis ex סדין *lino*, ut volunt, conſtare dicatur. Unde hoc ſaltem colligitur, eam notionem, qua per סדין *veſtis* genus deſignatur, non tantum eſſe certiorem, ſed & antiquiorem, eamque ob cauſam merito pro originali habendam. *Quarto* apud antiquos Targumiſtas æque ac Talmudicos Doctores vox סדין haud raro de veſte accipitur. Ut Pſalm. CIV. 2. מתעטף נהורא היך סדינא *Qui indutus eſt lumine tanquam ſindone.* Et Thren. II. 20. מלפפין בסדינין *amicti ſindonibus.* Et in Gemara Hieroſolym. Tract. Gittin, fol. 49. חופות חתנים סדיני מצויירים *Velamenta ſponſorum ſunt ſindones acupictæ.* *Quinto* certum eſt, Græcorum *σινδὼν* proprie *veſtem* denotare. Pollux id per *περιβόλαιον* *amiculum* exponit. Uti & apud Marcum l. c. *νεανίσκος* memoratur *περιβεβλημένος σινδόνα*, *amictus ſindone*, ubi *ſindon* haud dubie veſtem notat.

Veſti

Veſti etiam jungitur a Strabone, narrante Indos ἐσθῆτι λευκῇ χρῆσθαι καὶ σινδόσι, *veſte alba uti & ſindonibus.* Addatur Diog. Laërt. Lib. VI. Segm. 90. Ὑπὸ τῶν Ἀθήνησιν ἀστυνόμων ἐπιπληχθεὶς, ὅτι σινδόνα ἠμφίεστο, ἔφη, καὶ Θεόφραστον ὑμῖν δείξω σινδόνα περιβεβλημένον. *Ab Athenienſibus urbis Judicibus reprehenſus, quod ſindone amiciretur, reſpondit: Et Theophraſtum vobis oſtendam ſindone opertum.* Nec alio ſenſu ea voce Martialis utitur:

Non ſic in Tyria ſindone tutus eris.

Accedit *Sexto*, quod *ſindoni* interdum expreſſe addatur, ex quanam facta fuerit materia. Loca quædam proferemus ad Sect. mox ſeq. Hoc autem plane ſuperfluum foret, ſi ipſum סדין & σινδὼν proprie & per ſe materiam deſignarent. Quæ autem a Diſſentientibus adferuntur argumenta, rem non videntur conficere. Nam (α) vocabulum σινδὼν, quo utuntur Evangeliſtæ, nunquam materiam notat ſed veſtem, qua Chriſtus, cum ſepeliendus eſſet, induebatur. Neque obſtat, quod Johannes pro *ſindone* poſuerit ὀθόνια. Quia enim ſindon non niſi ex lino parabatur, ὀθόνιον *veſtis linea* apte potuit ſubſtitui. Sed quemadmodum nunquam bonus quiſpiam Scriptor dixit veſtem eſſe paratam ex *ſindone*, vel ὀθόνῃ aut ὀθονίῳ, (quantum mihi quidem conſtat) ita & neutrum vocabulum proprie de nuda materia accipi poteſt. Eſt enim hoc ὀθόνιον ab ὀθόνη, quod *tunicam* notat, uti apud Homerum, Iliad. Σ. 595.

Τῶν δ' αἱ μὲν λεπτὰς ὀθόνας ἔχον·

Illæ quidem tenues habebant tunicas.

Et ſuperius Cap. XV. Sect. VII. jam indicavimus, quod probabile ſit, Græcum ὀθόνη ab Hebræo כתנת deſcendiſſe. Unde iterum apparet, primaria & originali ſignifi-

 ca-

catione id vocabulum non materiam, ſed veſtem, denotare. Verum (β) neque apud Miſchnicos & Talmudicos Doctores סדין proprie *materiæ* quoddam genus, ſcil. *linum*, ſignificat. Sed quia talem deſignat veſtem, quæ conſtanter ex lino elaborari ſolet, notione vocis latius extenſa, eodem nomine quemcunque pannum lineum, qui non tantum pro conficiendo veſtimento, ſed & in quemcunque alium uſum, paratur, appellarunt. Quemadmodum & Hebræum שמלה, quod proprie *pallium* notat, de quovis majori *panno*, etiam de *ſtragula* lecti, in ipſa Scriptura uſurpatur.

Et quidem interulam. IX. His jam præſtructis non erit difficile, ipſum veſtimenti genus, quod per סדין denotatur, definire. Nempe *Tunicas* id notare *interiores*, ſub exterioribus indutas, nudæque carni impoſitas, quas Latini *Interulas*, vel *Subuculas*, vel etiam *Induſia*, appellarunt, plura ſuadent argumenta. Nam *primo* hanc ſignificationem ſpecialior poſtulat uſus vocis apud Arabes. In Gloſſario enim Arabico-Perſico ea declaratur per كوهرتاب, quod eſt *induſium*, vel *interula linea*, quam nudæ carni impoſitam foeminæ geſtare per Orientem ſolent. Huc Proverbium pertinet Arabicum in Ann. Bagd. حرقته الحر بالسدن *uſſit eum calor interula indutum.* Cujus ſenſus huc redit, adverſæ fortunæ caſus ſæpe vel ſolertiſſima circumſpectione & præcautione evitari non poſſe. Neque origo obſtat vocabuli, & primaria notio Thematis سدن *laxavit*. Solent enim interiores tunicæ & promiſſiores eſſe, &, quia ex tenuiori parantur lino, laxiores & ampliores, ne corpus nimis arcte includant. *Secundo* etiam apud Talmudicos Hebræum סדין eo ſenſu accipitur. In Tract. Menachoth Gemar. Babyl. fol. 40. col. 1. סדין בציצית מה ב"ש פוטרין וב"ה מחייבין *Quid ſtatuendum de*

in-

interula? Schola Schammæana ait, quod libera ſit a peniculamentis; Hilleliana autem, quod iis ſit obnoxia. Nempe cum interula ex lino ſit, peniculamenta autem ex lana, diſputant hic, an & quomodo hæc illi poſſint annecti, quia ſecundum legem Moſaicam כלאים diverſæ & heterogeneæ ſpecies, linum & lana, in una veſte non poterant ſimul admitti. Et mox: שרא רבי זירא לסדיניה *ſolvit R. Sira interulam ſuam*; h. e. ut in Gloſſis explicatur, התיר ציציותיו מסדינו שהיה של פשתן *Abſtulit peniculamenta ab interula ſua, ideo quod eſſet ex lino.* Sed in ipſo Textu ſtatim redditur hujus facti ratio: משום כסות לילה *ideo quod veſtis eſſet nocturna.* Unde manifeſto apparet, quod per סדין *interulam* hic intelligant, vel *induſium.* Iterum ibid. fol. 41. col. 1. hæc leguntur: מלאכה אשכחיה לרב קטינא דמיכסי סדינא אמר ליה קטינא קטינא סדינא בקייטא וסרבלה בסיתוא *Angelus invenit R. Ketinam indutum interula, eique dixit: Ketina, Ketina, interula eſt pro æſtate, & pro hyeme ſaraballum.* Hic, quia סדין opponitur *ſaraballo*, quod genus eſt tunicæ exterioris & groſſioris, omnino *tunicam* notat *interiorem*, & *tenuiorem.* Unde & a Scholiaſte ex priori loco per כסות לילה *veſtem nocturnam*, declaratur. Porro *Tertio* Hebræorum Doctores, quotquot fere alicujus inter ſuos ſunt nominis, vocabulum סדין de *interula* expoſuerunt. Kimchius in Libr. Radic. סדין הוא כסות הלילה הסמוך לבשר עשוי מפשתים ויש מהם להתעטף בהם ביום h. e. סדין *notat veſtem nocturnam, carni proxime inhærentem, & ex lino conſtantem. Quam tamen etiam per diem induunt.* Clariſſime apparet, quod *tunicam* intelligat *interiorem*, quam & *induſium* appellamus. Idem in Jud. XIV. 12. סדינים הם יריעות של פשתן שהאדם שוכב בהם בלילה או מתעטף בהם ביום

 Sunt

Sunt induſia ex lino, quibus induti homines noctu in lecto dormire, vel per diem quoque ea geſtare, ſolent. Addatur Abarbanel in Jeſaj. הסדינים הם בגדי פשתן דק שמשימין אותו בחזה וסביב צואר תחת הכתנת כדי שלא תקבל זוהמת הזיעה h. e. *Sunt veſtes ex lino tenui, quas ponunt ad pectus & circa collum, ſub tunica, ne ea ſordes ſudoris admittat.* Hinc & Lutherus Jud. XIV. 12. 13. reddidit per *hemde* induſia. Nec ab ea ſententia alieni ſunt Doctiſſ. Belgæ, in notis ad eund. loc. Sic & Clericus ad h. l. *Idem videtur*, inquit, *utraque vox* (ſcil. Hebræa סדין & Græca σινδὼν) *ſignificare; telam nempe lineam, & quidem induſium, ſeu interiorem tunicam. Quarto* haud ineptum quoque argumentum deſumi poteſt ex Græco σινδὼν, quod Hebræo סדין ortum debere ſupra jam vidimus. Id autem de *interula*, vel tunica interiori, nudæ carni impoſita, uſurpari certiſſimum. Sic Marc. XIV. 51. Εἷς τις νεανίσκος ἠκολούθει αὐτῷ, περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ. *Quidam juvenis ſequebatur eum, indutus ſindone ſuper nudum corpus.* Videatur, qui de hoc loco prolixe egit, Cl. Caſaub. in Anti-Baron. Exercit. XVI. Eandem loco interulæ nocturnæ, ſeu cubitoriæ, ordinarie ſumtam eſſe, haud obſcure ex Herodot. Euterp. cap. XCV. colligi poteſt; ubi ait: Οἱ δὲ κώνωπες, ἢν μὲν ἐν ἱματίῳ ἐλιξάμενος εὕδῃ, ἢ σινδόνι, διὰ τούτων δάκνουσι. *Si in veſtimento quis involutus, aut in ſindone, dormiret, eum per ipſa indumenta culices morderent.* Sic & apud Galenum eſt: μὴ γυμνὸς κοιμιζέσθω, ἀλλ' ἐπιβεβλημένος σινδόνα. *Ne nudus dormias, ſed indutus ſindone*, h. e. *induſio.* Neque hinc alienus cenſendus eſt ille uſus, quo vox σινδὼν de *linteo* accipitur, cui mortui involvuntur. Nam revera id nihil aliud eſt quam *induſium.* Ita occurrit apud Herodot. in Euterp. cap. LXXXVI. ubi de pollinctura Aegyptiorum: Ἐπεὰν δὲ παρέλθωσι αἱ ἑβδομήκοντα, λούσαντες τὸν νεκρὸν, κατειλίσσουσι πᾶν αὐτοῦ τὸ σῶμα σινδόνος βυσσίνης τελαμῶσι κατατετμημένοισι. *Exactis*

Exactis ſeptuaginta diebus, abluunt mortuum, totumque ejus corpus inciſis faſciis ſindonis byſſinæ involvunt. Similiter linteum, cui Chriſtus, Salvator noſter, antequam ſepeliretur, involutus fuit, σινδὼν appellatur, Matth. XXVII. 59. Marc. XV. 46. & Luc. XXIII. 53. *Sexto* annotari meretur, quod tam Hebræum סדין quam Græcorum σινδὼν conſtanter ex *lino* vel *byſſo* parari tradatur. Uti in Tract. Miſchnico Joma cap. III. Sect. IV. & VI. memoratur סדין של בוץ *ſindon ex byſſo*. Et ex Herodoto mox habuimus σινδόνα βυσσίνην *ſindonem byſſinam*. Et Auſonius *linteam ſindonem* dixit:

Puer eja ſurge, calceos & linteam
Da ſindonem.

Similiter Pollux *ſindonem* lineis accenſet veſtimentis. Et Heſychius in voce ὀθόνη, numerat σινδόνα inter γυναικεῖα ὀθόνια λεπτὰ, *veſtes muliebres ex tenui lino*. Eadem & Rabbinorum conſtans eſt traditio. Ita Kimchi ait, סדינים eſſe מפשתים, vel, ut alibi habet, של פשתן, *ex lino*. Abarbanel: הם בגדי פשתן דק *ſunt veſtes ex lino tenui*. Et Raſchi in Jeſaj. סדינים של פשתן הם המתעטפין בהם *ſunt* סדינים *ex lino, & iis ſeſe induunt.* Nihil itaque aptius, & certius, quam *induſium*, *interioremve tunicam*, hæc vox denotabit. Cum enim omnes reliquæ veſtes exteriores non minus ex lana quam lino elaborari potuerint, hæc una eſt, quæ ſolum linum admittat, & omnem lanam, & quaſcunque ejus ſpecies, plane averſetur. Quoniam enim ea corpori proxime adhæret, & nudæ cuti imponitur, debet eſſe mollior, omnique rigore & aſperitate, qualis in lana eſt, deſtituta. Quam ob cauſam interula quoque apud Romanos ſolebat eſſe *pura*, h. e. ex lino puro, ſine auro & purpura. Quemadmodum apud Vopiſcum in Aureliano memorantur *tunicæ manicatæ lineæ Afræ &*

Aegyptiæ puræ. Pertinet huc etiam Lampridius in vita Alexandri Severi, p. 560. Hiſt. Aug. *Boni linteaminis appetitor fuit, & quidem puri, dicens: Si lintei idcirco ſunt ut nihil aſperum habeant, quid opus eſt purpura? in linea autem aurum mitti, etiam dementiam judicabat, quum aſperitati adderetur rigor.* Ad quem locum optime Cl. Salmaſius annotat, *lineas veſtes vocatas eſſe interulas & camiſias ex lino.* Nempe quaſi κατ' ἐξοχὴν, ideo quod conſtanter eſſent ex lino, ne corpus læderent, vel moleſtiam ſaltem adferrent. Denique *Septimo* hic ſignificatus *induſii* vel *interulæ* in iis Scripturæ locis, ubi vox סדין occurrit, aptiſſimus eſt. Nam Judic. XIV. 12. 13. conjunguntur סדינים cum חליפות בגדים *mutatoriis veſtibus*; quæ cum tunicæ fuerint ornatiores, & veſtes exteriores, ſuper his illi amicti non fuerunt; induti itaque ſunt ſub tunicis חליפות appellatis. Porro Prov. XXXI. 24. eandem notionem commodiſſime admittit. Nam in eodem vſ. ſtatim fit mentio *zonæ*. At non pallium, ſed tunica, cingebatur. Tunica autem intelligenda non lanea exterior, ſed linea interior. Ejus enim elaboratio foeminis adſcribitur; quarum olim opus præcipuum fuit, linum & præparare, & nere, & texere. Uti jam Viri Docti abunde probarunt. Apud Jeſajam denique eadem ſignificatione *interulæ* nihil eſt magis appoſitum. Nam pallia muliebria, & tunicæ exteriores, jam præceſſere. Unde nihil fere ſupereſt, quam ut & interiorum tunicarum mentionem Propheta faciat, quæ ex tenuiſſimo & pretioſo lino vel byſſo paratæ, ad ornatum & luxum muliebrem omnino pertinebant.

Cujus frequens ubique uſus probatur.

X. Interioris hujus tunicæ apud quaſcunque gentes frequens fuit uſus. Hebraice alias vocari ſolet בגד הזיעה *veſtis ſudoris.* Maimonid. ad Tract. Schabbath Cap. XVI. Sect. IV. בגד הזיעה שהוא דבק לבשרו של אדם *veſtis ſudoris, quæ carni hominis proxime inhæret.* Appellatur etiam חלוק a חלק *lævis* & *mollis* fuit, ob mollitiem in-

interioris tunicæ. Bartenora ad eund. locum : חלוק שלובש על בשרו קוראין קמי'זא *Tunicula , quam nudæ imponunt carni , & camiſa vocant.* Eadem fere habentur in Gloſſis ad Gemar. Bab. Tr. Schabb. fol. 120. col. 1. Quamvis hoc חלוק interdum quoque exteriorem notet tunicam. Ut in Tr. Schabbath Cap. X. Sect. 3. *Si quis efferat aliquid* בין אפונדתו לחלוקו *inter induſium & tunicam ſuam.* Opponitur τῷ אפונדה , quod haud dubie *induſium* notat, & a Græco ἐπενδύτης , quo de mox , originem traxit. Maimonides ibi hæc annotavit : אפונדתו הוא בגד הזיעה אפונדה .h. e והוא בגד צר ילבש אותו האדם דבק לבשרו *eſt veſtis ſudoris, quæ anguſtior eſſe ſolet , eamque homo ita induit , ut incumbat carni.* Et mox : ולובש עליו בגדו הנקרא חלוק *ſuper hanc induit veſtem, quæ* חלוק *appellatur.* De illo אפונדה eadem tradit Maimon. ad Tract. Kelim , Cap. XXIX. Sect. I. אפונדה הוא לבוש דבק בגוף למנע הבגדים שלא יפסדו מזיעה *eſt indumentum corpori proxime adhærens , prohibens ne aliæ veſtes ſudore inquinentur.* Male hic quædam exemplaria pro אפונדה legunt פונדה, quod eſt marſupii genus, *funda* Latinorum, uti ſupra indicavimus Cap. XVII. Sect. VII. In eodem loco Tractatus Kelim interula vocatur etiam אפיקריסין. Bartenora : הוא לבוש התחתון פתוח בכתפיו כשלובשו קושרו *eſt tunica infima , ad humeros aperta ; conſtringitur vero poſtquam induta eſt.* Plenius Maimon. אפיקריסין חלוק צר מקום הראש והכתפים פתוחות ואחר לבישתו יתחברו הכתפים בלולאות ויתחברו עם טבעות כמו זה אשר ילבישו במצרים h. e. *vocabulum* אפיקריסין *notat interulam in parte ſuperiori anguſtam , ſed ad humeros apertam ; poſtquam vero induta eſt , ad humeros per loramenta conſtringitur,*

Digitized by Google

tur, *quæ in annulos immittuntur. Et tales in Aegypto geſtari ſolent.* Eadem fere reperias in libro Aruch fol. 15. col. 1. ubi & locus adducitur ex libro Derech Eretz, ubi, qui balneum intrat, dicitur, מתיר חגורו פושט חלוקו אחר כך מתיר אפקרסו התחתונה *primo ſolvere cingulum, dein exuere tunicam, & tandem ſolvere induſium inferius.* Qui vero rurſus induit veſtes, dicitur מניח אפקרסו התחתונה ולובש חלוקו וחוגר אזורו *primo apponere induſium inferius, dein induere tunicam, & denique accingere ſe zona.* Unde clariſſime apparet, ea voce interiorem tunicam, vel induſium, denotari. Scribitur apud alios id vocabulum פקרס vel פרקס vel פיקריסין vel denique אפרקסותא, quæ omnia idem ſignificant. Sed origo vocis me hactenus latet.

Apud Arabes interula frequentiſſime قميص appellatur. Cl. Golius ex Gjeuh. *Indumentum omne interius, & dimiſſius, interula: ſive induſium ſit, aut aliud.* Et recte per *interulam* reddidit Cl. Erpenius in Hiſt. Sar. p. 81. In Textu eſt قميض, quod mendoſum. Hinc Latinorum *Camiſia*, & Gallorum *Chemiſe*, & *Camiſol*, ut jam ſupra indicatum. Alias Arabes etiam dicunt اتب, & سبيج, & اصدة, &c. &c. quibus vero nunc non lubet immorari.

Græci tunicam interiorem variis appellarunt nominibus. v. g. Ὑποδύτης. Heſychius: Ὑποδύτης, τὸ ἐσώτερον ἱμάτιον, *interius veſtimentum.* Idem quoque ex multorum ſententia notat ἐπενδύτης, Joh. XXI. 7. Suidas: Ἐπενδύτης, τὸ ἐσώτατον ἱμάτιον, ὃ καὶ ὑποκάμισον λέγεται. *eſt intima veſtis, quæ & ſubcamiſia vocatur.* Vid. & Polluc. lib. VII. cap. 12. Dicunt etiam χιτωνίσκον pro *interula*. Etiam χιτώνιον eodem ſenſu Ariſtoph. habet in Plut. Et ὀθόνη ac ὀθόνιον eundem ſæpe habent ſignificatum. Item ἐσωτέρια & ἐσωφόρια, quæ frequentia ſunt apud recentiores Scriptores.

Romani dixere *tunicam interiorem.* Valer. Max. lib. VII.

VII. cap. IV. *Si hujus conſilii mei interiorem tunicam conſciam eſſe ſenſero, continuo eam cremari jubebo.* Plutarchus, rem eandem narrans, adhibet χιτωνίσκον. Alias & *interulam* dixere. Tertull. de Pall. cap. V. *Si quid interulæ ſupereſt.* Apulejus in Flor. *Tunica interula tenuiſſimo textu.* Memoratur & a Vopiſco in Probo cap. 4. p. 926. Et ab eodem matronæ ornamentis annumeratur in Bonoſ. cap. 15. p. 972. Item *Induſium* vocarunt. Nonius: *Induſium eſt veſtimentum, quod corpori intra plurimas veſtes adhæret, quaſi intuſium.* Et apud eundem Varro: *Poſtquam duas tunicas habere coeperunt, inſtituerunt vocare ſubuculam & intuſium.* De hac ſubucula Horat. Lib. I. Epiſt. I. 95.

— — *ſi forte ſubucula pexæ*
Trita ſubeſt tunicæ.

Ejus quoque mentio a Suetonio facta in Auguſto. Muliebrem in ſpecie veſtem induſium fuiſſe, conſtat ex Plauto in Epid. II. 2.

Tunicam rallam, tunicam ſpiſſam, linteolum cæſicium,
Induſiatam. —

Et ex Varrone de L. L. IV. 30. qui cum palla, muliebri pallio, *intuſium* conjungit. *Alterius*, inquit, *generis item duo, quod foris, ac palam, palla; alterum, quod intus, a quo intuſium.*

CAPVT XX.

Probatur צניפות eſſe *Vittas.*

I.

Vocabulum hoc notat capitis tegumentum.

Paucis expediemus hanc vocem, in qua fere nihil eſt difficultatis. Ipſum vocabulum צניף in tribus adhuc aliis locis occurrit; nempe Job. XXIX. 14. Jeſaj. LXII. 3. & Zach. III. 5. neque dubium eſt, illud conſtanter *capitis* denotare *tegumentum*. Non aliter antiqui Interpretes. LXX. dant διάδημα, & alibi κίδαριν. Vulgatus ſimiliter *diadema*, & *cidarin*. Chaldæus כתרא *cidarin*, & alibi מצנפתא. Arabs اكليل *coronam*; item تاج *tiaram*. Uti & Syrus ܟܠܝܠܐ & ܬܐܓܐ, quæ voces eædem ſunt cum Arabibus. In hoc autem Jeſajae loco Chaldæus quidem etiam כתריא *cidares*, & Vulg. *Vittas*, habent; ſed in Græca Verſione omnia ſunt turbata. Nam loco unius vocis tres ſaltem comparent, τὰ κόκκινα, τὴν βύσσον, & τὰ σὺν χρυσῷ καὶ ὑακίνθῳ συγκαθυφασμένα. Hinc & Arabs: قرمزهن وارجوانهن المنسوج بالذهب والياقوت *coccum & purpuram auro & hyacintho intextam.* Inepte & Syrus: ܐܣܦܘܩܠܗܝܢ *coccinea earum.*

Sed צניף capitis tegumentum ſignificare, certiſſimum; *Primo* ex Zach. III. 5. ubi clariſſime capiti applicatur: ישימו צניף טהור על ראשו *ponent* צניף *purum ſuper caput ejus.* Et ſtatim: וישימו הצניף הטהור על ראשו & *poſuerunt* צניף *purum ſuper caput ejus. Secundo* ex Jeſaj. LXII. 3. *Erit* עטרת תפארת *corona decoris in manu Jehovæ*, צניף & וצניף מלוכה *regni in vola Dei tui.* At

עטרת

Digitized by Google

עטרת haud dubie capitis notat tegumentum vel ornamentum. Vid. Job. XIX. 9. Ezech. XXI. 31. &c. Unde apparet, quod & צניף, illi in poſteriori verſus hemiſtichio reſpondens, non alium gerat ſignificatum. Denique *tertio* vocabulum מצנפת, cum צניף noſtro eaſdem habens literas radicales, perſæpe de capitis accipitur operimento. Ut Exod. XXIX. 6. ושמת המצנפת על ראשו *Pones* מצנפת *ſuper caput ejus.* Et Levit. VIII. 9. וישם את המצנפת על ראשו *Poſuit* מצנפת *ſuper caput ejus.* Vid. & Exod. XXVIII. 4. XXXIX. 28. Ezech. XXI. 31. &c.

II. Satis hinc apparet, צניפות *capitis* eſſe *tegumenta.* Qualia autem, & cujus formæ, ea fuerint, ulterius diſpiciendum. Id ex Thematis צנף indole & uſu aliquo modo poterit definiri. Quod duobus in locis ſuperſtes eſt, ſcil. Jeſaj. XXII. 18. & Levit. XVI. 4. Prioris hæc ſunt verba: צנוף יצנפך צנפה כדור אל ארץ רחבת ידים *Rotando rotabit te rotatione, inſtar pilæ, in terram ſpatioſam;* uti optime Celeb. Vitringa expreſſit. Non placet tamen, quod, Rabbinos ſequutus, in voce כדור literam (כ) ſtatuat *Radicalem*, &, quoniam contextus comparationem requirit, aliud (כ) ſubaudiat; poſtquam Cl. Bochartus in Hieroz. P. II. Lib. V. cap. 8. p. 712. ex Arabica Dialecto prolixe & ſolide evicit, literam (כ) in iſto כדור eſſe *Servilem*, & דור, ſine hoc (כ), *pilam*, ſeu *globum*, denotare, a Rad. דור, Arab. دور *rotundum eſſe.* Vid. etiam quæ Celeb. Schultens in Animadv. Philol. ad h. l. annotavit. Clariſſime itaque patet ex iſto loco, quod צנף idem ſit ac *rotare*, *volvere*, *ducere* aliquid *in rotundam formam.* Hinc igitur ductum צניף & מצנפת *capitis* eſt *tegumentum*, quod ex *faſcia* conſtat, quæ capiti *circumvolvitur*, & *in rotundam formam* circumducitur, pro more Orientalium antiquiſſimo, & nemini ignoto. Eaque po-

Quod capiti circumvolvitur.

teſtas in ipſum Thema recepta. Ut liquet ex Lev. XVI. 4. בְּמִצְנֶפֶת בַּד יִצְנֹף *cidari linea obvolvet ſe*, i. e. *eam capiti ſuo circumvolvet*. Sermo ibi eſt de ornatu Summi Pontificis Hebræorum, cujus מִצְנֶפֶת ex longiori faſcia, capiti pluribus ſpiris & involucris in orbem ductis circumvolvenda, conſtitiſſe, ſatis notum eſt. Videſis Cl. Braunium de V. S. H. lib. II. cap. IV. & XXI. Eſt itaque & צָנִיף proprie *faſcia*, qua caput *obvolvitur*. Quod ipſum etiam ex Dialecto Arabica adſtrui poteſt, in qua צנף صنف & צנפה صنفة quamcunque notant *faſciam*, quæ in *formam* ducitur *rotundam*. In ſpecie de *limbo* vel *inſtita* accipitur, in circuitum redeunte, & veſtium extremitati aſſuta. Et hinc ipſam notat *oram* vel *extremitatem* veſtis. Cl. Golius: *Ora, ſive ſimplex, ſive inſtita aut fimbria inſignis*. Al-Bochar. Tradit. Alcoranic. lib. XXX. hoc refert Mohammedis dictum: اذا جاء احدكم فراشه فلينفضه بصنفة ثوبه ثلث مرات *Quum acceſſerit aliquis veſtrum ad lectum ſuum, excutiat eum tribus vicibus ora veſtis ſuæ*. Etiam de longiori *faſcia*, quæ zonæ loco femoribus *circumvolvitur*, uſurpatur idem vocabulum in Verſione Arabica Ezech. XXIII. 15. متمنطقات باصناف على حقاهم *cinctas faſciis ad lumbos ſuos*. Ergo & צָנִיף *faſciam* notat, caput in *rotundam formam* circumeuntem. Neque ex צְנִיף הַמְּלוּכָה *cidaris regni*, vel *regia*, colligi debet, צָנִיף *coronam* ſignificare, quales hodie Regum eſſe ſolent. Nam illa *cidaris* nihil aliud fuit, quam *candida faſcia*, qua Regum frons præcingebatur. Lucianus in Navig. ornatum Regium deſcribens: Καὶ πορφυρὶς χρυσῷ ποικίλη, καὶ ταινία λευκὴ περὶ τῷ μετώπῳ. *Et purpura auro variegata, & faſcia candida circa frontem*. Idem in Dial. Diog. & Alex. de cultu Alexandri M. διαδεδεμένον ταινίᾳ λευκῇ τὴν κεφαλήν: *revinctum*

ctum

faſcia candida caput. Silius lib. XVI. de Juba Rege:

Cinguntur tempora vitta Albenti.

Suetonius ſimiliter *candidam faſciam*, Ammianus *faſciolam candidam*, Hegeſippus *albatum diadema*, illud regii capitis ornamentum appellarunt. Huic autem *diademati* ſuperimponebant *Tiaram*, quam Perſarum Reges rectam portabant. Xenoph. de Inſtit. Cyr. lib. VIII. Εἶχε δὲ καὶ διάδημα ὑπὸ τὴν τιάραν. *Habebat etiam diadema ſub tiara.* Plutarch. περὶ φιλαδελφ. de Xerxe: Θεὶς τὸ διάδημα, καὶ καταβαλὼν τὴν τιάραν. *Appoſito diademate, & injecta tiara.* Similiter & Lucianus ſæpiſſime *Diademati* adjungit *Tiaram*. Hinc explica Ezech. XXI. 31. הסיר המצנפת והרים העטרה *Remove diadema, & tolle tiaram.* Nempe מצנפת *faſcia* eſt, capiti circumvoluta, cui ſuperimpoſita עטרה *tiara* ſublimior. Utraque regium eſt inſigne.

III. Fuit autem צָנִיף commune viris fœminiſque capitis tegumentum. Illis Jeſ. LXII. 3. Job. XXIX. 14. & Zach. III. 5. his, in loco, quem præ manibus habemus, tribuitur. Procul tamen dubio fuit quædam in modo illud applicandi diverſitas. Nempe virorum faſcia prælonga erat, & operoſiori mole, ac per frequentiores orbes, capiti circumvolvebatur; ita ut totum caput undique operiret, atque non tantum aures, ſed & verticem, obtegeret, & contra tempeſtatem & frigus muniret, quales hodie Turcorum, Perſarum, & quorundam Arabiæ populorum, cidares eſſe ſolent. Fœminarum vero tæniæ breviores, tenuiores, & minus latæ erant, caput non niſi ſemel, vel ad ſummum bis, ambientes, nec illud undiquaque claudentes, ita ut non niſi medium circa caput tranſirent, ſuperior autem æque ac inferior pars nuda & inoperta relinquerentur. Nullum enim aliud harum faſciarum officium erat, quam diffluentem comam colligendi & cohibendi. *Modus illud applicandi.*

 Quem-

Quemadmodum Lucianus ait, de Domo: Ταινία τὸ ἄφετον τῆς κόμης συνδέουσα, τοσοῦτον τῇ εὐμορφίᾳ προστιθεῖσα, ὅσον τῇ ἐσθῆτι ἡ πορφύρα. *Vitta diffuſam comam colligens tantum decoris formæ addit, quantum veſti purpura.* Theocrit. Idyll. I. 33.

> Ἀσκηθεῖσα πέπλῳ τε καὶ ἄμπυκι. —
>
> *Ornata peplo & vitta.*

Ubi Schol. Ἄμπυκι, τῷ συνδέοντι τὰς τρίχας, ἀπὸ τοῦ ἀμπέχειν. Adde Epigramma vetus apud Suidam in Κεκρύφαλον:

> Κεκρύφαλοι σφίγγουσι τεὴν τρίχα.
>
> *Vittæ vinciunt tuam comam.*

Ovid. Metam. lib. XI.

> *Vitta coërcebat poſitos ſine lege capillos.*

Tibull. I. 7.

> *Sit modo caſta doce, quamvis non vitta ligatos*
> *Impediat crines.*

Collecti autem vitta crines, vel in gradus, mediante alia tænia, formabantur, quo de ornatu ſupra, vel in nodum ſaltem conſtringebantur, caputque alio cujuscunque generis tegumento aut velo obnubebatur. Quam multiplici enim capitis ornatu moroſiores circa corporis cultum foeminæ ſe onerarint potius quam ornarint, ex Homero aliquatenus diſcere licet, de Hecuba, Iliad. X. 469.

> Τῆλε δ' ἀπὸ κρατὸς χέε δέσματα σιγαλόεντα,
> Ἄμπυκα, κεκρύφαλόν τ', ἠδὲ πλεκτὴν ἀναδέσμην,
> Κρήδεμνόν τε.

Pro-

Procul a capite fudit redimicula admiranda,
Vittam, reticulum, nexilemque faſciam,
Et velum.

Quem in locum Euſtathius videatur. Exiſtimo tamen, vittæ crinali reliqua capitis ornamenta ſic ſuperimponi potuiſſe, ut illa non plane occultaretur. Nam non raro apud Veteres mentiò ſit vittarum pretioſiorum, auro plumatarum, vel purpurearum. Homer. in Hymn. in Ven. vſ. 12.

Ὧραι ἐκόσμηθεν χρυσάμπυκες.

Horæ ornatæ erant aureis vittis.

Erinna Poëtria apud Stobæum:

Χρυσεομίτρα, δαΐφρων ἄνασσα.

Aurea vitta inſignis, bellicoſa Regina.

Epigramma vetus apud Suidam in Κεκρύφαλον:

Τόν τε φιλοπλέκτοιο κόμας σφιγκτῆρα Φιλαινὶς
Βαπτὸν ἁλὸς πολιῆς ἄνθεσι κεκρύφαλον.

Vittam hanc, murice tinctam, qua plexa capitis coma vincitur, Philænis Veneri *dedicavit.* Item ibid.

Πορφύρεον χαίτης ῥύτορα κεκρύφαλον.

Purpureum reticulum, comæ cuſtodem.

Achill. I. 511. de Virgine:

Cinxit purpureis flaventia tempora vittis.

In Oriente eadem obtinuit conſuetudo. In Annal. Bagd. men-

Digitized by Google

mentio fit عصابة مزركشة *vittæ muliebris auro plumatæ*. Et in Amorib. Leil. & Mezjn. مويبند ديبا *vittæ crinalis ex ſerico*. Tota res ſatis plana & liquida; cui nolo diutius immorari.

C A P V T X X I.

Probatur רדידים fuiſſe *Palliola*.

I.

Quid veteres dent Interpretes. Agmen ſuperbi & multiplicis ornatus mulierum Hebræarum claudunt רדידים. Ea vox non niſi bis in Scriptura ſuperſtes eſt. Nempe præter hunc Jeſajæ locum etiam reperitur Cant. V. 7. ubi eſt: *abſtulerunt* את רדידי *a me*. Veteres Interpretes non omnino conſentiunt in vera ejus poteſtate exprimenda. Alexandrini hic habent θέριστρα κατάκλιτα, quos ſequutus Vulgat. per *theriſtra* vertit. Illud θέριστρα Baſilius de *ſtragulis* exponit, *quas lectis inſternebant, ut mollius diſcumberent*. Sic illud κατάκλιτα admitti poſſet. Rectius tamen Hieron. *Habent*, inquit, *& theriſtra, quæ nos palliola poſſumus appellare, quibus obvoluta eſt & Rebecca. Et hodie quoque Arabiæ & Meſopotamiæ operiuntur foeminæ, quæ Hebraice dicuntur* רדידים, *Græce* θέριστρα: *ab eo quod in* θέρει, *hoc eſt in æſtate & caumate corpora protegant foeminarum*. Et in Quæſt. in Gen. *Theriſtrum pallium dicitur, genus etiam nunc Arabici veſtimenti, quo mulieres iſtius provinciæ velantur*. Sane dubitari nequit, θέριστρον eſſe a θέρος, quod *æſtatem* notat, & hinc *veſtem* ſignificare *æſtivam*, & *leviorem*. Heſychius: Θέριστρον, λεπτὸν ὕφασμα, θερινὸν ἱμάτιον. *Theriſtrum eſt veſtis æſtiva tenuis texturæ*. Sed quid tum θέριστρα κατάκλιτα? Præferenda utique lectio, quam & Baſilius annotavit, θέριστρα

Digitized by Google

ςρα κατάκλειςα, *theriſtra clauſa.* Licet illi non arriſerit, quia, ut diximus, per θέριςρα *ſtragulas lectorum* intelligebat. Sed quicquid ſit de vocis origine & ſignificatu, hoc præcipue obſervandum, quod in Græca Verſione pro *pepli majoris quadam ſpecie* accipiatur. Nam Geneſ. XXIV. 65. legitur: Ἡ δὲ λαβοῦσα τὸ θέριςρον, περιεβάλετο. In Hebræo eſt: ותקח הצעיף ותתכס *Accepto peplo operuit ſe.* Vulgatus hic iterum Græcorum θέριςρον per *pallium* expreſſit; uti & habet Cyprianus in lib. III. ad Quirinum. Et Geneſ. XXXVIII. 14. περιέβαλε τὸ θέριςρον. Et vſ. 19. περιείλετο τὸ θέριςρον αὐτῆς ἀφ' ἑαυτῆς. Utrobique Textus צעיף habet, quod eſt *peplum* majus, faciem, totumque caput, ac tergum, operiens. Unde exiſtimo, quod & hic apud Jeſajam Alexandrini Interpretes per θέριςρον haud multo abſimile *peplum* intenderint. Porro Chaldæus Paraphraſta dedit כבינתא, quod Latinus Interpres quoque reddidit per *theriſtra*, ex Vulgato. R. Salomo b. Melech in Michl. Joph. confert locum Talmudicum: לבתי כבינתי תנתן *detur* כבינה *filiæ meæ.* Reſpicit ad Tract. Gittin, fol. 15. col. 1. Cl. Buxtorf. vocem exponit per *Pallia*, aut veſtes exteriores leves, ex tenuiſſima & puriſſima lana factas, quales æſtivo tempore geſtari ſolent. Alii tamen, quos inter & Jarchius, de *vinculis*, quibus *tunica colligatur*, exponunt, quod convenit magis cum notione Thematis. Nam כבן Chaldæis eſt *ligare.* Syrus expreſſit per ܘܩܛܪܐ ܟܠܗ ܕܨܒܬܗܝܢ *faſciculum totum ornatus earum.* Ex inepta conjectura, ne nihil dixiſſe videatur. Apud Arabem reperies جلايبهن الحسان, quæ Latinus Interpres reddidit: *ſtragula earum pulcherrima.* Sed potius legendum videtur جلابيبهن, qui Pluralis eſt a جلباب, *palliolum*, de quo deinceps. Et hæc ex Jeſaja. Alter locus eſt Cant. V. 7. ubi Textus Hebræus ſic habet: *Invenerunt me cuſtodes circumeun-*

tes in civitate, percuſſerunt & vulnerarunt me, נשאו את רדידי מעלי *abſtulerunt* רדיד *meum a me.* Ex Chaldæo nihil hic diſcas, qui omnia per continuas allegorias de fatis populi Judaici interpretatur. Verba, quæ huc pertinent, hæc ſunt: נטלו תגא דמלכותא מעל צוריה דצדקיהו *Tulerunt* (ſcil. Chaldæi) *torquem regium Sedecbiæ de collo ejus.* Sic Interpres ejus Latinus. Quamvis non putem, vocem תגא, quæ convenit cum Arabica تاج, unquam de *torque*, ſed non niſi de *diademate*, vel *cidari*, uſurpari. Niſi itaque obſtarent ſequentia מן צוריה *de collo ejus*, hoc ſaltem appareret, quod Targumiſta רדיד noſtrum de *capitis* intellexerit *tegumento.* Alexandrini reddiderunt: ἦραν τὸ θέριςρόν μυ ἀπ᾽ ἐμῦ, *abſtulerunt theriſtrum meum a me*, uti ſupra. Alii apud Druſium, τὸ κάλυμμά μυ, *velamen meum.* Arabs: اخذوا غلالي مني *abſtulerunt pallium meum a me.* Syrus retinet vocem Hebraicam רדיד, nam ܪܕܝܕܐ habet, quod Latinus Interpres hic reddidit per *pallium.* Denique Aethiopica Verſio adhibet vocem גלבאב, quam Arabicæ mox reſtituimus.

Rabbinor. expoſitiones. II. Hebræorum Magiſtri quoque non omnino conveniunt in poteſtate & ſignificatu vocis רדיד definiendo. Raſchi: הרדידים כבינתא פירמ"לין בלעז והם של זהב שמכבנין בהם הסרבל שהאשה מתעטפת בו *Sunt* vincula, *vernacule* firmels *dicta*, (hodie Galli *fermail* dicunt) *facta ex auro, quibus colligari ſolet tunica, qua mulier ſe induit.* Hæc ex Chaldæo, cujus כבינתא, ut jam diximus, de *vinculis* Raſchi intellexit. Paulo aliter, licet ex eodem fonte, R. Salomo b. Melech in Jeſajam: יש מפרשים קלעי משי שעושים הנשים לקשור ראשם רד"לאש בלעז *Sunt qui interpretentur per faſcias ſericas, quibus foeminæ caput religabant.* Ridlas *vernacule.* Sed quid *Ridlas* ſit, mihi ignotum. Hauſit vero hæc verbotenus ex Kimchio, qui

Digitized by Google

qui ait, vernacule dici: ווילי די ס״ידה, h. e. ut puto, *voiles de ſoye*, vela ex ſerico. De capitis quodam tegumento majori accipit Abarbanel in Jeſaj. הם רשתות של משי שהיו הנשים משימות אותן אחורי ראשן ויורדים בעורף עד הכתפים *Sunt reticula ex ſerico, quæ mulieres occipiti apponebant, ut in cervicem usque ad humeros deſluerent.* Kimchium & Aben-Eſram, ut & loca Talmudica quædam, exhibebimus deinceps.

III. Noſtrates Interpretes non minus variant, in noſtræ vocis expoſitione. Multis arrident τὰ θέριστρα Græcorum. Unde Vatablus: *Dicunt veſtimenta eſſe ſubtilia æſtiva.* Sic Doctiſſ. Belgæ, in Gloſſis ad Jeſaj. *Fyne, dunne, ende lichte kleedingen, die men in Judea, ende d' omliggende heete landen droegh.* Huc & pertinent Jun. & Trem. utrobique habentes *carbaſa*, h. e. ut Piſcator explicat, *pallia ex carbaſo, per metonymiam materiæ*; & addit, *eſſe carbaſum linum miræ tenuitatis*, quod nempe æſtati conveniret. Et Varenius: *Ex conſenſu majorum*, ait, *notantur* carbaſa, *vel æſtiva veſtimenta, tenuiſſima, ex puriſſima lana facta, ſericea, ſine ullo gravamine portatu leviſſima, & æſtui in Judæa imperioſiori accommodata, ſive illa totius fuerint Corporis, ſive ſolius Capitis, perinde eſt, præſtat tamen pro priori concludere.* Pro veſte totum corpus tegente accipit etiam Cl. Coccejus in Cant. *Notat*, inquit, *velum ſeu carbaſum tenuius & levius, quod corpori facile poteſt circumjici, matronale tegmen.* Alii vero exiſtimant, רדידים eſſe *velamenta faciei*, quibus foeminæ delicatæ contra *calorem ſolis* ſe munierint. Vatablus: *Alii ſcribunt, fuiſſe ſindonem, quam mulieres expandebant ſuper caput ob æſtum.* Huc inclinat Cl. Guſſetius in Comm. L. H. p. 778. Ait: רדידים *carbaſa, potius umbellæ, Gall.* pare-a-ſol. *Nam radix uſurpatur de rebus ſolidis extenuatis: ſemel de auro: bis de populis ſubjectis. Umbellæ autem ad mollitiei muliebris apparatus Eſaj. 3. recenſitos attinent, tum ut cuticulæ candorem*

Variæ noſtratium ſententiæ.

Digitized by Google

rem lævoremque ſervent, tum ut ſolis vim retundant, & præterea magnifice ornatæ faſtum augent. Addit & aliam conjecturam: *Vel potuerunt eſſe bractea tenuiſſima lataque, quibus ſplendor aliis ornamentis adderetur.* Plerique tamen malunt *pepla*, capitis & faciei muliebria tegumenta. Forſterus: *velamen, quo mulieres caput velabant.* Neque aliter Forerius. Belgæ in Cant. *mynen Sluyer.* Verſio Anglicana: *the vails*, vela. Cl. Seldenus de Ux. Hebr. lib. III. cap. 17. p. 305. רדיד exponit per *calyptram pendulam.* Vid. & eundem de Jur. Nat. Hebr. lib. V. cap. 5. Pauci quidam per *Pallium* ſunt interpretati, ut Grotius in Cant. ſequutus Vulgatum. Ut & Piſcator, *pallia ex carbaſo.* Munſterus per *togam* reddidit, quæ Pallium erat Romanorum. Lutherus *die Kittel*, amicula. Solus, quod ſciam, Montanus in Jeſaj. dedit *palliola.* Unde non longe abeſt Celeb. Vitringa, in Comm. in Jeſaj. *Liquet*, inquit, *ex loco Cant.* V. 7. *eſſe genus* pepli, *ſive* amiculi, *quod circumjicitur capiti, humeris, & veſtibus exterioribus, corporis aut veſtium velandarum cauſa, idem quod* צעיף *in hiſtoria Rebeccæ.* Hæc mihi perplacent, & nunc pluribus probabuntur argumentis. Et ſic plane carere poſſumus illa notione *veſtis æſtivæ*, quæ nullo idoneo nititur fundamento, nec aliunde quam ex Verſione Alexandrina, in utroque loco θέριστρον habente, profluxit. Eorum autem ſententiæ, qui רדיד per *peplum* expoſuerunt, quid veri ſubſit, mox apparebit. Reliquis immorari non eſt neceſſe.

Probatur fuiſſe Palliola.

IV. Noſtra de voce רדיד ſententia hæc eſt, quod fuerit *Palliolum*, ſeu pallium brevius, omnibus reliquis veſtibus ſuperimpoſitum, quod vel de humeris dependebat, fere ad cincturam usque defluens, vel etiam, quoties volebant, in caput attrahebatur, illud *operiendi*, ſeu *velandi*, gratia. Hoc autem probamus

Primo ex vocis origine. Nam רדיד procul dubio eſt a Themate רדד. Hoc autem certiſſimam gerit *expandendi*

&

& in *latum diducendi* notionem. Ut 1 Reg. VI. 32. וירד על הכרובים ועל התמרות את הזהב, *expandit & diduxit ſuper Cherubinos, & ſuper palmas, aurum.* Huc & referri ſolet 1 Reg. VII. 29. מעשה מורד *opere diducto & extenſo.* Kimchius in Libro Radic. hanc ſignificationem etiam probat ex Chaldaica Dialecto: רדד ענין פרישה ורקיעה ותרגום וירקעו את פחי הזהב ורדידו ית טסי דדהבא *Thematis* רדד *propria poteſtas ſita eſt in* expandendo *&* diducendo in latum. *Quare & Hebræum* וירקעו extenderunt in latum, *Exod.* XXXIX. 3. *Paraphraſtes Chaldæus* (Onkelos) *per* ורדידו in latum diduxerunt, *expreſſit.* Eadem phraſis habetur in Tract. Talm. Schabbath fol. 103. col. 1. שכן מרדדי טסי משכן עושין כן *Nam ſic faciunt, qui laminas tabernaculi in latum diducunt.* Adde Num. XVI. 38. ubi Hebræa רקעי פחים *extenſiones* vel *diductiones laminarum*, Onkelos interpretatur per רדידין טסין *laminas in latum diductas.* Et mox vſ. ſeq. pro וירקעום *extenderunt eas*, ille iterum habet: ורדידונון *& in latum diduxerunt eas.* Rurſus Pſalm. CXXXVI. 6. pro Hebræis: לרוקע הארץ על המים *ei qui expandit terram ſuper aquas*, Chaldæus dat: לרדיד ארעא עלוי דמיא, eodem ſenſu & ſignificatu. Quare & plerique Interpretes רדיד noſtri ſignificatum recte ab *expandendi* illa notione deduxerunt. Raſchi in Cant. V. 7. רדידי עדיי המרודד והמרוקע עלי h. e. רדיד *meum idem eſt ac ornamentum expanſum & dilatatum ſuper me.* Piſcator in Jeſ. *Vox Hebræa orta eſt a verbo* רדד, *quod ſignificat* expandere. *nam eſt veſtis expanſa ſeu fluxa.* Vid. etiam quæ Doctiſſ. Belgæ ad Cant. V. 7. annotarunt. Hæc itaque originatio in nihil quadrat melius quam *Pallium*, quoniam hæc veſtis reliquis *latior* eſt & *amplior*, atque dum injicitur, ſuper corpus, cæteraque veſtimenta, *expanditur.* Quemadmodum

Digitized by Google

ſupra vidimus, a טפח *latus* & *amplus* fuit, *Pallium* מטפחת fuiſſe appellatum. Quare & Hieronymus, aliique Viri Docti, quos jam nominavimus, per ipſum hoc רדיד *palliam* intellexerunt.

Non igitur eorum probamus opinionem, qui רדיד per *velum capitis & faciei muliebre* exponentes, originem quærunt in notione *dominandi*, quam Themati רדד ex affini רדה adſcribunt; quoniam nempe *velum*, quod mulier in capite geſtat, ſignum ſit *poteſtatis* & *dominii*, quod maritus in eam exercet. Scopus eſt, præſidium quærere explicationi vocis ἐξουσία in loco ὀφείλει, 1 Cor. XI. 10. per quam vulgo intelligunt *velamen* capitis, quo mulier tellctur, ſe eſſe ſub mariti *dominio* & *poteſtate*. Hanc ſententiam tenent Forſterus in Dict. Hebr. Forerius in Jeſaj. Bucherus de velatis foem. p. 80. 81. & 150. 151. Vid. & Ludov. Capell. in Spicileg. p. 94. Hammond. in Annotat. ad N. T. Tom. II. p. 113. Taceo alios quam plurimos. Sed mihi hæc originatio admodum videtur incommoda. Nam רדיד non eſt a רדה, ſed a רדד, ut quivis videt Hebraiſmi non plane imperitus. Hoc autem רדד nuſpiam notat *dominari*, ſed *expandere*, ut jam vidimus. Loca autem, in quibus etiam hoc רדד putatur *dominandi* pollere ſignificatu, deinceps explicabo. Imo ſi concederemus, Themati רדד eam *dominandi* convenire poteſtatem, ratio tamen, quæ affertur, inde ductæ notionis *pepli*, vel *velaminis*, nimis eſt arceſſita, & id originationis genus a genio & indole Linguæ Hebrææ prorſus alienum. Nam primo ſtatuere nos oporteret, quod רדיד proprie & originaliter denotaret *poteſtatem* & *dominium*, ἐξουσίαν, quam unus in alterum exercet; deinde, quod eadem vox per metonymiam rei ſignatæ pro ſigno transferretur ad deſignandum *velamen* muliebre. Et denique ſupponendum eſſet, quod hactenus a nemine probatum, per *velamen capitis* mulierem revera teſtari & agnoſcere, ſe dominio & poteſtati mariti eſſe ſubjectam. Sane ex loco, quem citavi-

Digitized by Google

vimus, Paulino id non puto probari poſſe. Nunquam enim eo induci potui, ut crederem, vocabulum ἐξουσίαν ibi vel proprie vel metonymice *peplum*, vel *velum capitis*, denotare. Senſus facillimus, & liquidiſſimus, hic eſt, quod *uxor debeat poteſtatem & dominium agnoſcere* & venerari in ſuo *marito*, qui ejus eſt *caput*, ut loquuntur, *morale*. Quam expoſitionem, a Doctiſſimis quibusdam Viris ſolide adſtructam, vulgari & receptiori longe judico præferendam.

Extra oleas vero vagatur Cl. Clericus, qui in Comment. ad Geneſ. XXIV. 65. poſt adductam Hieronymi de Græco θέριστρον ſententiam, ſubjungit: *Similia habet & in Comment. in Eſajam Cap.* III. *ubi ea vela* Hebraice dici רדידים radidim *auctor eſt, qua voce uſi ſunt* Jonathan & Paraphr. Jeroſol. *quæ propria eſt Arabum, apud quos* רצין rtſitſon, *velum ſonat e regione oculorum perforatum, quo mulieres utuntur. Notum eſt* Daleth *Hebraicum &* Sad *Arabicum adfines eſſe literas.* Approbavit Bucherus de vel. foem. p. 98. Verum quidem eſt, Arabibus رصيص רצין *calyptram* eſſe, qua tota obvelatur facies, ita ut ſoli appareant oculi. Sed a רדיד id prorſus alienum. Neque indoles Thematis رص cum Hebræorum רדד convenit. Hujus enim poteſtas in *expandendo* ſita, illius in *compingendo*, unde *velamen faciei* dictum رصيص, ideo quod faciei conſtanter *adhæreat*, & undique *contrahatur*. Neque tam prona eſt & frequens literæ (ד) in (ص) mutatio. Mihi ſaltem idoneum exemplum hactenus ſe non obtulit.

Secundo ex uſu vocis apud Miſchnicos Doctores & Targumiſtas apparet, quod vocabulum רדיד tam de *pallio*, quam *peplo*, capitis tegumento, accipiatur. Priori ſignificatu occurrit apud Paraphraſten Chaldæum Cant. II. 5. הבו רדידין על צוארי *Ponite palliola ad colla mea.* Loquitur de populo Iſraëlitico. Ex adjuncto על צוארי conſtat, quod

quod hic per רדיד veſtimentum intelligatur, ad collum vel cervicem appoſitum, ut inde defluens, humeros & tergum obvelet. Frequentior tamen alter uſus eſt, quo veſtem notat etiam caput operientem. Sic Maimonides ad Tract. Schabbath Cap. XVI. Sect. 4. ex Gemara Babylonica fol. 120. col. 1. octodecim enumerans veſtimenta, quæ die Sabbathi ex incendio eripere liceat, etiam habet רדיד קטן יעטף בו ראשו וכתפיו h. e. רדיד *parvum, quo caput & humeri operiuntur.* Pro eo Bartenora poſuit: טלית קטן שמכסה בו ראשו וכתפיו i. e. טלית *parvum, quo caput & humeri obteguntur.* Adhibet itaque hoc טלית ad illud רדיד, voce magis frequenti & obvia, declarandum. Notum vero eſt, טלית *palliolum* eſſe, ſeu pallium brevius, quod reliquis veſtibus, ipſi etiam pallio majori, ſuperimponunt, & Judæi adhuc hodie, precum & aliorum ſacrorum tempore, capiti æque ac humeris injicere ſolent. Dubitari itaque nequit, רדיד olim fere ejusdem fuiſſe uſus. Rurſus ibidem tam apud Bartenoram quam Maimonidem legitur de שני רדידים יתנגב בהם כשהוא רוחץ בבית המרחץ *duobus* רדידים, *quibus ſe abſtergunt, poſtquam ſe lavarunt in balneo.* Nempe hic רדיד, eodem modo ut ſupra de voce מטפחת vidimus, de linteo, ſeu quovis panno ſumitur latiori & ampliori, cujus varius uſus, etiam pro abſtergendis manibus, vel toto corpore, eſſe poteſt. Quod autem hoc רדיד non *pallium majus*, totumque corpus operiens, quale erat illud מטפחת, ſignificet, ſed *minoris pallii* genus fuerit, inde conſtat, quia paſſim legitur, quod ſimul etiam *capitis* fuerit *tegumentum*, licet majus & amplius, & non ſolum caput, ſed & humeros, ut mox ex Maimonide vidimus, obvelans. Sic ad רדיד in Tract. Miſchnico Kelim, Cap. XXIX. Sect. I. annotat Bartenora: רדיד צעיף דק שהאשה מכסה בו ראשה והכס בצעיף תרגום ירושלמי רדידא *eſſe peplum tenue,*

nue, quo mulier operit caput ſuum; nam in Targum Hieroſolymitano צָעִיף *per* רדידא *exponitur.* Reſpicit ad Geneſ. XXXVIII. 14. ubi in Hebræo eſt: ותכס בצעיף *operuit ſe* Thamar *peplo.* Etiam Jonathan hæc reddidit: וכסיית ברדידא, quæ Latinus Interpres vertit: *& texit ſe peplo.* Ipſe etiam Syrus hic dat: ܘܐܬܟܣܝܬ ܒܐܪܕܝܐ ואתכסית בארדידא *& obtexit ſe peplo.* Et mox vſ. 19. Hebræa והסר צעיפה מעליה *removit peplum ſuum a ſe*, Chaldæus iterum interpretatur: ועדת רדידה מנה, & Syrus: ܐܪܕܝܐ ܛܠܝܬܐ, eodem plane ſignificatu. Conſimiliter Geneſ. XXIV. 65. pro Hebræis וַתִּקַּח הַצָּעִיף ותתכס *ſumto peplo operuit ſe*, Jonathan dat: ונסיבת רדידא ואתעטיפת ביה *accepit peplum, eoque ſe obvelavit.* Neque aliter habet Targum Hieroſolymitanum. Addatur Maimonides, qui voce רדיד utitur pro *velo capitis, & faciei*, quale Matronæ gerunt honeſtæ, in Jad Chaſ. Tract. אישות cap. 24. fol. 51. c. 2. ואי זו היא דת יהודית הוא מנהג הצניעות שנהגו בנות ישראל ואלו הן הדברים שאם עשתה אחת מהן עברה על דת יהודית יוצאה לשוק או למבוי מפולש וראשה פרוע ואין עליה רדיד ככל הנשים *Quænam eſt illa conſtitutio Judaica, juxta quam filiæ Iſraël ſtudent modeſtiæ? Si legum, quæ ſequuntur, aliquam violaverint, transgreſſæ ſunt Judaicam iſtam conſtitutionem. Nempe ſi egreſſæ fuerint in plateam, aut aliquem locum undique patentem, nudato capite, & non opertæ fuerint velamine, pro more aliarum foeminarum.* Ex adductis hactenus vocabuli רדיד uſibus & exemplis ſatis clare colligimus, illud proprie *pallium* eſſe, ſed brevius, alias טלית appellatum, quod omnibus reliquis veſtibus ſuperimponitur, ac non tantum de humeris dependet, ſed & ipſi nonnunquam capiti inducitur, eamque ob cauſam quoque *pepli* induit ſignificatum, & tam de capitis tegumento majori,

quale & צָעִיף fuit, quam latiori uſu pro velamine faciei muliebri, uſurpatur. Poſtremus hic uſus poteſt eſſe recentior, & ex notione *pepli*, apud Targumiſtas obvia, deſumtus. Neque etiam hic apud Jeſajam locum habet, qui velamina faciei muliebria jam per רְעָלוֹת, ut vidimus ſuo loco, expreſſerat. Retinemus itaque duos priores ſignificatus, qui tamen potius ad unicum redibunt, ſi, ut res revera poſtulat, dicamus, רדידים *palliola* fuiſſe, quæ vel humeris injiciebantur, vel, quoties volebant, in caput adducebantur. Quare & hanc notionem in omnibus locis, ubi רדיד vulgo per *peplum* redditur, rectius puto retineri. Nam & Latinis, haud abſimili modo, tegumentum capitis *palliolum* dictum eſſe mox videbimus.

Idem *tertio* ex Arabica Dialecto ulterius confirmabitur, in qua Hebræo רדיד vocabulum רדא رداء a Themate רדי ردي vel רדה, reſpondet. Ne quem vero aliqua literarum radicalium diverſitas turbet, vel impeditum habeat, ante omnia præſtruendum eſt, apud ipſos etiam Hebræos Radices רדד & רדה, uti literis, ita & ſignificatu, ſibi invicem intime eſſe cognatas. Illud vulgo per *expandere*, item *ſternere*, *ſubjicere*, *ſubigere*, hoc autem per *dominari*, itemque, prorſus uti illud, per *ſubigere*, & *ſubjicere*, interpretantur. Unde jam ſponte duorum Thematum affinitas elucet. Quæ tamen adhuc clarior & illuſtrior evadet, ſi teneamus, utriusque originem & primariam ſignificationem in *calcatione pedum* ſitam eſſe: quam & Sacro Textui inferre haud vereor Jeſaj. XLV. 1. ubi Propheta de Cyro ait: לרד לפניו גוים *proculcandas coram ipſo eſſe gentes.* Heic *proculcare gentes* figurate idem eſt ac eas *ſubigere*, & alieno imperio, & legibus, *ſubjicere*. Eadem poteſtas, eademque figura, agnoſcenda Pſalm. CXLIV. 2. הרודד עמי תחתי *qui calcat populum meum ſub me*; h. e. qui mihi imperium in meum populum confert.

Eadem

Eadem tranſlatio admiſſa quoque in reliquis Verbis, *calcandi* gerentibus notionem. V. g. in Themate בוס *calcare*; ut Pſalm. XLIV. 6. בשמך נבוס קמינו *in nomine Tuo proculcabimus inſurgentes contra nos*; i. e. eos ſuperabimus & ſubigemus. Vid. & Pſalm. LX. 14. CVIII. 14. Jeſ. LXIII. 6. 2 Chron. XXII. 7. Ex Themate דוש, cujus primigenia poteſtas ſimiliter in *calcando* ſita, conſule Jeſaj. XXV. 10. Mich. IV. 13. Ipſum etiam דרך hanc vim exerit Deut. XXXIII. 29. Jeſaj. LXIII. 3. & alibi. De עסס *calcavit*, vid. Malach. III. 21. Denique רמס eundem uſum admittit Jeſ. LXIII. 3. Mich. VII. 10. &c. &c. Senties nunc, unde ſubnata ſit in Themate רדה notio *ſubigendi*, ſuoque *dominio* aliquem *ſubjiciendi*. Quamvis non dubitem, quod, ſi huic ipſi רדה originalem *calcandi* poteſtatem in pluribus Scripturæ locis vindicemus, iis haud parum gratiæ & emphaſeos ſit acceſſurum. V. g. Jeſaj. XIV. 6. רדה באף עמים *proculcans in ira populos.* Eſt enim eadem phraſis, quæ occurrit Jeſaj. LXIII. 6. אבוס עמים באפי *proculcabo populos in ira mea.* Eademque fere facies, idemque ſenſus, eſt utrique loco, quem ad רדד jam produximus. Adde Ezech. XXIX. 15. לבלתי רדות בגוים *ne amplius proculces gentes*, vel preſſius ad verbum: *ne calces in gentes.* Multum quoque elegantiæ eſt in Levit. XXV. 43. לא תרדה בו בפרך, quæ vulgo reddunt: *non dominaberis in eum violenter*; recte quidem quoad externam Linguæ faciem; ſed ſi interiorem verborum indolem introſpiciamus, locus ita erit vertendus: *Non calcabis in eum cum contritione.* Nam princeps notio Thematis פרך ponenda eſt in *contritione* conjuncta cum *diffractione* & *comminutione*, qualis fit per *conculcationem*; uti conſtat tam ex Chaldæa & Syriaca, quam Arabica, Dialecto. Senſus figuratæ hujus loquutionis eſt: *Non exercebis in eos ſævum imperium.* Eadem phraſis recurrit ibid. vſ. 46. 53. & Ezech. XXXIV. 4. Certiſſimum itaque & in-

 du-

dubitatum hoc eſt argumentum intimæ affinitatis, qua Themata רדד & רדה ſunt invicem conjuncta. Eademque ulterius ex Dialecto Chaldaica adſtrui poteſt. Vidimus ſupra, Radicem noſtram רדד etiam *expandendi* gaudere ſignificatu. Qui tamen non obeſt ei, quam adſtruximus, *calcandi* notioni; ſed ille uſus ſecundarius eſt, & ex hoc primario, tanquam ex origine, profluxit. Quod enim *calcatur*, ſimul in latum *extenditur*, & *diducitur*. Eadem ratione Thematis רקע, quod plerumque notat *expandere*, & *extendere*, ac ſæpiſſime de *diductione* metallorum, eodem modo ut noſtrum רדד 1 Reg. VI. 32., adhibetur, princeps ſignificatus in *calcatione pedum* eſt collocandus. Unde intelliges cur legatur Ezech. VI. 11. הכה בכפך ורקע ברגלך *percute manu tua, & calca pede tuo.* Iterum XXV. 6. יען מחאך יד ורקעך ברגל *ideo quod percutias manu, & calces pede.* Huc & pertinet 2 Sam. XXII. 43. *Sicut lutum platearum conteram eos,* ארקעם *conculcabo eos.* Hinc, uti in רקע, ita & in רדד, a *calcandi* primaria poteſtate ſubſumta ſecundaria notio *expandendi*, & *diducendi*. Sed, ut redeamus unde deflexi eramus, penes Chaldæos ſignificatio hæc *expandendi* non tantum in Themate רדד, ut ſupra oſtendimus, ſed & in altero רדה, aſſervatur. Sic in Targum Jeſaj. XVII. 6. בסוכא מרדא *in propagine late extenſa & diffuſa.* Adde Tract. Talmud. Erubhin, fol. 104. col. 1. מביא תבן ומרדה בה *affert ſtramen, & expandit in eo (atrio).* Et mox: כשהוא מרדה אינו מרדה לא בסל ולא בקופה אלא בשולי קופה *Quando expandit, non expandit in corbe, neque in caniſtro, ſed in fundo caniſtri.* Utrobique Verbum רדה *expandendi* gerit ſignificatum, æque ac alterum רדד. Hæc præſtruere lubuit, ut appareret, duo hæc Themata non tantum una eademque origine gaudere, ſed & omnes notiones ſecundarias habere communes. Proinde non mirum,

rum, Arabes haſce ambas Radices, ſibi invicem adeo cognatas, ſub uno רדה ردي combinaſſe. Quod tamen ulterius confirmabitur, ſi obſervemus, illos principem, quam adſtruximus, *calcandi* poteſtatem, non minus quam reliquos uſus, qui in Hebraiſmo ex hac origine profluxerunt, etiamnum conſervaſſe. De illa Gjeuhar. ردي الفرس اذا رجم الارض رجما بين العدو والمشي רדה הפרס *calcavit equus terram, mediusve fuit inter curſum & inceſſum.* Hiſt. Tam. p. 321.

طحن الردي تلك العظام وفت هاتيك الصدور

Commoluit calcatio hæc oſſa, & hæc pectora perfregit.

Ad Conj. IV Cl. Golius ex Gjeuh. *Calcavit validius terram.* Sic apud Poëtam eſt:

اردتهم السنابك

Vehementer proculcarunt eos ungulæ equinæ.

Inde &, juxta Camuſum, *Leo* dictus الرادي, quod prædam *proculcet*, eique *ungues infigat.* Reliquæ notiones Thematis ex hoc fonte omnes emanarunt. V. g. *Sublato uno pede ſubſultim procedendi*; quæ haud dubie ducta a *calcando* terram. Item: *Perdidit*, *corrupit*, rem, proprie, eam *proculcavit*. Et, quia *calcando* aliquid *diffringitur*, & *comminuitur*, adſumta inde notio: *Diffringendi* & *conterendi* rem aliquam. Unde مرداة *Lapis molæ ſuperior*, *catillus*. &c. &c. Notionem *expandendi* & *diducendi*, quam Hebræis רדד & רדה vindicavimus, non annotarunt quidem Arabes Lexicographi. Dubitari tamen nos non ſinit hoc Poëtæ:

وان دققنا الكتايب المتراكمة
كما دق الحديد الروادي *

Quando in latum diduximus (i. e. diſſipavimus) *phalanges compactas & conglobatas*,
Quemadmodum dilatant ferrum diducentes; i. e. fabri ferrarii.

Adde Hiſt. Tam. p. 121. ارتدى جنوح الليل *expanſa fuit ala noctis*. Accedit, quod hæc notio *diducendi* aliquid *in latum*, & *extenuandi*, frequentetur etiam in cognata Radice ردي, unde ردّي *extenuatus*. Secundarie transfertur ad laborem vel morbum *extenuantem*.

Non itaque mirum, Arabes idem veſtimentum, quod veteres Hebræi רדיד vocabant, رداء (quod dicunt ex Linguæ Analogia pro رداي a ردي) appellaſſe. Senſit hoc R. David Kimchi, Arabicæ Linguæ non omnino imperitus, in Comm. in Jeſaj. רדיד הוא לבוש נקרא בערבי רד"א h. e. רדיד *veſtis eſt*, *Arabibus dicta* רדא. Ita legendum pro אריד, quod in impreſſis Codicibus comparet. Sed recte expreſſa eſt hæc dictio in Editione Veneta Libri Radicum ejusdem Auctoris: הרדידים הם כדמות צעיפים או מעטפות הנקראים בערבי אלר"דא h. e. רדיד *ſpecies eſt peplorum vel amiculorum*, *Arabice* רדא *appellata*. Nec aliter R. Salomo b. Melech. Et in Aruch fol. 147. col. 3. hæc habentur: רדיד בלשון ישמעאל רד"א והוא צעיף דק שמכסה האשה על ראשה h. e. רדיד *in Lingua Iſmaëlitica* (h. e. Arabica) *vocatur* רדא, *quod* peplum *notat* tenue, *quo foeminæ caput cooperiunt*. Eodem reſpicit Aben-Eſras in notis prioribus in Cant. V. 7. רדידי בלשון ישמעאל כמו צעיף *in Lingua Iſmaëlitica idem notat quod* peplum. Idem in Jeſaj.

Jeſaj. רדיד *Vox* רדידים כרמות טלית בלשון ישמעאל *in Lingua Iſmaëlitica ſpeciem ſignificat* pallioli.

Sed pergamus nunc, & diligentius inquiramus, quemnam apud ipſos Arabes illud رداء, Rabbinorum רד״א, gerat ſignificatum. Kimchi eum exprimit per צעיף *peplum*; haud adeo male, ſi, ut par eſt, per hanc vocem *peplum* intelligat *majus*, non tantum caput, & faciem, ſed & humeros & tergum, obvelans; id quod & clarius per adjectam dictionem מעטפות inſinuare voluiſſe videtur, quam recentiores Judæi de *amiculis* accipiunt. Non itaque differt ab Aben-Eſra, qui vocis illius poteſtatem aptiſſimè per טלית *palliolum* declaravit. A Cl. Golio exacte ſatis & curate exponitur per *Pallium*, *vel Pallam: veſtem ſeu operimentum exterius quodcunque, uſurpari ſolitum prodeuntibus foras: ſive conſutum ſit, nec ne, capiti impoſitum, & in humeros rejectum, aut de ſolis humeris pendens*. Eſt autem hoc رداء commune viris foeminiſque veſtimentum. Quamvis nullum dubium ſit, & forma & amiciendi modo, virile a muliebri quodammodo differre. In Arabica V. T. Verſione paſſim Viris aptatur. Ut Judic. VIII. 25. فبسط لهم رداء والقي كل امراء منهم قرط من ذهب على الرداء *Expandit illis pallium, & projecerunt ſinguli inaurem auream ſuper illud pallium.* 1 Sam. II. 19. ونسجت له أمه رداء صغيرا *Texuit ei mater ejus pallium parvum.* XV. 27. واخذ شاوول بطرف رداءه *Apprehendit Saul extremitatem pallii ejus.* XVIII. 4. وكسا يوناثان داود رداءه *amicivit Jonathan Davidem pallio ſuo.* XIX. 13. سترته بالرداء *obtexit eum pallio.* XXIV. 5. وقطع طرف رداء شاوول *amputavit oram pallii Saulis.* Abulfar. in Hiſt. Dyn. eandem hiſto-

hiſtoriam enarrans, idem vocabulum uſurpavit, p. 47. وصادف شاول نايما فقطع قطعة من ردايه *inveniens Saulem dormientem, de ejus pallio particulam abſcidit.* Adde 1 Sam. XXVIII. 14 رايت رجلا شيخا يصعد من الارض متردي برداء *Vidi virum ſenem adſcendere ex terra, amictum pallio.* In omnibus hiſce locis Textus Hebræus habet vel מעיל vel שמלה. Unde apparet, quod virile رداء de *pallio* accipiatur *majori*, & totum corpus cooperiente. Quod adhuc clarius percipies ex Hiſt. Val. وعليه عطافان ورداء وكان قد اخذ منه البرد *Indutus erat gemina tunica & pallio, nam frigus ipſum penitus pervaſerat.* Clariſſime autem ex Abulfeda de Vita Mohamm. p. 98. فلما دخل المسجد اضطبع بان جعل وسط ردايه تحت عضده الايمن وطرفيه على عاتقه الايسر Interprete Cl. Gagnier: *At ille ſtatim atque ingreſſus eſt templum, expedivit ſe, dimidium pallii ſui ſub brachio dextro colligens, & oram ejus ſuper humerum ſiniſtrum rejiciens.* Cum hoc uſu vox رداء *pallium* notet, totum corpus obtegens, inde factum, ut illa figurate etiam de *amplo* adhibeatur *præſidio* & *tutamine* contra quaſcunque injurias. Hiſt. Tam. p. 158. دخل من تحت رداءهم *Recepit ſe ſub eorum pallium.* Et p. 273. فانهم رداء الاسلام *Ipſi erant pallium Iſlamiſmo.* i. e. ejus erant defenſores. Sed non minus frequenter رداء muliebribus annumeratur ornamentis. Ezech. XVI. 10. ورديتك بالوشي *pallium paravi tibi ex opere plumato.* Et XXVII. 7 وبرفير من جزاير اليسا صار رديتك *Ex purpura ab Inſulis Eli-*

Digitized by Google

Eliſæis allata facta ſunt pallia tua. Addatur Abd'orrahman Hamdani in libro شبعيات *Septenariorum :* مد يده المباركة واخذ بطرف ردايها ومدها اليه *Extendit Mohammed manum ſuam benedictam , & pallium ejus* (ſcil. Aiſchæ filiæ Abu-becri) *prehenſum ad ſe adtraxit.* Attamen uſus Linguæ poſtulat , ut hanc ipſam vocem رداء , quoties foeminis tribuitur , non de *pallio majori* , totumque corpus operiente , & per multos flexus involvente , quale , ut ſuo loco vidimus , מטפחת denotabat , ſed *minori pallio* , quod in caput attractum , ſimul etiam *pepli* vices præſtare queat ; intelligamus. Quem in finem præcipue notari velim hoc Abd'ol-Maſihi , Poëtæ veteris , aliquoties jam a nobis adductum :

وامه من ال ذيب بن حجن
بيضاء فضفاض رداء والبدن *

Mater ejus eſt ex familia Dſaibi filii Hegjanis ,
Candida amplo pallio , palliolo & zona.

Ubi رداء a فضفاض , quod *majus pallium* notat , manifeſte diſtinguitur. Et Jacob. Torv. in Hiſtor. Prophetar. ولا من زوجة رسول الله خرجت الا وعلي راسها رداء *Nulla unquam Mohammedis uxor foras prodiit , niſi in capite palliolum geſtans.* Et Annal. Bagd. ونزعت عن راسها النقاب والرداء ودخلت اليه *depoſito a capite velamine faciei & palliolo ad ipſum intravit.* Quare & Cl. Golius , ut jam vidimus , annotavit , poſſe رداء *vel capiti imponi , & in humeros rejici , vel de ſolis humeris pendere.* In Gloſſario Arabico-Perſico itaque aptiſſime explicatur per جادر & جلباب. Illud جادر ,

 pro

Digitized by Google

pro quo Arabes شـوذر dicunt, declaratur per *Pallam lineam, capiti imponi ſolitam a Perſis & Arabibus foeminis, ad medium corpus, interdum & ad medias ſuras, demiſſam, qua ſe operiunt in publicum prodeuntes.* In Tawuſi Interpretatione Perſica Pentateuchi Hebræo צעיף reſpondere ſolet, Geneſ. XXIV. 65. & XXXVIII. 14. 19. Alterum جـلـبـاب fere eundem gerit ſignificatum. Notat *amiculum*, vel, ut Golius habet, *plagam* ſeu *pallam muliebrem*, fere *lineam candidamque*, quam foeminæ foras prodeuntes capiti imponunt. Una voce *palliolum* dixeris. Sic in Alcor. eſt Sur. XXXIII. 59. قل لازواجك وبناتك ونساء المومنين يدنين عليهن من جلابيبهن *Dic uxoribus tuis, & filiabus tuis, & uxoribus fidelium, ut imponant ſibi palliola ſua.*

Hinc itaque ſatis apparet, non omnino male רדיד noſtrum a multis per *peplum*, capitis tegumentum, fuiſſe explicatum. Qui nunc, ex iis quæ hactenus a nobis allata ſunt, lubentes, ſpero, agnoſcent, & originem & uſum vocis, tam apud Miſchnicos Doctores & Targumiſtas, quam apud Arabes, poſtulare, ut eam proprie de *pallio* accipiamus, licet minori & breviori, totum tamen tergum operiente, quod & humeris appendi, &, quoties placeret, capiti imponi, poſſit; quale fere a recentioribus Judæis טלית appellatur. Superimpoſitum itaque fuit omnibus reliquis veſtimentis, ipſique pallio majori, jamjam decenter amicto, injectum. Quare & nunc evidens eſt ratio, cur Jeſajas τοῖς רדידים ultimum in Catalogo ornamentorum muliebrium locum aſſignarit. Neque minus patet, cur Cant. V. 7. Sponſa ſe τῷ רדיד ſuo potius, quam ulla alia veſte, ſpoliatam narret. Nempe id ſumebatur, ut vidimus, a foeminis foras prodeuntibus; &, quia extimum erat veſtimentum, facilius, quam quodcunque aliud, poterat detrahi.

De

De materia horum palliolorum non eſt quod multa dicamus. Nullum eſt dubium, eam potuiſſe eſſe ſuperbiorem. Probabile eſt, quod eadem fuerit quæ palliorum, iiſdemque fere ornamentis inſignis. Qua de re cum ſupra ad מטפחת ſatis dictum ſit, eo Lectorem remittimus.

V. Apud Romanas mulieres *palliola* in uſu quoque fuerunt. Juvenal. Sat. III. 194. *Palliola Romanarum & Græcarum.*

— — vel Dorida nullo
Cultam palliolo.

Martialis IX. 33, 1.

Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur.

Addatur Fl. Vopiſcus in Bonoſ. cap. ult. *Tunicas palliolatas hyacinthinas ſubſericas; tunicam auro clavatam ſubſericam librilem unam, interulas dilores duas, & reliqua, quæ matronæ conveniunt.* Ad quem locum videatur Cl. Salmaſius. Idem Vopiſcus in Aureliano cap. 4. mentionem quoque facit *pallioli* muliebris *purpurei.* Quod & capiti tegendo inſervieriint *palliola*, inde colligitur, quod tegumenta, quibus ægroti caput obvelabant, *palliola* appellarint. Ovid. de Arte, I. 733.

Arguat & macies animum; nec turpe putaris,
Palliolum nitidis impoſuiſſe comis.

Suetonius in Claudio cap. 2. *Ob hanc eandem valetudinem — palliolatus novo more præſedit.* Alias Romani pallium brevius & exterius etiam vocarunt *Amiculum*, quod a *Palliolo* in eo diverſum fuiſſe videtur, quod nunquam capiti, ſed non niſi humeris, imponeretur. Differt profecto a *Palla*, ſeu pallio muliebri, uti conſtat ex Livio, Lib. XXVII. cap. 4. *M. Atilius, & Manius Acilius Legati Reginæ Cleopatræ dona tulere, pallam pictam, cum amicu-*

lo purpureo. Foeminis quoque adſcribit Curtius, V. I. 38. *Foeminarum convivia ineuntium in principio modeſtus eſt habitus, dein ſumma quæque amicula exuunt.*

Græci *palliolum* variis appellarunt nominibus. Frequenter ἱμάτιδιον vocatur, quod hoc ſenſu bis apud Pollucem proſtat, & foeminis adſcribitur ab Ariſtoph. in Plut. 986. Dixerunt etiam ἐπωμὶς, quod Suidas ait eſſe εἶδος περιβολαίου, *ſpecies amiculi.* Id a Polluce Lib. VII. Segm. 49. muliebri ornatui accenſetur. Inde etiam ἐπωμίδιον dixerunt, quod eſt apud Athenæum. Item ἡμιφάριον, quod eſt ἥμισυ ἱμάτιον, *dimidium pallium*, ut habet Suidas, ideo quod brevius eſſet, & ſolum tergum operiret. Adde ἀμπεχόνιον, quod Polluci eſt μικρὸν περίβλημα, *parvum amiculum.* &c. Sufficiat hæc indicaſſe. Omnium enim uſum ac formam indagare, nimis nunc foret prolixum.

C A P V T X X I I.

Quo reliqua Jeſajæ Cap. III. *ad ornatum muliebrem ſpectantia explicantur.*

I.

Argumentum Capitis.

Ad finem perducta noſtra expoſitione veſtimentorum muliebrium, quorum ſatis longum Catalogum Jeſajas Propheta contexuit, in portum nunc provehi licuiſſet, niſi adhuc alia quædam, quoque ad foeminarum ornatum & cultum facientia, apud Eundem reſtarent, quæ a nobis, in hoc argumento nunc occupatis, eo minus quod non omni careant difficultate, debent intacta prætermitti. Continentur ea in Capitis Tertii Verſibus XVI. XVII. & XXIV. Illi jam pertractata a nobis Veſtimentorum Nomina præcedunt, hic ſequitur. Quibus exponendis & illu-

luſtrandis præſens Caput deſtinavimus, in quo methodum hactenus adhibitam ſervabimus quidem, ſed ita tamen, ut brevitati, quantum fieri poteſt, conſulamus.

II. Verſu XVI. primo loco ſe offerunt verba: *Dixit* De Voce גבהו *Jehova:* יען כי גבהו בנות ציון *Ideo quod ſuperbiant filiæ Tſionis.* Vis orationis ſita in voce גבהו, quæ eſt a גבה *altus* & *elatus* fuit. Sunt qui eam non niſi ad *animum* referant, ejusque ſuperbam intelligant *elationem*, & *faſtum*, quo quis ſupra alios ultra modum ſe *effert* & *extollit*; quo ſenſu occurrit Zeph. III. 11. & frequens eſt phraſis גבה לבו *extulit ſe*, *& ſuperbivit*, *cor ejus*, ut Pſalm. CXXXI. 1. 2 Chron. XXVI. 16. XXXII. 25. &c. Alii vero de *corpore* intelligunt, & diverſimode iterum. Abarbanel accipit de ſtudio foeminarum, corporis ſtaturam reddendi *proceriorem* per calceos cothurnatos. שהיו מגביהות גופן למעלה ע״י נעלים גדולים *corporis ſtaturam elatiorem reddere ſtudebant*, *ope altiorum calceorum.* Paulo aliter Doctores Talmudici phraſin exponunt in Tract. Joma fol. 9. col. 2. שהיו מהלכות ארוכה בצד קצרה *Ambulabat foemina altioris ſtaturæ juxta aliam minoris.* Ut nempe illa major videretur. Id ineptiſſimum. Minus etiam commode quidam accepere de *ſuperbo* & *faſtoſo inceſſu.* Nam de eo deinceps loquitur Propheta. Piſcator ſignificari putat, *quod caput inter ambulandum extollerent*, *ex ſuperbia ſcilicet.* Ita fere & Doctiſſ. Belgæ. Cui interpretationi favet, quod Thema גבה proprie ſit *altifrontem* eſſe, uti conſtat ex Arabica Dialecto, ubi اجبه ſignificat eum qui *alta lataque fronte præditus*, & גבהה جبهة ipſam *frontem* notat. Commendant quoque hanc ſententiam verba, quæ ſequuntur, נטויות גרון. Niſi forte ſatius ſit dicere, Verbum גבה ſignificatum hic gerere ampliorem, & tam animi faſtum & ſuperbiam, quam externa ejus in corpore indicia, omnemque luxum, ac nimium

Digitized by Google

mium ſe ornandi ſtudium, exprimere. Sunt enim hæc ſibi invicem connexa, & ſub generaliori Themate, quale eſt illud נבה, commodiſſime comprehenduntur. Confer, ſi placet, Jeſ. II. 11. 17. Pſalm. CI. 5. Ezech. XVI. 50 &c.

De vocibus נטויות גרון. III. Specialius nunc recenſet Propheta varios corporis geſtus æque ac ornamenta, animi elati & ad luxuriam proni, indicia. Quorum primum eſt: ותלכנה נטויות גרון *incedunt collo extento*, & *in altum erecto*. Vocem גרון *guttur* ſignificare conſtat ex Pſalm. V. 10. LXIX. 4. CXV. 7. Jeſ. LVIII. 1. & Ezech. XVI. 11. Hac gutturis *extenſione* caput erigebant, vultumque altius attollebant Hebrææ mulieres, quod ſuperborum eſt & altos ſpiritus gerentium; uti e contrario vultus demiſſus, modeſtiæ ſignum. Recte igitur Abarbanel: היו נטויות גרון להגביה ראשן *Guttur extenderunt & erexerunt, ut caput altius elevarent*. A quo non differunt hæc Kimchii: רבותינו פירשו מהלכות בקומה זקופה *Rabbini noſtri banc dant explicationem, quod inceſſerint foeminæ ſtatura erecta*. Reſpicit ad Tract. Joma l. c. ubi hæc habentur.

De phraſi משקרות עינים. IV. Plus difficultatis eſt in phraſi, quæ nunc ſequitur, ומשקרות עינים. Ipſa lectio vocis משקרות a quibusdam in controverſiam vocatur; nempe utrum ejus litera (ש) punctum gerat in latere dextro, an in ſiniſtro? Qui priorem adoptarunt lectionem, facile quidem ſe extricarunt. Tum enim vocabulum, ut quivis videt, ad Radicem שקר pertinet, quæ frequentis eſt uſus in Sacro Codice & indubii ſignificatus. Notat *mentiri*, vel *fallere* aliquem. Unde Montanus: *fallentes oculis*. Forſterus: *fallaces oculis*. Similiter Piſcator, annotans, ſignificari: *fallaci nutu oculorum præ ſe ferentes laſciviam*. Et Doctiſſ. Belgæ, in Textu habentes: *ende loncken met de ooghen*, in Gloſſis notant, verba Hebræa proprie ſonare: *bedrieghende*

ghende met de ooghen. Et Cl. Coccejus dat : *oculis mentientes.* Sed obſtat huic ſententiæ , quod præſtantiſſimi quicunque Codices, & Impreſſi & MSti , quorum aliquis ab ipſo Cl. Coccejo in Lex. ad h. v. laudatur , legant משׂקרות per *Sin* , non per *Schin*. Recte igitur Munſterus: *Scribitur hic* משׂקרות *cum Smol , non cum Jamin. Perperam igitur vertunt qui interpretantur* oculis mendacibus. Sentiens hanc difficultatem Forſterus, ita eam tollere conatur: *Nec te moveat* , inquit , *quod Sin ſiniſtrum ſcriptum eſt* , *quia aut oſcitantia Scribarum accidit* , *aut Propheta ſtudio voluit mutare vocem* , *ut ſignificaret teneritudinem & mollitiem foeminarum in erudiendis oculis.* Sed uti prius ſtatuere periculoſum, ita alterum Propheta indignum eſt & indecorum. Quare & ex recentioribus vix aliquem reperias, qui huic opinioni ſubſcripſerit.

Qui autem vocem משׂקרות legunt per *Sin* , uti par eſt, inter ſe de vocis ſignificatu non conſentiunt, ſed in duas ſententias, admodum diverſas, diſtrahuntur. Nimirum quia Radix שׂקר non niſi in unico hoc loco ſuperſtes eſt, Viri Eruditi Chaldæam Dialectum in ſubſidium advocarunt, ubi Radix סקר, quam contulerunt, duas diverſas gerit notiones. Nam *primo* ſignificat *Intueri*, *Conſpicari*, *Aſpicere*, quo ſenſu Hebræo שזף reſpondere ſolet. Deinde etiam, *Fucare*, *Fuco* vel *Stibio oculos vel faciem pingere*, *& colorare.* Nullum quidem mihi dubium eſt, duas haſce notiones in primaria origine conſpirare , quam Arabum سكر ſubminiſtrare poteſt; ſed eam evolvere nunc nimis foret prolixum. Quemadmodum vero utraque illa notio hic apud Jeſajam locum habere poteſt ; ita & utraque ſuos nacta eſt Patronos. Poſteriorem prætulit Chaldæus Interpres, qui dat : ומסרבקן עינן אזלן *ſtibio fucatis oculis incedunt.* Quem ſequuntur Talmudiſtæ , Tract. Joma

Digitized by Google

Joma l. c. habentes דהוו מליין כוחלא עיניהן *oculis ſuis ſtibium inducebant.* Aliique Rabbinorum non pauci. Raſchi: צובעות עיניהם בסיקרא ובכחול *tingebant oculos ſuos minio, quod* סיקרא *appellatur.* Similiter Abarbanel: רוצה לומר שהיו כוחלות עיניהן בסקרא ובכחול *ſenſus eſt, foeminas minio,* סקרא *dicto, oculos coloraſſe.* Quos ſequutus inter alios Lutherus, habens: *mit geſchminckten angeſichten.* Neque recentius Jeſajæ ætate inventum eſſe morem delicatiorum foeminarum, ſtibio oculos pingendi, conſtat ex 2 Reg. IX. 30. ubi de Iſebele Regina: ותשם בפוך עיניה *impoſuit fucum oculis ſuis, & ornavit caput ſuum.* Ad quem locum videantur, quæ H. Grotius ex antiquis monumentis annotavit. Adde Jerem. IV. 30. תקרעי בפוך עיניך *laceras fuco oculos tuos.* Conf. ad h. l. Cl. Schlichter. in Decimis Sacr. Obſ. V. p. 79. ſ. Ad oculos refert & Ovid. de Arte lib. III. 203.

Nec pudor eſt oculos tenui ſignare favilla,
Vel prope te nato, lucide Cydne, croco.

Sed non minori probabilitate ſe commendat altera ſententia eorum, quibus prior Chaldæi סקר ſignificatus *intuendi, & oculis vagandi,* arriſit. Hanc jam tenuere veteres Alexandrini Interpretes, qui habent: Καὶ ἐν νεύμασιν ὀφθαλμῶν, *nictationibus oculorum.* Quos reliqui ſequuti. Vulgatus: *& nutibus oculorum ibant.* Arabs: بغمز العيون, & Syrus: ܒܪܡܙܐ ܕܥܝܢܐ *nictationibus oculorum.* Sed & Rabbinorum nonnulli hanc amplexi ſunt ſententiam. Kimchi in Jeſaj. ſimul ſpeciale quid exhibere tentans: כלומר רומזות להם עיניהן שילכו אחריהן לבית *ſenſus eſt, foeminas oculorum nictationibus viris ſignificaſſe, ut ipſas domum ſequerentur.* Et in Libro Radic.

כלומר

כלומר מחדדות אותם ורומזות בהם ותרגם עין שזפתו עינא דסקרתיה *Significatur, foeminas oculos identidem compreſſiſſe, ut viris aliquid innuerent. Nam Chaldæus Targumiſta pro exprimendo Hebræo* שזף, *Job.* XX. 9. *adhibet Verbum* סקר. Adde Job. XXVIII. 7. ubi hoc סקר Hebræo שזף iterum reſpondet. Idem Kimchi citat etiam locum ex Bereſchit Rabba Sect. XVIII. ubi Eva dicitur fuiſſe סקרנית *ſpeculatrix*, & omnium rerum *curioſa obſervatrix*, oculis quaquaverſum *vagans*. Similiter Aben-Eſras ait משקרות idem eſſe ac המסתכלות הרבה *oculis multum vagantes.* Mentionem facit hujus interpretationis etiam Abarbanel: או יהיה ומשקרות עינים שהיו קורצות בעיניהן כנגד הבחורים *Vel phraſis* משקרות עינים *ſignificare poteſt, quod foeminæ verſus juvenes oculis nictaverint.* Noſtratium vero quam plurimi huc conceſſerunt. Uti Vatablus: *Oculis vagantibus*. Pagninus: *Innuentes oculis.* Jun. & Trem. *Nutantes oculis*, i. e. *ſuis nictationibus laſciviam ſuam facientes palam.* Omitto alios quam plurimos. Solus adhuc nominandus Celeb. Vitringa, qui indolem Thematis paulo curatius explicavit. Ait: שקר עינים *eſt* oculis nutantibus, *& vagis, ſupercilio modo elato, modo depreſſo, luminibus dextrorſum, ſiniſtrorſum retortis, vanitatem cogitationum & deſideriorum prodere, ac* laſciviam: *quod vitium hic præcipue notatur.* Hæc oculorum volubilitas in ſolutæ laſciviæ foeminis quam maxime obſervatur. Notabilis in hanc rem eſt locus Nonni, lib. XXXIV. vſ. 28.

— ἐρωμανέων δὲ γυναικῶν
Νεύμασι ποιητοῖσι τύπον μιμήσατο κούρη,
Ὄμματα δινεύουσα.

Inſanientium amore mulierum
Mores puella nutibus ſimulatis imitabatur,
Oculos circumagens.

Si-

Similiter a Petronio illis adſcribitur *oculorum mollis petulantia*; Ab Horatio *oculi lubrici*, & ab A. Gellio *ludibundi*, eodem ſenſu appellantur. Sic ſupra Cap. 6. ex Abou-Thibo habuimus: مراة *foemina oculis micans*, quæ & mox dicitur, *tum demum demittere vultum*, *quando peplus tremulus cohibet viſum.*

Duæ igitur hæ diverſæ explicationes, pari fere jure gaudentes, de palma poſſunt decertare. Quæ cuinam ex mea ſententia deferenda ſit, pene ambigo decernere. Unicum eſt argumentum, quo poſterior præ priori ſe mihi commendat. Nempe tam præcedens phraſis: *Incedunt* foeminæ *extento & erecto gutture*, quam ſequens proxime: *Minutis paſſibus utendo incedunt*, exprimunt *externos* foeminarum *geſtus*, proterviæ, laſciviæ, & mollitiei, argumenta. Quare Textui congruentius videtur, ut quoque phraſin משקרות עינים potius de quodam corporis *geſtu*, nempe *nutibus* & *nictationibus oculorum*, quam de *ornamento* quodam, quale eſt *ſtibium oculorum*, accipiamus. Addendum etiam hoc in favorem ejusdem ſententiæ, quod ipſa adhuc clarius ex Arabica Dialecto, quam Chaldæa, adſtrui poſſe videatur. Nam سكر in Conj. II. (quæ Conj. Pihel Hebræorum, ex qua eſt משקרות, reſpondet) ſignificat *clauſit oculos*, demiſſis ciliis, & hinc, *præſtrictos reddidit* oculos, uti & Cl. Golius annotavit. Non aliunde notio *nictandi* & *vagandi* oculis facilius potuiſſet emanare.

Sequuntur nunc phraſes: הלוך וטפוף תלכנה *eundo & minutis paſſibus utendo incedunt*; & ברגליהם תעכסנה *in pedibus ſuis compedes geſtant.* Sed de utraque ſupra jam ſatis diximus. De illa Cap. VIII. Sect. V. de hac Cap. I. Sect. V.

De phraſi שפח קדקד. V. Pergimus ad vſ. XVII. ubi primo ſe offerunt verba: ושפח אדני קדקד בנות ציון. Vocabulum קדקד ſat fre-

Digitized by Google

frequens in Scriptura; nec dubitatur id *Verticem* capitis denotare. Origo non ſita in *inclinando*, ut putant, unde, ſolemni formula, *inclinavit verticem*, ad exhibendum alteri honorem; nam hæc notio ſecundaria eſt, ab ipſo Nomine aſſumta: ſed in *ſecando* & *tondendo capillum*, qui uſus apud Arabes in Themate قذّ קדד aſſervatur; unde derivarunt مقذّ pro مقذذ *Pars capitis a vertice ad cervicem.* Plura vide apud Celeb. Schultens, in Clav. Dial. p. 320. 321. Eſt itaque קדקד vera ſedes capillorum, in quibus comendis & exornandis haud exiguum collocatur foeminarum ſtudium. Præcipue autem videtur Propheta hic intelligere comam in altum aggeſtam & exſtructam; ita ut omnes capilli in vertice contrahantur, & concumulentur. Cum hoc קדקד conſtruitur verbum שִׂפַּח *Sippach.* Id ἅπαξ λεγόμενον eſt, & in unico hoc loco ſuperſtes. Græci reddiderunt: Καὶ ταπεινώσει ὁ Θεὸς ἀρχούσας θυγατέρας Σιών· *humiliabit Deus principales filias Sionis.* Videntur קדקד figurate accepiſſe pro *Principe*, quia *vertex* ſuprema corporis pars eſt. Sequuti illos Syrus & Arabs. Haud multo aliter Chaldæus: וישעביר יי יקרת בנת ציון *Deprimet Dominus gloriam filiarum Tſionis.* Hanc interpretationem vocis שׂפח per *deprimere*, etiam recentiorum nonnulli albo calculo notarunt. Quos inter eſt Forerius in Jeſaj. qui ait: *Dicere poſſumus* humiliabit, *i. deprimet, cum Chaldæo. Ab hoc enim Verbo* שפח *deducitur nomen Hebræis frequens* שפחה, *quod* ancillam *ſeu* famulam *ſignificat. Et recte opponitur poena culpæ. Erecta enim cervice & extento gutture incedebant.* Fateor hunc ſenſum non ineptum fore. Sed nullo modo probari poteſt illa notio *deprimendi* & *humiliandi*, niſi forte auctoritate antiquarum Verſionum. Vox שִׁפְחָה, ad quam provocat Forerius, huc non pertinet. Non enim eſt a שִׂפַּח per *Sin*, quod hic habemus, ſed a שָׁפַח per *Schin*, cui il-

Dd d 2 lum

Digitized by Google

lum ſignificatum competere, probari iterum non poteſt. Quamobrem plerique Interpretes noſtrum שִׂפַּח retulere ad Radicem ספח, (ס) cum (שׂ) alternante. Inde eſt ספחת & מספחת *ſcabies*, Lev. XIII. 2. 6. 7. 8. & XIV. 56. Unde Jeſajam ſic expreſſerunt: *ſcabie afficiet Dominus verticem filiarum Tſionis.* Kimchi in Jeſaj. כתוב בשי״ן והוא ענין ספחת אמר במקום שהיו מתגאות בו תהיינה נספחות *Significatio ducenda a voce* ספחת ſcabies, *quamvis* שפח *per* Sin *ſcribatur. Dicit* Propheta, *foeminas in illo loco, in quo ornamentis potiſſimum ſuperbiebant, ſcabie laboraturas.* Conſimiliter Abarbanel in Jeſ. הוא לשן ספחת ונגע כי השי״ן והס״מך מתחלפות כמו בשורי מהם והצרה לומר שינגע קדקדן כדי שלא יוכלו להתגאות בראשן ולא בשעריהן *Significatur* ſcabies *&* lepra, ספחת *dicta. Literæ enim* Sin *&* Samech *ſæpe permutantur; quemadmodum Hoſ.* IX. 12. בשורי *ſcribitur pro* בסורי dum ego recedo. *Senſus itaque eſt, foeminarum verticem plaga lepræ afficiendum fore, ne ornamentis capiti vel comæ appoſitis ſuperbirent.* Hos ſequuti Vatablus, Montanus, Junius & Trem. Piſcator, &c. Aliis tamen magis placuit, שִׂפַּח reddere per *decalvare*, quia *calvities* cum *ſcabie* capitis fere conjuncta eſſe ſolet. Sic Pagninus, Munſterus, Calvinus, Caſtalio, & multi alii, quos inter eſt etiam Celeb. Vitringa, qui tamen notionem *ſcabiei* non plane excludit; ait enim, *Vatem noſtrum adhibuiſſe vocem* שִׂפַּח, *quia* ſcabies *præter* calvitiem *adfert* deformitatem majorem, *facitque, ut evulſis capillis non facile alii ſuccreſcant.* Senſum hunc opportuniſſimum eſſe nemo iverit inficias, quamvis in verbo שִׂפַּח plane alia poteſtas, & recondita emphaſis, agnoſcenda mihi videatur. Quam ut proponamus, paucis præſtruendum, quod primaria ſignificatio Thematis שִׂפַּח in *defluendo*, &, uſu Tranſitivo, in *effundendo*, ſit collocanda,

da. Id probamus ex Arabica Dialecto, quæ Thema ſ سفح שׂפח hoc uſu frequentat. Cl. Golius: *Effudit* aquam, ſanguinem. Suntque hujus notionis etiam in Scriptura quædam veſtigia. Quo pertinet מִשְׂפָּח Jeſ. V. 7. quod non notat *ſcabiem*, ut pleríque putant, ſed *effuſionem ſanguinis* violentam & injuſtam; quare & opponitur proxime præcedenti מִשְׁפָּט *judicium*; eumque uſum ſpecialem illud سفح apud Arabes quoque admittit. Sic in Alcor. eſt Sur. VI. 146. دم مسفوح *ſanguis effuſus*. Et سفّاح abſolute notat *Effuſorem ſanguinis innocentis*, *Tyrannum*. Videſis Celeb. Schultens in Animadv. ad V. T. Jeſ. V. 7. Eademque poteſtas *effundendi* etiam in Themate ספח apud Hebræos obtinuit. Unde intelliges Job. XIV. 19. *Petras comminuunt aquæ*, תשטף ספיחיה עפר ארץ *inundant effuſiones earum pulverem terræ.* Inde etiam ספחת *ſcabies* nomen potuit invenire. Phraſis itaque noſtra: ושׂפח ארני קדקד בנות ציון ſic mihi videtur reddenda: *Defluere faciet Dominus verticem filiarum Tſionis.* Quilibet ſentit, figuratam hanc eſſe phraſin, qua prædicitur *decalvatio* capitis, & comæ, qua mulieres ſuperbiebant, ablatio. Sed rationem, ob quam Propheta hoc præciſe Verbum שׂפח adhibuit, hanc fuiſſe exiſtimo, quod reſpexerit ad muliebres *Tutulos*, פארים appellatos, ſeu ornamenta capitis ſublimiora, in *vertice* aggeſta, & in altum cum *tumore ebullientia*; uti ſupra Cap. VII. prolixe docuimus, hanc eſſe ejus vocis Hebrææ proprietatem. Senſus itaque eſt, futurum eſſe, ut ſublimis foeminarum coma non amplius in altum *ebulliat*, ſeque extollat, ſed de capite dejiciatur & *defundatur*, nihilque crinium maneat ſuperſtes; ſimulque ſuperba capitis ornamenta auferantur, atque caput tam coma quam tegumen-

Digitized by Google

to nudum relinquatur. Quæ capitis nuditas & calvities uti foeminis delicatis graviſſima eſt & indecora, ita omne genus ignominiæ, dedecoris, inopiæ, ac miſeriæ, in mulieres luxui deditas poenæ loco immittendum, vividiſſime depingit. Solemnis enim Veterum erat conſuetudo, in graviori & acerbiori luctu abjiciendi capitis ornamenta, & comam vel tondendi vel evellendi etiam; uti ex ipſa Scriptura ſatis notum. Utrumque apte conjunxit Athenæus lib. XV. p. 675. *In luctu* κολοβοῦμεν ἡμᾶς αὐτοὺς τῇ τε κουρᾷ τῶν τριχῶν, καὶ τῇ τῶν στεφάνων ἀφαιρέσει· *Decurtamus nos tonſis capillis & abjectis tutulis.*

De phraſi יערה פות.

VI. Sequuntur nunc: ויהוה פתהן יערה *Jehova pudendam earum denudabit.* Ita recte præſtantiſſimi quique Interpretes. Vocabuli פות origo in Sacris non ſupereſt. Repetenda itaque ex Arabiſmo. Ubi فوت vel فات פות notat *elabi*, & hinc, *præterire*, *fugere*, ut attingi non poſſit. Inde ductum Nomen فوت eſt *intervallum* & *interſtitium*, ſpatium, quod duas res intercedit; *cum quid quam proximum: pec. ita ut attingi tamen nequeat*, elabaturque *petenti*, uti Cl. Golius annotavit. Sic obſervante Gjeuhario, فوت inter alia ſignificat *interſtitium inter duos digitos*. In Alcorano eſt Sur. LXVII. 3. *Deus creavit ſeptem coelos* من تفاوت *per interſtitia*, ita ut ſpatium inter ſingulos intercedat. Vid. & Elmac. p. 209. & Ebn Tophail in Epiſt. p. 110. Etiam de *intervallis temporum* uſurpatur. Bohad. Hiſt. Sal. p. 5. *In obeundo Ramadani jejunio* فانه كان عليه منه فوايت بسبب امراض *hiatus nonnulli inciderunt propter morbos.* Hinc itaque apparet ratio, cur פותות *cardines* notet *januarum*, 1 Reg. VII. 50. curque idem Nomen translatum fuerit ad *pudorem muliebrem* honeſte deſignandum. Per cujus denudationem violentam inferenda foeminis graviſſi-

viſſima & intolerabilis plane ignominia denuntiatur. Vid. Jeſaj. XLVII. 3. Nah. III. 5. Jerem. XIII. 22. Ezech. XVI. 37. XXIII. 10. 26. Nullum dubium eſt, intendere Prophetam, quod futurum ſit, ut illæ, quæ tanta ornamentorum inutilium mole ſuperbiebant, ab hoſtibus ſint quibuscunque veſtimentis, etiam iis quibus opus eſt ad tegendas corporis partes, quas naturalis pudor & muliebris verecundia obvelare jubet, ſpoliandæ, nudæque in exilium abducendæ. Hic enim mos erat ferocium & barbarorum hoſtium, ut ſuperatas bello gentes nudatas veſtibus in triumpho ducerent; uti conſtat ex Jeſaj. XX. 4. Addatur & Poëta Arabs:

انا الاضبط السعدي جاء بجيشه
فيا رب خود مجتلاة على لبد *

Quando Adbathus Sadæus acceſſerit cum exercitu ſuo,
O quot puellæ veſtibus nudatæ ſuper ephippio in captivitatem *abripientur.*

VII. Specialius nunc, inde ab initio commatis XVIII. *De Vocibus* בשם & מק Propheta hanc ignominiam, deditas ſuperbiæ, luxui, & mollitiei, foeminas manentem, exequitur, & veſtes quascunque, tanto in pretio & deliciis habitas, auferendas & ab hoſte diripiendas eſſe, denuntiat. Ut autem immodicum ejus temporis luxum eo fortius perſtringat, pro orationis ſuæ copia & facundia, propria quorumvis ornamentorum veſtiumque nomina ſigillatim recenſet. Qua in re occupatur inde a vſ. XVIII. usque ad finem vſ. XXIII. Quæ tota Pericopa cum a nobis jam prolixe expoſita ſit in præcedentibus hujus Tractatus Capitibus, pergendum nunc ad ea quæ ſuperſunt vſ. XXIV. ad muliebrem cultum ſpectantia. Ibi primo comparet: תחת בשם מק יהיה *Loco aromatis tabes erit*. In verbis nulla difficultas. Hieronymus reddens, *Erit pro ſuavi odore foetor*, ſenſum quidem, nec

Digitized by Google

nec tamen plene, expreſſit. Vocabulum בשם genus quoddam *aromatis* eſt vel *unguenti* odorati. An *opobalſamum* ſit, ut poſt Cl. Coccejum ad Cant. V. 1. plerique exiſtimant, nunc non diſquiro. Hoc certum eſt, quod בשם non tantum inter *arida* fuerit *aromata* (quo ſenſu memoratur קנה בשם *calamus aromaticus*, Exod. XXX. 23.) ſed & eo nomine appellaverint *unguentum* eximiæ ſuavitatis, quod ex gutta vel ſucco emanante parabatur; ut facile patebit loca Biblica inſpicienti. Hic unguentum omnino intelligendum eſſe, ex oppoſito מק colligitur. Illo mulieres delicatæ quam maxime delectabantur, & non tantum caput, ſed & totum fere corpus, ipſasque veſtes, largiter imbuebant, ut ex Scriptura non minus quam aliis Scriptoribus jam abunde notum. Vocula מק, quæ huic בשם a Propheta opponitur, *tabem* notat, corporis vigorem ſucceſſive exedentem. Vid. Zach. XIV. 12. Jeſ. V. 24. Unde ratio oppoſitionis obſcura eſſe non poteſt. Nam quemadmodum unguenta, corpori illita, ejus vigorem conſervare & augere, cutim lævigare, nitentem reddere, & ſuaviſſimo odore perfundere, ipſumque animum reficere & recreare, debebant; ita e contrario *tabes* non tantum omne genus morborum, languorum, vulnerum & cruciatuum exprimit divinitus immiſſorum, quibus abſumitur corpus, depaſcitur, laceratur, & computreſcit, ſed & omnem moerorem, ægritudinem, & conſternationem, qua animus frangitur & conficitur.

De Vocibus חגורה & נקפה.

VIII. Pergimus ad phraſin: תחת חגורה נקפה. In qua exponenda non conſentiunt Interpretes. Græci exhibent: *ἀντὶ ζώνης σχοινίῳ ζώσῃ*. Sequutus Vulgat. *pro zona funiculus*. Nec aliter Arabs & Syrus. Sed inepte hi omnes; nam notio *funiculi*, quam voci נקפה tribuunt, nullo gaudet fundamento. Multum inde differt Chaldæus: ואתר דהואה אסרן פסיקיא יהי רושמין דמחא *in loco ubi*

zonas

zonas ligabant, *erunt ſtigmata percuſſionis.* Hunc ſenſum & Hebræorum Magiſtri adoptarunt. Kimchi : יהיה הבשר נגוע ומוכה שלא יוכלו לחגור עליו *Caro erit vulnerata & plagis lacerata*, *ita ut non poſſint zona ſe cingere.* Senſus potiſſimum a vocabulo נקפה dependet. Thematis נקף poteſtatem Noſtratium plerique in *deſtringendo* collocarunt. Unde putant hic ſignificari, quod veſtes *zona* corpori *adſtrictæ* ſolvendæ ſint, *deſtringendæ* & detrahendæ. Aliis placuit per נקפה intelligere veſtes *diſſolutas*, & *laceros pannos.* Sic Cl. Coccejus : *pro cinctu*, *panni.* Et Cl. Vitringa : *pro cinctu*, *lacerum.* Sed vereor ut hic ſenſus parum vel nihil differat ab eo quem deinceps dabunt verba: תחת פתיגיל מחגרת שק. Peropportune nunc accidit, quod Celeb. Schultens Orig. Tom. I. p. 329. huic Themati נקף integrum Caput deſtinarit, & clariſſimam lucem affuderit. Probavit ibi Vir Magnus ex uſu Thematis נקף نـغـف apud Arabes, primariam ejus poteſtatem ſitam eſſe in *diffractione capitis*, *cum cerebri comminutione*; eamque notionem ſingulis locis Scripturæ, in quibus Hebræum נקף reperitur, apprime convenire, clariſſime oſtendit. Quam Thematis proprietatem & in vocabulo נקפה commodiſſime admitti, nemo dubitaverit. *Continet* enim, ut verbis utar Viri modo laudati, p. 333. *quicquid atrocitatis cogitari poteſt*, *veſtimenta dilacerata*, *crines vulſos*, *capita cruentata*, *cæterumque deſperationis horrorem.*

Neque obſtat, quod huic נקפה opponatur חגורה; quod alias de *cinctura zonæ* uſurpari ſolet. Thema enim חגר, unde illud nomen deſcendit, ſignificatum habet generalem, atque, ut exempla docent paſſim in Scriptura obvia, non de ſola *zona*, ſed & quibuscunque veſtimentis, quibus vel corpus, vel corporis aliquod membrum, *cingitur*, efferri poteſt. Quare nihil eſt quod prohibeat, quo

Eee mi-

minus חגורה in hoc loco de *vitta*, muliebri capitis *cinctura*, accipiamus; quamvis hic uſus ob penuriam antiquorum monumentorum expreſſa auctoritate nequeat confirmari. Notum eſt, *vittæ* paſſim adſcribi, quod *cingat* caput. Silius lib. XVI.

Cinguntur tempora vitta Albenti.

Achill. I. 611.

Cinxit purpureis flaventia tempora vittis.

Virg. Aen. VI. 665.

Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.

Seneca in Medea, 803.

Paſſos cingit vitta capillos.

Non minus itaque amplam ſignificationem cum & Hebræum חגר olim geſſerit, nullum ſupereſt dubium, vocem חגורה de *cingulo capitis* æque ac *femorum*, potuiſſe uſurpari. Sic evidens eſt oppoſitionis ratio: *in locum cincturæ capitis ſuccedet cruenta capitis contuſio.*

De vocibus מקשה *&* קרחה.

IX. Non minor difficultas eſt in tertio hujus commatis membro: תחת מעשה מקשה קרחה. In definiendo vocis מקשה ſignificatu præcipue laboratur. In eo quidem conveniunt omnes, quod, cum קרחה *calvitiem* notet *capitis*, oppoſitionis leges poſtulent, ut illa de *Capitis*, & in ſpecie *crinium*, quodam ornamento accipiatur. Sed quale hoc ſit, & quænam ſit denominationis ratio, certo determinari non poteſt. Radicem קשה notionem gerere *duri*, *rigidi*, & *ſolidi*, nemini ignotum. Præcipue animum attendunt Interpretes ad vocem מִקְשָׁה, quæ ſolet reddi per *opus ſolidum*,

dum, quatenus opponitur *excavato*, Gallice *maſſif*. Frequenter occurrit in deſcriptione Moſaica vaſorum ſacrorum. v. g. Exod. XXV. 18. 36. XXXVII. 17. 22. & alibi. Quia autem in hiſce locis de *auro* ſermo eſt, plerique Interpretes per Jeſajæ מעשה מקשה ornamentum capitis intellexere *auro ſolido* inſtructum. Ita LXX. Καὶ ἀντὶ τοῦ κόσμου τῆς κεφαλῆς τοῦ χρυσίου, φαλάκρωμα ἕξεις διὰ τὰ ἔργα σου. Similiter Arabs: وعوض زينة روسهن بالذهب يكون لك قرع *pro ornatu capitis aureo erit tibi calvities.* Dubium tamen, utrum ornamenta hæc capitis velint tota fuiſſe ex auro ſolido, an vero ex quadam faſcia cui aurum illuſum. Illud cum moribus Veterum, hoc cum ſignificatu, qui alibi voci מקשה adſcribitur, non ſatis convenit. Plauſibilior paulo eorum videtur ſententia, qui per hoc מעשה מקשה *opus capillitii* intelligunt *implexi* & *intorti*, quo crines in *cincinnos*, & hi rurſus inter ſe invicem, arctiſſime contorquentur, in unum complexum compinguntur, & in *ſolidam* quaſi *maſſam* conſtipantur. Ita fere Junius & Trem. *loco operis pexi calvitium.* Et Doctiſſ. Belgæ: *ende kaelheyt in plaetſe van hayrvlechten.* Cl. Coccejus in Lex. *Pro coma bene compoſita, ut opus ſolidum referat, erit calvities.* Neque aliter Cl. Guſſetius in Comm. L. H. p. 762.

Singularis eſt Cl. Vitringæ ſententia, nempe per מקשה hic notari *ſcobem* ſive *ramenta ſolidi auri*, aut *auroſam arenam, qua caput bene comtum aſpergebatur, ad radios ſolis eleganter fulſurum.* Teſtimoniis veterum, quæ Vir Doctiſſ. de hoc more adduxit, liceat adjicere Fl. Joſephum, Antiq. Jud. lib. VIII. cap. 2. in hiſtoria Salomonis: Ψῆγμα γὰρ χρυσίου καθ' ἡμέραν ἀυτῶν ἐπέσηθον ταῖς κόμαις, ὡς στίλβειν ἀυτῶν τὰς κεφαλὰς τῆς ἀυγῆς τοῦ χρυσίου πρὸς τὸν ἥλιον ἀντανακλωμένης. *Ramentis auri comam quotidie conſpergebant, ut, ſplendore auri ad radios ſolares reflexo, caput fulgeret.*

 Cum

Digitized by Google

Cum fere neſcirem, quidnam in hac ſententiarum varietate ſtatuendum eſſet, Celeb. Schultens benevole me monuit, de ſignificatu vocis admodum probabili. Nempe Radicis Hebrææ קשה notionem *duri* & *ſolidi* non niſi ſecundariam eſſe, primariam vero eſſe illam *radendi*, quam Arabes in Themate قشا, a Gjeuhario per قشر *raſit*, *decorticavit*, declarato, conſervarunt. *Durum* enim eſſe, quod *raſile*. Inde מעשה מקשה proprie eſſe *opus raſile*. Conſimiliter in Exodo, locis cit. hanc phraſin ſignificare, vaſa ſacra ſolerter fuiſſe *radenda*, & *expolienda*. Hic apud Jeſajam valde veriſimile eſſe, *ramenta* deſignari aurea, comæ inſperſa, (ut vidimus ſentientem Cl. Vitringam) maxime ob illum Joſephi locum, quem Vir Summus mihi quoque ſuggerebat. Simul tamen addens, poſſe etiam forte *comam* deſignari bene *pexam*, & unguentis *delibutam*, ac *lævigatam*, ut quaſi *raſa* & *polita* appareret. Nihil hiſce adjiciam, cum ſemet ipſa magis commendent, quam verbis a me fieri poteſt. Quæ breviter ex ore Viri Celeb. retuli, Ipſe, ſpero, alicubi plenius demonſtrabit.

De vocibus פתיגיל & מחגרת ש.

X. In phraſi, quæ nunc ſequitur, תחת פתיגיל מחגרת שק, *loco zonæ erit cinctura ſacci*, vel, ſi mavis, *cilicii*, non diu hærebimus. De voce enim פתיגיל jam ſupra meam aperui ſententiam, Cap. IX. Sect. V. & obſervavi, eam denotare *zonam muliebrem*, compoſitam vero videri ex פתיל *faſcia*, & גול vel גיל *obire*, *cingere*. Quod illi ſuccedere debebat שק *cilicium*, ſignificare *anguſtum*, *ſordidum*, & *vilius*, *tegumenti genus*, nemini ignotum.

De phraſi כי תחת יופי.

XI. Claudunt tandem hanc pericopam verba: כי תחת יופי. Vocula כי turbavit Interpretes, quorum varias ſententias ſtudioſe collegit Celeb. Vitringa, quem videſis. Sola approbationem illa meretur, quæ iſtam dictionem a The-

Themate כוה *uſſit*, *aduſſit*, derivat, & per *uſtionem* interpretatur. Ei quidem lis mota, an forma vocis hanc derivationem admittat, cum illius litera (י) in Themate iſto non compareat? Sic Aben-Eſras, qui vocem כי, ut plures alii, pro particula accipit: אחרים אומרים שמלת כי מגזרת כוה וכמהו אף ברי שהוא מגזרת רוי ואינו נכון בדקדוק כי ו״ו כוה שורש *Sunt qui ſtatuant vocem* כי *eſſe a Radice* כוה, *& ſimili forma gaudere dictionem* רי, *Job.* XXXVII. 11. *quam a Themate* רוה *deducunt*; *ſed hoc Analogiæ Grammatices repugnat*; *nam litera* (ו) *in* כוה *radicalis eſt*. Sed recte urſit hoc exemplum vocis רי ab Aben-Eſra allatum Cl. Vitringa, quamvis fateatur, formam hanc eſſe inſolentiorem. Putat tamen, ob ſummam cognationem, quæ intercedit inter literas (ו) & (י) illam in hanc *ἀναλόγως* mutari potuiſſe. Ego non dubito, & ipſum hoc (י) eſſe radicale, non vero per arbitrariam quandam literarum permutationem in locum ꝰ (ו) ſubſtitutum. Nam כוה proprie & originaliter ſonat כוי. Ultima enim *He*, quoties *quieſcens* eſt, non eſt radicalis, ſed euphoniæ gratia pro (ו) vel (י) ſubſtituitur. Quod ipſum prolixe demonſtravit, & extra dubitationis aleam collocavit Celeb. Schultens in Clav. Dial. p. 209. & in Inſtit. ad Fund. Ling. Hebr. Reg. 132. Itaque a כוי *Cavaj* ductum nomen כוי *Cevi*, formæ מעיל; unde mox, media (ו) in quietem data, aſſumtum כי. Neque hujus formæ plura deſunt, ut putatur, exempla. Nam præter רי *rigatio*, Job. XXXVII. 11. quod eſt a רוה vel רוי, conſimiliter etiam אי *Inſula*, eſt ab אוה vel אוי; & עי *acervus*, ab עוה vel עוי; & צי *ariditas*, itemque *navis*, a צוה vel צוי. Quod ſi forte adhuc aliquid ſcrupuli alicubi reſideat, certus ſum, Arabum Dialectum id prorſus eſſe exemturam. Hi enim non tantum Thema ſuum كوي כוי, eodem quo Hebræi, *urendi* ſignificatu frequentant,

ſed & eadem prorſus ratione, ut hi כי, ita & illi كي, כי, pro *Aduſtione*, extulerunt. Sic Interpres Arabs Lev. XIII. 24. واي انسان كان في جلده كي نار *omnis homo, in cujus cuti fuerit aduſtio ignis* (כי); & mox: ثم صار جزو الكي بقعة *deinde pars aduſtionis* (הכי) *facta fuerit macula*; & vſ. 25. برص انتشر في الكي *lepra extendit ſe in aduſtione* (הכי). Hebræus Textus habet מכוה. Et Interpres Pentateuchi Erpenianus, Exod. XXI. 25. كي بدل كي *aduſtio pro aduſtione.* In Hebræo eſt כויה. Dicunt & כיה كية *Locus cauterio uſtus.* Iterum uti ab Hebræo רוי eſt רי, ſic & Arabes a ſuo روي *rigavit*, formarunt ري *rigatio.* Poëta Arabs:

يا ريها من بارد قلاص

Heus rigationem ejus ex aqua frigida ſcaturiente.

Eſtque hæc forma Nominum Arabibus frequentiſſima non tantum, ſed & perpetua. Dabimus quædam exempla. Ab اوي אוי *recepit ſe* ad aliquem locum, eſt اي אי. Ab حوي חוי *collegit*, حي חי. A زوي זוי *veſtivit ſe*, زي זי. A شوي שוי *aſſavit*, شي שי. A ضوي צוי *macilentus fuit*, ضي צי. A طوي טוי *convolvit*, طي טי. Ab عوي עוי *torſit* capillum, عي עי. A قوي קוי *deſertus fuit* locus, قي קי. A لوي לוי *flexit*, لي לי. A نوي נוי *pinguis fuit*, ني ני. &c. Cur itaque non & vocem כי a Themate כוי formatam eſſe agnoſceremus?

Ele-

Digitized by Google

Elegantem ſimul & Textui aptiſſime convenientem hic ſignificatus dat oppoſitionem, qua *aduſtio* in locum *conſummatæ pulchritudinis* (hæc enim emphaſis eſt vocis יופי, ductæ a Themate יפה Arab. وفي *plenus*, *conſummatus* fuit) dicitur ſucceſſura. *Aduſtionem* Interpretes quidem intelligere ſolent *faciei*, quæ fit per *calorem ſolis*. Sic Junius & Trem. Piſcator, Belgæ, Angli, Grotius, & quotquot noſtrum כי a כוה deduxerunt. Sed mihi hic ſenſus nimium videtur exilis. Multo enim levior foret hæc poena, faciei per calorem ſolis adurendæ, quam omnes aliæ, quarum mentio præceſſit; cum tamen potius probabile ſit, interminationem ultimo loco collocatam, reliquis eſſe graviorem. Accedit, quod Thema כוה in Sacris nunquam de *aduſtione*, quæ per *ſolis calorem*, ſed de ea quæ per ignem, vel prunas, vel cauterium, fit, accipiatur. Similiter & Arabibus كوي eſt *cutim uſſit cauterio*; ſive id jam fiat ad amburendum vulnus quoddam; ut in Adagio dicunt: يكوي البعير من يسير الداء *cauterio uritur camelus ob exiguum vulnus*; item: من كوي على داء لم يكره *qui cauterio uritur ob vulnus, non debet abhorrere*; ſive, ad aliquem doloribus excruciandum; Hiſt. Tam. p. 217. 218.

بعد ان عاقبوه بانواع العقاب وكووه وسقوه
الماء والملح وبالكلس والنار شووه

Poſtquam eum variis ſuppliciorum generibus ſubjecerunt, cauteriis aduſſerunt, aqua ſalſa potarunt; & in calce & igne aſſarunt. Et p. 320. ubi Auctor ferociam militum Timuri deſcribit:

وكووا جنوب قد جفت عن طيب
المضاجع والظهور

La-

Latera & terga hominum ex ſuavibus lectis protractorum cauteriis aduſſerunt.

Hanc itaque vim *adurendi cauterio* etiam in noſtro כי reſidere nullus dubito. Significat nempe Propheta, in locum pulchritudinis, quam delicatulæ mulieres affectabant, ſucceſſura *ſtigmata*, ab hoſtibus crudelibus & irritatis cuti *inurenda*, faciem totumque corpus plane deformatura.

F I N I S.

I N-

I N D E X

LOCORVM S. SCRIPTVRAE,

Qui citantur, & illuſtrantur.

G E N E S.

Cap.	vſ.	Pag.
II.	8.	149
—	12.	201
III.	21.	237. 238
IX.	4.	150
—	21.	307
XII.	13. 14. 15.	89
XX.	16.	89
XXIV.	15. 16.	89
—	22.	60. 120. 187. 198. 200. 202
—	30.	120. 187
—	47.	187. 191. 198. 202
—	65.	89. 369. 377
XXIX.	9.	89
XXX.	41.	131
XXXV.	4.	52. 187. 199. 202
XXXVII.	3.	245
XXXVIII.	14.	90. 369. 377
—	15.	90
—	18.	180. 185. 227
—	25.	180
—	28.	131
XLI.	42.	180. 185
XLII.	35.	289
XLV.	22.	208
XLIX.	22.	122

E X O D.

Cap.	vſ.	Pag.
VII.	21.	151
VIII.	9.	100
XV.	4.	179
XXIII.	12.	143
XXV.	18.	403
—	27.	147
—	36.	403
XXVIII.	11.	181
—	40.	102
XXIX.	6.	363
—	9.	102
XXX.	23.	400
XXXI.	17.	143. 148
XXXII.	2.	52 55. 187. 200
—	4.	277. 285. ff. 293
XXXV.	22.	180. 185. 187
XXXVII.	17. 22.	403
XXXIX.	28.	102

L E V I T.

Cap.	vſ.	Pag.
VIII.	9.	363
—	13.	102
XIII.	2. 6. 7. 8.	396
XIV.	40. 43.	210. 213
—	56	396
XVI.	4.	364

Cap.	vſ.	Pag.
XVII.	21.	150
———	14.	150
XXV.	43.46.53.	379

NUMER.

Cap.	vſ.	Pag.
V.	21.22.27.	98
XI.	7.	201
XV.	38.	268
XXXI.	50.	60.117.120

DEUTERON.

Cap.	vſ.	Pag.
IV.	19.	30
VI.	8.	131
XII.	23.	150
XIV.	25.	289
XVII.	3.	30
XXI.	13.	268
XXII.	5.	268
———	12.	275
XXV.	9.	210.212
XXVIII.	56.	130
XXXII.	24.	327

JOS.

Cap.	vſ.	Pag.
II.	18.21.	131
VII.	21.	219

JUDIC.

Cap.	vſ.	Pag.
V.	4.	126
VII.	2.	100
VIII.	21.	33.36.40.43
———	24.25.	187.198.200
———	26.	33.36.39.46. 49.55.73
XIV.	12.13.	339.ſ.352.358
———	19.	208.213

RUTH.

Cap.	vſ.	Pag.
III.	3.	155
———	15.	248-251.264
IV.	7.8.	210.212

1 SAM.

Cap.	vſ.	Pag.
III.	11.	247
XVII.	6.	78
———	49.	179

2 SAM.

Cap.	vſ.	Pag.
I.	9.	22
–	10.	60-62. 117. 119. 120
–	24.	219
II.	21.	208.213
V.	24.	116
VI.	13.	126
XIII.	18.	233 238.245.267
XV.	17.	147
XVI.	14.	143
XXII.	20.	211
———	43.	380

1 REGUM.

Cap.	vſ.	Pag.
VI.	32.	373
VII.	15.	285.288
———	29.	373
———	50.	398
VIII.	28.	322.332
XVIII.	32.	147
XX.	38.	95.113
———	41.	95.113
XXI.	8.	180

Digitized by Google

2 REGUM.

Cap.	vſ.	Pag.
II.	8.	268
V.	22.	208
—	23.	208
		278.284.290
IX.	30.	390
XII.	11.	285.289
XVIII.	4.	176

1 CHRON.

Cap.	vſ.	Pag.
XIV.	15.	116
XV.	27.	268.275

2 CHRON.

Cap.	vſ.	Pag.
XXVI.	16.	389
XXXII.	25.	ibid.

ESTH.

Cap.	vſ.	Pag.
I.	6.	109 336
III.	10.12.	180
VIII.	1.8.10.	180
—	15.	268.275.336

JOB.

Cap.	vſ.	Pag.
XIV.	19.	397
XVIII.	14.	126
XXVIII.	18.	201
XXIX.	14.	267
		362.365
XXXVIII.	14.	180
XLI.	12.	150
—	20.	75
XLII.	11.	187.200

PSALM.

Cap.	vſ.	Pag.
XLIV.	6.	379
XLV.	9.	146
—	10. 14.	219
—	15.	221
LX.	5.	62.66.80
LXV.	14.	231
LXVIII.	8.	126
LXXII.	16.	245
LXXIII.	6.	231
CVII.	5.	232
CXVI.	8.	211
CXXXI.	1.	389
CXXXIX.	5.	288
CXLIV.	2.	378

PROV.

Cap.	vſ.	Pag.
I.	14.	296
III.	15.	201
IV.	23.	143
VII.	8.	126
—	17.	146
—	20.	289.296
—	22.	1.9.10
VIII.	21.	202
XI.	22.	188
		191.198
XXV.	12.	187
XXX.	4.	289
—	29.	126
XXXI.	10.	202
—	17.	137
—	22.	243
		333.336
—	24.	339. ſſ.
		352.358

Cap.	vſ.	Pag.

E C C L E S.

Cap.	vſ.	Pag.
X.	11.	164

C A N T.

Cap.	vſ.	Pag.
I.	10.	197
—	12.	152. 155
IV.	10.	155
V.	3.	238
—	7.	368. 369. 386
VII.	2.	42

J E S A I.

Cap.	vſ.	Pag.
III.	3.	164. 178
—	16–24.	per totum libr.
IV.	1.	268
V.	7.	397
VIII.	1.	277. 280. 293
X.	15.	100
XIV.	6.	379
XIX.	9.	321
—	10.	151
XX.	4.	399
XXII.	18.	363
—	21.	242
XXVIII.	5.	106
XLII.	14.	153
XLIV.	9.	288
—	12.	120
—	23.	99
XLV.	1.	378
—	9.	288
XLVI.	6.	296
XLVII.	2. 3.	307
XLVIII.	13.	248. 254. 256
XLIX.	3.	99
—	18.	136. 137. 139
LI.	17. 22.	62. 66. 80
LIV.	12.	32
LXI.	3.	102
—	10.	103. 267
LXII.	3.	362. 364. 365
LXIII.	6.	379

J E R E M.

Cap.	vſ.	Pag.
II.	32.	132–134. 139
IV.	30.	390
VIII.	17.	164
X.	3.	120
—	5.	123
XXII.	24.	184
XXXVIII.	6.	179

T H R E N.

Cap.	vſ.	Pag.
II.	9.	232
—	20. 22.	248. 254. 259
IV.	7.	72

E Z E C H.

Cap.	vſ.	Pag.
I.	27.	147
VI.	11.	380
XIII.	18. 21.	266
XVI.	9.	155
—	10.	102. 221. 324
—	11.	60. 120
—	12.	52. 187. 191. 198
—	13. 18.	221
—	37.	307
XXI.	24.	62
—	31.	365
XXIII.	42.	60
XXIV.	17.	102. 106
—	23.	101. 107
XXV.	6.	380

Cap.	vſ.	Pag.
XXVII.	7.	243. 333
—	16.	336
—	24.	221. 268. 276
XXIX.	15.	379
XXXIV.	4.	379
XLIV.	18.	101. 102

DANIEL.

III.	21.	268
V.	5. 24.	245
VI.	18.	180
—	19.	142

HOSEA.

II.	15.	187
V.	6.	214
IX.	12.	396

NAHUM.

II.	4.	62. 64. 66. 67. 71. ff.

HABAC.

III.	12.	126

ZEPHAN.

III.	11.	389

ZACHAR.

III.	4.	206. 207. 209. 225
—	5.	362. 365
XII.	2.	62. 66. 80

MATTH.

V.	40.	268

Cap.	vſ.	Pag.
X.	9.	301
XXVI.	9.	146
XXVII.	59.	340. 357

MARC.

VI.	8.	301
XIV.	51.	350. 352. 356
XV.	46.	340. 357

LUCAS.

VI.	29.	268
XVI.	19.	336
XVII.	8.	242
XXIII.	53.	340. 357

JOHAN.

XIX.	2.	268
—	40.	340
XX.	5. 6. 7.	340
XXI.	7.	242. 360

ACTOR.

XII.	8.	242

ROM.

I.	23.	177

1 COR.

XI.	10.	374

JACOB.

II.	2.	183

APOC.

I.	13.	242
XVIII.	12.	336

Digitized by Google

INDEX

VOCUM HEBRAEARUM,

Quæ explicantur & illuſtrantur.

Pag.

א.

אדם *rubuit*. Item *canduit*, *fulſitve*; quæ videtur primaria notio. Nam in *rubore* eſt *fulgor*.
מאדם *candefactus* clypeus. al. *rubefactus*.
אדם gemmæ ſpecies, a *lucidiſſimo fulgore* ita appellata. 72
אדר in origine eſt *tumuit*. Hinc *magnificus fuit*, & *illuſtris*. Hinc
אדיר *magnificus*. Unde
אדרת *pallium*; quia veſtis eſt *honoratiorum*, & *nobiliorum*. 268
אפיליון Rabb. eſt Latina vox *Palſium*. 269
אפונדה *interula*, Rabb. Eſt a Græco ἐπενδύτης. 359
אפר *tumuit*, *bullivit* olla. In qua origine convenit cum פאר. 95
Notiones, quæ apud Arabes inde emanarunt, exponuntur. 96
Inde eſt
אפר *tiara ſublimior*, & in altum *intumeſcens*. 113. 114. 115

ב.

ב Particula, ſæpe notat *ad* vel *ſupra*. ut נזם באף *ad*, vel *ſupra*, *naſum*. 198
בגד *veſtis* ſumitur & pro *ſtragula lecti*. 227
בדלח pleriſque *bdellium*; juxta Bochart. *margarita*. 201
בוס *calcavit*; figurate ſumitur pro *ſubegit*, *ſubjecit*, alterum, eique *dominatus eſt*. 379
בות & בית *pernoctavit*. Unde
בית *domus*, cum ſuo Plur.
בתים, qui tamen forte a בנה. 122
Sumitur etiam pro *vaſe*, ſeu *vaſculo*, *ſpatiove* quo quid *reconditur*. 147. 148
בתי הנפש *domunculæ odoris*. h. e. *olfactoriola*. 147. ſſ.
ברוש *fraxinus*, metonymice *haſtam* notat. 76
בשם *aroma* non tantum *aridum*, ſed & *unguentarium*. 400

ג.

גבה *altifrons fuit*. Hinc *caput* ex ſuperbia *extulit*. Transfertur ad *animum* æque ac *corpus*. 389
מגבעת *tiaræ* Sacerdotum, formam hå-

Digitized by Google

Pag.

habuere *faſtigatam* & metalem. Dictæ videntur a גבעה *collis*; juxta alios a כובע *galea*. 102

גול & גיל primario notat *cingere*, *obire*. Unde Hebræorum notio *exultandi* (a ducendis ſcil. choreis) emanavit. 138

גלה proprie eſt *terſit*, *deterſit*. Hinc *nitidum*, & *politum* aliquid *reddidit*. 294

Inde quoque uſurpatur pro *nudare*, *revelare*. 306. 307

גליונים (Giljonim) itaque ſunt *veſtes nudantes* corpus, h. e. *pellucidæ*. 306. ſſ.

גליון (Gillajon) vero eſt *tabula* bene *terſa*, *raſa* & *polita*. 294

גלל *volvit*, *involvit*. Unde eſt

גולא &

גלהא apud Rabb. *Pallium*, cui ſe *totum* quis *involvit*. 269

גלם *involvit*, *convolvit*. Inde iterum eſt

גולמא &

גלימה *Pallium*. 268

גרר *traxit*. Unde

גרון *guttur*, a *trahendo*, ut videtur, *Spiritu*. 390

ד.

דור Arab. *rotundum eſſe*, *gyrari*. Unde

דור (non כדור, & perperam ad כדר refertur) *pila*. 363

דוש propr. *calcavit*, figurate eſt

Pag.

imperium in aliquem *exercere*. 379

דרך ſimiliter eſt *calcare*; metaphorice, *ſubigere* aliquem, eique *dominari*. *ibid.*

ח.

חבש *circumligavit* capiti *faſciam*. 102

חגר *cinxit*. Unde

חגורה quod alias de *cinctura zonæ* vel *veſtium* accipitur, ſumi etiam poteſt pro *cinctura capitis* muliebri, ſ. *vitta*. 402

חכה Arab. *nectere*, *firmiter adſtringere*. Inde ortum videtur

מחכיא Chald. *Fibulæ*, vel *Vincula*, quibus veſtis *conſtringitur*. 279

חליטא Chald. non notat *olfactoriolum*, ſed *monile*. 164

חלף *mutavit*. Unde

חליפות *mutatoriæ veſtes*. 209

חלץ primario eſt *extraxit*. 210. ſ.

In ſpecie *extraxit veſtes*. 213

חליצה *veſtis* hoſti *detracta*. 208. 213

חלץ מהם *ſubtraxit ſe ab illis*. 214

חלוץ eſt *miles* ad expeditionem *ſelectus* & *extractus*. 210. 211

Inter ſecundarias notiones eſt illa, *induendi veſtem ſplendidam*, & *pretioſam*, ab *extrahendis ſ. exuendis* vilioribus veſtimentis. 214. 215

מחלצה hinc illuſtratur, notatque

Digitized by Google

Pag.

que *chlamydem pretioſiorem*, in ſpecie *plumatam*, *auroque inſignem*. 215. ſ.
Uſurpatur & pro *veſtibus aureis* Pontificis Hebræorum. 225

חלק *levis* & *mollis* fuit.
חלוק *interula*, a *mollitie* ita dicta. 358
Sumitur etiam pro *tunica exteriori*. 359

חפץ proprie eſt *inflecti*, *inclinari*, & hinc *benevolum* eſſe, *delectari*, q. *animo inclinari*. 230

חרז *perforavit*, & *perforatas* in *ordinem compoſuit* margaritas.
חרוז *monile colli*, *ex margaritis pertuſis*, & *in filum conſertis*. 197

חרט Thema Hebraiſmo ex Arabia reſtituitur. Ubi notat *Decorticare*. 291
hinc *Tornare*. 292
Sculpere. *ibid.* & 293
Conoides aliquid efformare. 294
conſtringere loculum. 296
חרט *ſtilus ſcriptorius*, vel *ſculptorius*. 277
כתב בחרט *ſcripſit ſtylo*. 293
item *marſupium*, *loculus*, quia *conoides*. 295
צרר בחרט *ligavit in marſupio*. 285. ſ.
חריט idem, ſcil. *marſupium*, in ſpecie a foeminis ad ornatum geſtatum. 284. ſ.

חתם *obſignavit*.
חותם *annulus ſignatorius*. 180

Pag.

ט.

טבע *impreſſit in materiam mollem*. Hinc *infixus*, *immerſus fuit*, *ſubſidit*. 179
Item apud Arab. *obſignavit*; *impreſſit ſigillum in ceram*. 180
טבעת propr eſt *ſigillum*; & hinc *annulus ſignatorius*. 179
Latiori uſu pro quocunque *annulo* uſurpatur. 180. 181

טפח *latus*, *laxus*, & *amplus*, *fuit*. 255
Tranſ. *expandit*, *dilatavit*. 255. 256
ימיני טפחה שמים *dextra mea expandit coelos*. 248. 254. 256
טפח *palma*, quia *latior pars* eſt *manus*. 248. 254. 256. 257
טפח *comploſit manus*. 255. 257. 258
item *abſterſit palma*. 258
nec non *geſtavit* & *tractavit palmis* infantem. 248. 254. 259
עללי טפחים *infantes*, *qui palma adhuc geſtantur*. 248. 259. 260
טפיח *patina*, *vas latius*. Unde in Themate notio *ſe lavandi* & *humectandi* aſſumta. 258
מטפחת eſt *veſtis laxa* & *ampla*, i. e. *pallium*. 263
Sumitur & pro quovis *panno latiori*, & *ampliori involucro*. 264. 265

טפף *agilis fuit*, *movit agiliter manus* & *pedes*. Hinc, *agiliter*, *minutisque paſſibus*, *inceſſit*. 127
טפוף הלכנה *foeminæ minutis paſſi*.

Digitized by Google

Pag.
paſſibus utendo incedunt. 127
טף *parvuli*, ab *agilitate* ita dicti. *ibid.*

כ.

כבל *compes*, etiam ad ornatum geſtata. 12
כובלת *globulus balſami*, ſ. *olfactoriolum.* 156
כבן Chald. *ligavit.* Unde
כבינה *vinculum*, *ligamen*, quod vero alii per *theriſtrum* exponunt. 369
כוה *uſſit*, *aduſſit.* 405
in ſpecie *cauterio.* 407
כי (pro כוי) *uſtio.* 405. ſ.
non *Solis*, ſed facta *cauterio*, ad inferendum cruciatum. 407
כידן *lancea*, non notat & *clypeum.* 78
כליד *torques*, regiæ dignitatis inſigne, ab Arab. קליד, a קלד *tortſit.* 46. 47
כרבל *amicivit* ſe pallio. Unde
כרבלה videtur eſſe *pallium.* 268
כרך *involvit.* Unde
תכריך *pallium*, quia ei ſe totos *involvunt.* *ibid.*
כרפס *aulæum.* origine Perſicum. 109
כתן Arab. *adhæſit*, in ſpec. *veſtis nudæ carni.* Unde ductum videtur
כתנת *tunica*, *interior veſtis.* 237

ל.

לחש eſt *lingere* in origine. Item *muſſitare*, *incantare*, & *ſubmiſſa voce loqui.* 164
quæ notio ob *continuum* & *celeriorem linguæ motum* ab illa *lingendi* ſubnata. 178
Eſt etiam *leni*, *ſubmiſſo*, & *blando*, *ſermone* aliquem *permulcere.* Unde Nomen
לחש pro *facundia linguæ*, & *ſuavi alloquio*, poſitum. *ibid.*
לחשים poſſet quidem *amuleta* denotare, ab illa notione *incantandi*; 168
ſed, cum Thema proprie notet *lingere*, 171
& in ſpecie de *ſerpentibus linguam exerentibus* adhibeatur, 172
atque ideo לוחש Arabibus, abſolute poſitum, *ſerpentem* notet; 174
potius לָחִשׁ *Lambens*, pro *ſerpente*, & Plur. לחשים *ſerpentum* vel *anguiculorum* imagines denotat, a fœminis & amuleti, & ornamenti, loco geſtatas. 175

מ.

מזה eſt *extraxit*, & *extrahendo* aliquid *extenuavit.* Quo ſignificatu convenit cum משה. 327
מזי רעב *extracti*, i. e. *extenuati fame.* *ibid.*
מעיל *pallium*, utrum ſit a מעל *occulta prævaricatione*, an vero ab Arabico עיל *honeſte*, *graviter*, *vel etiam ſuperbe*, *inceſſit*, inter ſe non conſentiunt Eruditi. 267
Non niſi honoratioribus & illu-

Pag.
ſtrioribus perſonis adſcribitur. *ibid.*
Sumitur etiam pro *Tunica*. 233
משה *extraxit*, & hinc *rarum* & *tenue* aliquid *reddidit*. vid. modo מזה. Etiam *laxavit* Arabibus; quibus
משיה eſt *ſubtilis & tenuiſſima textura*. 327
משי Hebræor. hinc deductum videtur *ſericum* denotare. 325. ſ.

נ.

נזם Thema Hebraiſmo reſtituitur. Notat *ordinare*, *certaque ſerie conjungere margaritas*, *eas trajiciendo per filum*. 194
נזם inde deductum *lineam* ſignificat *margaritarum*, quæ vel ſupra naſum ſuſpendebantur. 197
quales ſunt
נזמי האף Jeſajæ. *ibid.*
vel auribus applicabatur. 200
Quo ſenſu נזמים dicantur fuiſſe *ex auro*. 202
נטף *ſtillavit*. 46
נטיפה *inauris*, ita dicta, quia in aures *guttarum* inſtar de auribus *deſtillare*, vel *ſtillaturæ guttæ* pellucidam & oblongam figuram exprimere, videtur. 50. ſ.
נפח *flavit*, *ſpiravit* ventus, & hinc *diffudit odorem ſuum*, *fragravit*, aroma; &
נפחה *bonus odor*, *fragrantia*. 153
נפש ſimiliter primario notat *ſpirare*, *reſpirare*. In Niph. *recipere halitum* quiete, & hinc *quieſcere*, *ceſſare a labore*. 148
נפש vulgo *Anima*, proprie eſt *reſpiratio*, *halitus vitalis*, per os naresque reciprocatus. Metonymice tamen & *Animam* exprimit *rationalem*. 149. 150
Eadem vox & *odorem* notat, a *ſpirando* & *exhalando* ſcilicet. 150. ſ.
אנמי נפש *ſtagna odoris*, vel fortiter *olentia*. 151
בתי הנפש *domunculæ odoris*, i. e. *olfactoriola*. 147. 155
נקף *diffregit & contudit caput cum cerebri comminutione*. Unde
נקפה *diffractio capitis* &c. 401
נשם *flavit*, *ſpiravit*. 152
Hinc *ſpiravit odor*, resve *ſuavem odorem exhalavit*. 153
נשמה *Anima*, propr. eſt *reſpiratio*. 152

ס.

סדן Thema Hebraiſmo reſtituitur. Notat: *laxare*, *demittere*, *veſtem ſuam*. 345
סדין. Non eſt a σινδὼν Græcorum. 343
Sed hoc potius ab illo derivatur. 348
proprie veſtem, non materiam, notat. 350. ſ.
& quidem *interulam*, ſ. *tunicam interiorem*. 354. ſ.
סהר *Luna*. Eſt ab Arabico שהר, *vigilavit* vid. in lit. (ש) Inde etiam eſt
סהר *carcer*, locus cui *advigilatur*. 42. 43
non eſt a notione *rotundi*, Thema-

Digitized by Google

Pag.

mati סדר vulgo adſcripta. 42

ספח *adjunxit, adhæſit.* Unde
מספחות *vela capitis*, ita dicta, quia capiti *inhærent*, & *conſtanter adjuncta ſunt.*
— etiam ſcribitur pro שפח *effudit*, quod vide in lit. (ש)
Ex iſto ſuperſunt
ספיחים *effuſiones aquarum*, &
ספחת *ſcabies*, propr. *effuſio* ſcil. humorum in cutem. 397

ע.

עגל *compactus*, & hinc *rotundus*, fuit. Unde
עגיל *inauris*, propr. *globulorum*, aliquod genus, quos appendere veteres auribus ſolebant. 53

עטף in origine eſt *flectere*, *inflectere.* 229
Arabes & ad animum transferunt; tumque notat *propenſum*, & *bene affectum* eſſe erga aliquem. 230
Item *accommodavit* & *applicuit* ſibi *veſtem exteriorem*, per varios ſcil. *flexus* eam *obliquando.* 231
Figurate notat *deficere animo*, ejusve *deliquium*, aut *ſyncopen*, *pati*; q. d. *veſtibus obrutum*, totumque *opertum*, ut ſine ullo motu decumbat. Huc pertinet
נפשם תתעטף *anima eorum tota operitur.* &
עטופים ברעב *operti*, i. e. *deficientes*, *fame.* 232
מעטפה *veſtis* eſt *majoris generis*, *totumque corpus cooperiens*, & per multos *flexus* corpori *applicata.* 231. 232

Pag.

in ſpecie *Stola*, *Tunicave amplior*, *exterior*, & *talaris.* 234

עכס *flexit.* Thema ex Arabia in Hebraiſmum revocatur. 5
notat & *reflectere*, *invertere*, *pervertere*, *flecti in ſpiram.* 6. 7
item, *vinculo* per plures *flexus* & *nodos* circumducto, aliquid *conſtringere* & *revincire.* *ibid.*
in ſpecie *ligare compede*, (quia ea pedi *circumflectitur*) & *compedire* camelum. 8
עכס *conſtrictio*, qua funis jumenti pedi *circumflectitur*, ut ſubigatur. 9. 10
עכסים *compedes*, etiam ad ornatum geſtati. 11
ברגליהם תעכסנה *pedibus ſuis compedes* geſtant. *ibid.*

עכשוב *aſpis*, eſt a præc. עכס *flexit*; in ſpecie *flexit ſe in ſpiram*, viperæ more. 7

עמס *calcavit*, figurate *dominium* in aliquem *exercuit.* 379

עצד Arab. *fulcivit.*
עצד *brachium*, quaſi *fultor.* 119
Huc revocatur
אצעדה *brachii ornamentum*, *armilla.* prioribus literis, euphoniæ gratia, transpoſitis. 120
מעצד *inſtrumentum enſiforme*, *quo arbores cæduntur.* *ibid.*

פ.

פאר proprie eſt *tumuit.* Hinc *bullivit* olla. 95
Apud Hebræos inde ſuperſtes eſt in Conj. 3. notio ſecundaria *ornandi.* 98
התפאר *glorioſum ſe exhibuit*, etiam

Pag.

etiam *glориatus eſt*, q. d. *intumuit* faſtu. 99

התפאר עליו *intumuit ſuper aliquem*, eſt *eo ſe majorem & digniorem jactitavit.* 100

פאר eſt *capitis ornamentum*, & quidem *diadema*, ſ. *faſcia capiti circumliganda.* 100

forma ſublimiori, faſtigata, & quaſi *intumeſcente*, unde ducta denominationis ratio. 103

Virile פאר longa fuit faſcia, capiti ita circumvoluta, ut paulo in altum ſurgeret. 104

ſed muliebre tenuiori conſtabat tænia, quæ crinibus intorquebatur, & ſic in altum per gradus digerebatur. 105. ſ.

quem ornatum Romani una voce *Tutulum* appellabant. 104. 105

צפירת תפארה *ſuggeſtus comæ decoris*, ſ. potius *tumoris*, h e. *intumeſcens*, & ſublimis. 106

פות Thema Hebraiſmo reſtituitur. Notat *elabi*, *præterire*, ut attingi nequeat.

פות *intervallum*, *interſtitium*, ſpatium, quod duas res intercedit; *cum quid quam proximum: nec. ita ut attingi tamen nequeat.* Unde transfertur Nomen tam ad *cardines januarum*, quam ad *pudorem muliebrem* honeſte ſignificandum. 398

פונדה Rabbinis *loculum* ſ. *marſupium* notat; eſtque *Funda* Latinorum. 299

Diſtinguendum ab

אפונדה quod *interulam* ſignificat. 359

Pag.

פנין *margaritam* notare Cl. Bochartus oſtendit. 201

פס *pars*, *fruſtum.*

כתנת פסים *tunica fruſtorum*, ſ. *ſegmentorum.* Quam putant ex multis fruſtis aut particulis compoſitam. 245

vel tunicam fuiſſe manicis longioribus inſtructam. 246

Sed potius tunica fuit *limbos* & *ſegmenta*, פסים dicta, habens adſuta. *ibid.* ſ.

פקרס vel אפקרס vel

פיקריסין, vel

אפיקריסין, imo &

פרקס & אפרקסותא Rabbinis *interulam* notant. 359. 360

פרגודא eſt *veſtis limbum* habens extremæ oræ *adſutum.* Unde eſt Latinorum *Paragauda.* 246

פרך *contrivit cum diffractione & comminutione.* 379

פרך vulgo *violentia*, proprie *contritio.* Unde

רדה בו בפרך *calcavit in eum cum contritione.* h. e. ſævum imperium in eum exercuit. *ibid.*

פתיגיל *zona pretioſior.* Compoſita vox ex פתיל *funiculus*, *faſcia*, & גיל vel גול *obire*, *cingere.* 137. 138. 404

פתל *torſit*, *intorſit.*

פתיל non tantum *filum* notat, ſcil. *contortum*, ſed & *funiculum*, aut *faſciam.* 138

A Judæis etiam pro *ſudario* uſurpatur. 227

Pag.

צ.

צבה *tumuit*. ut
צבה הבטן *intumuit venter*. Unde
צבי propr. *tumor*, figurate pro *decore*, *ornatu* & *gloria* uſurpatur. 98
צור *formare*. Uſurpatur tantum pro *dare alicui materiæ rudi formam quandam externam*. 285. 288
Item ex צרר *ligare in loculo*. 285. 289. 290
ציד *piſcatus eſt*. Unde
צידן *Sidon* urbs, a *piſcium* ubertate. 343
צלל *tinnivit*. Verbum ὀνοματοπεποιημένον. Convenit cum Arab. צלן. 347
צמד *alligavit*, *copulavit*.
צמיד *ligamen* ſ. *vinculum* manus. *armilla*. 60
צנף *Volvit*, *rotavit*. 363
צנוף יצנפך צנפה כדור *rotando rotabit te rotatione*, *inſtar pilæ*. *ibid.*
In ſpecie *circumvolvit* capiti faſciam. 364
צניף *capitis* eſt *tegumentum*. 362
& quidem ex *faſcia*, quæ capiti *circumvolvitur*. 363. ſ.
צניף מלוכה eſt *faſcia candida*, olim Regum *Inſigne*. 364
צניף muliebris *vitta* eſt, crinibus continendis inſerviens. 365. ſ.
מצנפת eſt faſcia ſacerdotalis. 303. 364

Pag.
uſurpatur etiam pro *diademate regio*. 365
צעד proprie eſt *ſuperbe* & *compoſite incedere*. 121
Unde ſubnata notio *aſcendendi*, quæ ſuperſtes in phraſi:
צעדה עלי שור *aſcendunt ſupra murum propagines*. 122
Frequentior eſt uſus *incedendi*; nec tamen ſimplex *inceſſus* notatur, ſed vel elegantior, ſuperbus, lentus, æqualis, mollis, & compoſitus, vel magnificus, validus, & terrificus. 123. 126
תצעד ארץ *proculcas terram* ex indignatione. 126
תצעידהו בלהות *gradiuntur in eum terrores*. *ibid.*
צעד *greſſus elegans* & *decorus*. *ibid.*
צעדה *inceſſus*. 116
צעדות ſunt *catenulæ crurales*, quibus foeminæ greſſum dirigebant, & modulabantur, cumque compoſitum reddebant, & delicatum. 124. 126
אצעדה *armilla*. 117
an nomen duxerit ab *armilla cruris*, quam ab *incedendo* dictam putant? 118. 119
ſed pertinet potius ad Thema עצד, facta literarum tranſpoſitione. 119–121
צפר *torquere* funem, *plectere* comam. (Differt a צפר *ſibilavit*, unde צפור *avis*, a *ſibilando*; illud enim Arabum ضفر, hoc eorundem صفر, reſpondet.) 106

Pag.

צפירה *complexus crinium, in ſe contextorum*, in ſpecie *per ſuggeſtus in altitudinem exſtructorum.* *ibid.*

צפירת תפארה *ſuggeſtus comæ intumeſcens*, ſ. ſublimis. *ibid.*

צעף *duplex fuit.* Arab. ضعف. Unde

צעיף *peplum* majus & promiſſius, ita dictum quia *duplex* eſt, & tam faciem, & pectus, quam tergum, obvelat. 369

צרר *ligavit, colligavit*, in *marſupio.* 285.289.290

צרור *loculus*, in ſpecie *nummarius.* 289

ק.

קדד *reſecare*, & *tondere* capillum. Unde

קדקד *Vertex* capitis. 395

קוה *torſit* filum. Unde

קו *filum tenue, funiculus. textura aranearum.* 322

קון Syr. *Aranea.* *ibid.*

מקוה hinc forſan *ſericum* notat. 323.324

קטלא Rabb. *monile.* 203

קשה in orig. eſt *raſit.*

Hinc *durus* fuit, q. *raſilis.* 404

מעשה מקשה *opus raſile.* ſcil. *ramenta* auri, inſperſa comæ. vel coma probe *raſa* & *polita.* *ibid.*

קשר *ligavit, conſtrinxit.* metaphor. *conjuravit* & *conſpiravit* contra

Pag.

aliquem. 131

מקשר *firmo, compacto*, & *conſtricto* quaſi, corpore præditus. *ibid.*

קשרים *Zonæ* ſ. *Cingula.* 133. ſ.

קשר hinc notat *accinxit ſe zona.* 136

ר.

רדד in origine eſt *calcare.* 378.381

item *expandere* 373

quæ notio ab illa *calcandi* deducta. 380

רדד את הזהב *expandit & diduxit aurum.* 373

מעשה מורד *opus diductum & extenſum.* *ibid.*

item *calcare* in aliquem figurate eſt, eum *ſubigere*, & redigere in ſuam poteſtatem. 378

Inde eſt

לרד לפניו גוים *ad proculcandum coram eo gentes.* *ibid.*

הרודד עמי תחתי *qui calcat populum meum ſub me.* 378

רדיד ab *expandendo* dictum. 373

non a *dominando.* 374

ſignificat *palliolum*, ſ. *pallium brevius.* 372. ſſ.

רדה in origine convenit cum רדד 378

ſignificat *calcare.* 378.379

Etiam ex רדד aſſumſit *expandendi* poteſtatem. 380.382

Figurate quoque uſurpatur pro *dominari* & *imperare* alicui. 374. 379

רדה באף עמים *proculcans in ira populos.* *ibid.*

רדה

Pag.

רוח *ſpiravit.* Unde
הריח *odoratus fuit.*
ריח *odor*, propr. *ſpiratio.* 152
רמם *calcavit*, metaphorice *ſubegit, ſubjecit.* 379
רעל in origine eſt *tremuit.* 63. 64.65
הרעל *factus eſt ut tremeret.* 71
הברושים הרעלו *haſtæ factæ ſunt ut tremerent.* 76-79
רעל & הרעלה *tremor.* 80
רעלות *pepla tremula.* 82-87
רעלה *peplo tremulo velata mulier.* 85.86
רקם *plumavit veſtem opere Phrygionico*, etiam *adhibito auro.* 220. 221
רקע proprie eſt *calcavit.* Secundarie *expandit.* 380

ש.

שבים *ſoliculus*, ſ. *bulla ad ſolis imaginem efformata.* Ab Arab.
שמים, litera (מ) in (ב) trajecta. 23-32
שבץ *perplexum, implicatum, eſſe.* 22
שבץ *opus fecit teſſellatum.* 21.22.
כתנת תשבץ *tunica teſſellata.* 21
שבץ *ſtatus perplexus* animi, & *horror*, quo ipſum etiam corpus *obrigeſcit.* 22
שהר *vigilavit.* Unde
שהר vel סהרא *Luna.* 33. 35
שהרן *Lunula.* 33-35
שור *nectere, ſtruere.* 58
שרות *armillæ*, ita dictæ, quia ex *conſertis* & *in ſeriem ſtructis* conſtant margaritis. 38.59
שזר *torſit* filum. Unde
שש משזר *byſſus retorta.* 336
שמל *comprehendit undique, cinxit, & involvit.* 267
שמלה *Pallium*, quia homo ei ſe *totum involvit.* 267
שמאל *manus ſiniſtra*, ita dicta, quod *involveretur*, & ſub pallio lateret. 275
שפח *effudit, defluere fecit.*
שפח קדקד *defluere fecit comam verticis.* 397
משפח *effuſio ſanguinis* violenta. *ibid.*
Reliqua vide in ספח.
שקר Chald. סקר. Unde
משקרות, quod utrum foeminas *ſtibio* oculos *pingentes*, an *vagantes* oculis & *nictantes*, notet, diſquiritur. 390. ſ.
שרק *flavus, ſubflavus*, vel *gilvus* fuit. 321
שריקות non notat *ſericum*, ſed *linum* præſtantius, a *flavo*, vel *gilvo* colore, qui ei naturalis. 321

FINIS.

MAG 2013640

Ex TYPOGRAPHIA
DAMMEANA.

BIBLIOTECA ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google